OPERE

DEL CARDINALE

GIACINTO SIGISMONDO GERDIL

Seguita la Serie Terza che è della

Teologia Polemica e Dritto Canonico

OPERE
EDITE E INEDITE

DEL CARDINALE

GIACINTO SIGISMONDO GERDIL

DE' CHIER. REG. DI S. PAOLO BARNABITI

Nuova Collezione

ORDINATA E ADORNATA E SOPRA TUTTO COMPITISSIMA

DEDICATA

AL GIA' PRESIDENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE

S. E. R.MA MONS. D. FRANCESCO SAVERIO APUZZO

TOMO V.

NAPOLI

PRESSO GIUSEPPE GIULIANO

EDITORE

1855

IN COMMENTARIUM
A JUSTINO FEBRONIO
IN SUAM RETRACTATIONEM
EDITUM
ANIMADVERSIONES (1)

PARTE DELLA PREFAZIONE
al volume XIII della Collezione Romana.

È troppo necessario conoscere l'istoria della *Ritrattazione* del famigerato monsignor D'Honteim, vescovo di Miriofito, e suffraganeo dell' Elettore di Treveri, e quindi del *Comentario* da lui fatto sulla medesima, che è il soggetto delle finissime, e dotte *Animadversioni*, che formano l'opera succennata. Affinchè dunque non siate obbligato, cortese lettore, di procurarvi altronde una sì fatta storia, se per avventura non vi fosse abbastanza presente, crediamo di farvi cosa grata a trasportarne qui il giudizioso ed accurato ristretto, che leggesi nelle *Memorie* pubblicate da due anni, in Parigi, e da noi altre volte lodate, per servire alla Storia Ecclesiastica del secolo trascorso. » Le premier de novembre (an. » 1778) Rétractation de M. de Hontheim. On se rappelle que ce Prélat avoit » donné en 1763 (2) sous le nom de Febronius un ouvrage, où il pretendoit ré» former l'Eglise à sa manière, lui tracer un nouveau plan de gouvernement, et » la bouleverser, sous prétexte de la refondre (3). Son livre, publié dans un » moment où des idées d' innovation agitoient les esprits, fit une fortune prodi» gieuse en Allemagne. Les protestans s'applaudirent d' y voir leurs principes » adoptés. Les ennemis de la religion se félicitèrent de voir l'auteur seconder leurs » projets, en attaquant l'Eglise et ses décisions, et taxant les Papes de tyran» nie, en traitant d'abus les usages les plus anciens, et les réglemens plus suivis, » et en portant sur une foule d'objets une critique amère, et tranchante. De faux » catholiqres virent avec joie un homme élevé en dignité dans l'Eglise s'unir

(1) Messe a stampa la prima volta in Roma nel 1792: poi nella edizione principe al tredicesimo tomo. D. A. M.

(2) Mémoires pour servir à l'Histoire Ecclesiastique, à Paris chez Adrien le Clerc, etc. 1806. *Tome Second, pag.* 78.

(3) Justini Febronii de statu praesenti Ecclesiae Liber. *I dottori di Colonia avanti a tutti, e poi i teologi, e canonisti Zaccaria, Froben, Zech, Kleiner, Feller, ed altri in Italia, e in Germania, scrissero con più, o meno d'estensione contro questo Libro, scoprendone gli errori, e confutandone i principj. Ivi pag.* 82.

» à eux pour saper l'autorité légitime, qu'il eût dû défendre. De là l'engouement
» pour le Febronius. On prona cette compilation audacieuse. Ses assertions devin-
» rent à la mode. Ses déclamations passèrent de bouche en bouche. Des universi-
» tés même adoptèrent ses principes.... Les premiers pasteurs s'étoient cepen-
» dant élevés contre l'erreur. Nous avons vu les evêques d'Allemagne proscrire le
» livre nuisant. Il avoit été flétri par Clemente XIII en 1764, et prohibé de non-
» veau en 1766, et même en 1771, et en 1773, et par consequent sous Clement
» XIV. . . . . L'assemblée du clergé de France de 1775, consultée sur le Febro-
» nius, avoit repondu que cet ouvrage, peu connu parmi nous, passoit pour être
» fort inexact, pour favoriser les opinions nouvelles, et pour s'écarter de la do-
» ctrine et du langage, dont l'eglise gallicane avoit tant de fois fait profession sur
» la primauté des Papes, et l'autorité de l'Eglise romaine . . . . A ces attaques
» réitérées, le prince archevêque de Trèves joignit ses représentations, et ses in-
» stances; et M. d'Hontheim se rendit enfin. Le premier nov. 1778 il donna sa Re-
» tractation en dix-sept articles. Il y avonoit être tombé dans l'erreur, et prioit le
» Pape d'avoir égard à son repentir. Il reconnoissoit que.... Cette Retractation
» fut envoyée à Pie VI, qui dans un consistoire du 25 dec. annonca aux cardinaux
» cette demarche de M. de Hontheim.... Le 3 fevrier l'evêque suffragant donna
» une Lettre Pastorale pour annoncer et confirmer sa Rétractation. Il y renoncoit
» pour toujours à ce qu'il avoit annoncé dans son Febronius, s'engageoit à le com-
» battre, et notifioit lui-même un ordre de l'electeur, qui defendoit de lire ou de
» retenir son livre. Quelques-uns ayant prétendu, que ces démarches n'avoient pas
» été entièrement libres, M. de Hontheim publia, le 2 Avril 1780 une Decla-
» ration qu'il transmit à son archevêque; il y assuroit que sa Retractation avoit
» été sincère, et qu'il se proposoit de la confirmer dans un ouvrage, auquel il tra-
» vailloit. Il fit paroître en effet, l'année suivant, son commentaire sur la Retra-
» ctation. Il la developpe en trentehuit propositions, qu'il confirme de nouvean
» quant au fond; mais à quelques-unes desquelles il donne des interpretations, et
» des modifications, que plusieurs ont jugé contraires à l'acte du premier nov. 1778.
» Il y a en effet dans ce commentaire bien des endroits, où l'on remarque l'embar-
» ras, et les détours d'un écrivain, qui ne vent pas abandonner tout-au fait ses pre-
» mières assertions, qui retient d'une main ce qu'il cède de l'autre, et qui énerve
» par des restrictions partiales les aveux même qu'il fait, et les principes aux-
» quels il semble revenir » (1).

Qui termina l'autore francese l'istoria della Ritrattazione, che tanto romor fece nel mondo, del pur troppo celebre Febronio, e del Comentario, che questi fece, e pubblicò sulla medesima. Convien dire che non pervenisse a sua notizia la sorte, che esso Comentario ebbe in Roma; chè altrimenti diligentissimo, com' egli è, non avrebbe lasciato di parlarne. Si dovrebbe pertanto da noi supplire a questo vuoto, e raccontare quello che seguì dopo. la pubblicazione del Comentario, almeno per quella parte, che ha rapporto alle *Animadversioni* su di esso, che da noi si riproducono. Ma ce ne dispensa il nostro autore, il tutto avendoci egli esposto con somma accuratezza, limpidezza, e precisione, parte nel suo Avviso al lettore, e parte nel Proemio (2). Quivi si vede, con quali sentimenti l'Hontheim accompagnò al sommo Pontefice Pio VI il suo Comentario; quale impressione questo facesse nell' animo di Sua Santità; quale speciale deferenza abbia essa mostrata, siccome era

(1) Mémoires pour servir etc. *Tom. II, pag.* 221 *e seg.*
(2) *Si può anche vedere il sugoso insieme, e ben dettagliato articolo, in cui si rende conto delle* Animadversioni, *nel tomo ottavo del Giornale Ecclesiastico di Roma.*

usata negli altri, così in questo, affare all' Eminentissimo Gerdil; con quale maturità abbia questi, e con quanta imparzialità, eseguita l' illustre, e difficile commissione; e con quali viste finalmente abbia divisata, e distesa la censura delle 38 Posizioni, così le chiama monsignor Hontheim: vagliandole bensì colla solita sua sagacità e profondità severamente; ma insieme con quella dilicatezza, e con quel riguardo, che usar si dee, quando si viene alle prese, *non cum hoste*, ma *cum homine redintegrandae gratiae cupido; notando summa capita*, i quali sembravano bisognosi *graviore animadversione, aut illustriori explicatione.* A noi pertanto resterebbe solo di riferir quello, che dire non poteva di sè stesso l'autore; cioè con quanta perfezione riuscisse nell'impresa, e con quanta universale commendazione de' dotti. Ma per qualunque più lusinghiero, ed autorevole encomio (1), che recar potessimo, valer dee senza più la testimonianza che rese, e l' aggradimento, che manifestò, dell'esquisito lavoro, il sullodato sapientissimo Pontefice, che gliel'aveva ordinato, nel seguente biglietto all' Eminentissimo Autore: » Con distinti rin- » graziamenti le accusiamo d'aver ricevuto il di lei libro, che contiene le dottis- » sime sue *Animadversioni* sul Codicillo del Febronio. A quest'ora ne abbiamo » letto una gran parte, e ci è sommamente piaciuta. Abbiamo in particolare nota- » to, come abbia spaziato per più pagine sull'Iscrizione sepolcrale, fatta a Febro- » nio da'suoi nipoti, e che l'abbia evidentemente dimostrata, quanto sia erronea » negli elogj espressivi. In somma tutto il libro sarà utilissimo, e non potevasi » con *Animadversioni* più stringenti confutare le 38 Posizioni del Codicillo Fe- » broniano. Come siamo stati ammiratori di tutte le altre sue Opere, lo siamo al » pari di questa, ed applaudendo alla molta sua benemerenza verso la Chiesa, le » siamo, dandole di tutto cuore la paterna apostolica benedizione. Dal Vaticano » 3 marzo 1793 ». L'erroneità degli elogj, espressi nell'iscrizione sepolcrale del Febronio, di cui il Santo Padre fa cenno nel suo biglietto, diede occasione all' Appendice assai interessante, la quale di tutte le Addizioni fatte alla prima edizione è la sola, che anche da noi si riserva dopo il fine di tutta l'opera, essendosi ridotte l'altre sotto il rispettivo testo di ciascuna. Del resto in vece di sì prolisso, esagerato, e in gran parte falso, ed erroneo epitaffio, che la mala intesa pietà de' nipoti pose sul monumento dell' Hontheim; quanto sarebbe stato più preciso insieme, e più appropriato, e caratteristico quello, con cui il sullodato autor francese chiude la storia di quel prelato! Eccolo: » Cet évê- » que mourut le 2 septembre 1790, après avoir eu le triste avantage d'avoir con- » tribué à troubler l'Allemagne, et d'avoir fortifié dans ce pays un parti ennemi » du repos de l'Eglise » (2).

(1) *Ci sia tuttavia lecito in attestato della singolar nostra gratitudine, ed amicizia verso il ch. signor abate Baldi, di far noto anticipatamente al pubblico un illustre tratto, allusivo a queste* Animadversioni, *che ci è occorso leggere nella di lui opera, veramente classica, ed originale, che è sotto il torchio, intitolata:* Francisci Antonii Baldi Incognitorum hactenus Vaticiniorum de Cruce ad Pium VII Pont. Max. Interpretatio ex Hebraeo, et Declaratio, Dissertatioque de Statu Ecclesiae Romanae post Antichristi cladem. *Il suddetto tratto è come segue: » Turpissime contendunt primatum in aliam quamlibet Ecclesiam, incolumi Roma, et ejus particulari Ecclesia, nec » non alio in Urbe constituto episcopo, eodemque minime universali Ecclesiae capite, nec Petri » successore futuro, posse auctoritate humana transferri. Quam teterrimam opinionem, seu potius » pestem, nuperrime omnium magnum illud ingenium, et Ecclesiae romanae, ac praeclari, doctique et optime de re christiana et publica semper merentis Barnabitarum Ordinis decus,* Cardinalis Gerdilius, *sapientissime (quo modo semper non solum scribere, verum etiam facere solitus » erat) tum aliis in locis, tum potissimum in* Animadversionibus in Commentarium a Justino » Febronio in suam Retractationem editum, *ad Positionem VIII et IX, refutarit, ostenditque » constanti Ecclesiae traditioni, ejusdemque definitioni, plane contrariam esse ».*

(2) Mémoires etc. *pag* 224.

MONITUM

Praeclara Justini Febronii Retractatio *quum primum edita in lucem, magna continuo famae celebritate inclaruisset, dubitandum non erat, quin pro multa ingeniorum aetatis hujusce, studiorumve dissimilitudine in varia dissidentium inter se hominum judicia, variosque sermones incurreret. Omnes certe, quotquot fuere toto orbe, unitatis ac pacis Ecclesiae cultores mirifica gratulatione, ac plausu pulcherrimum viri factum prosequuti sunt, qui pristinis turbulentis consiliis, erroribusque depositis, justum, et pium, nec religioni minus, quam sibi gloriosum de se ipse triumphum reportasset. Alii contra, nec pauci, quibus insitum haeret, penitusque defixum hierarchici ordinis, ac principatus odium, acerbissime tulerunt, partium suarum patrocinium desertum ab eo fuisse, quo potissimum duce susceptas jam dudum, sed tum acrius renovatas cum romano pontificatu inimicitias majore animorum contentione gerebant: isti nimirum hominis levitatem, et inconstantiam vehementius accusare coeperunt, qui sive blanditiis delinitus, sive minis territus de instituto cursu turpiter dimoveri se passus esset; quamque animo alte retinebat, fixam certamque sententiam, mendaci scripto ejurare, fidem, ac socios prodere non erubuisset. His longe, lateque dissipatis rumoribus permotus Febronius Commentarium edere properavit, quo consilii sui rationem planius exprimeret, simulque inustam sibi ficti animi labem, ac notam depelleret.*

Opus vix editum curavit ad summum Pontificem mature cum litteris perferendum; quibus et librum, et se se totum apostolicae Sedis judicio, ac potestati subjicere cum amplissima obsequentissimi animi testatione profitetur. Aequius quidem fuisset, ac debito erga supremam Sedem venerationis officio congruentius, sacerdotalis hujusce modestiae praeclarum exemplum imitari ab illo splendidissimo Ecclesiae lumine Augustino editum (quod, etsi notatum jam in prooemio, tamen juvat centies repetere); qui nempe quae libris quatuor scripserat contra duas epistolas pelagianorum, antequam ederentur, ad beatissimum, atque venerandum Papam Bonifacium examinanda detulit; ut ab eo, quem in specula pastoralis officii celsiore fastigio praeeminere noverat, si quid forsitan displicuisset, emendata prodirent.

Quod si minus Febronio placuit, in hoc exequendo munere imitatorem se praebere hipponensis antistitis, non ideo qui summo Dei beneficio Ecclesiae nunc praeest sanctissimi Pontificis Bonifacii ut in celsiore fastigio, sic in omni laude pastoralis officii successor, suam in excipiendo libro mansuetudinem, benignitatemve desiderari passus est. Simul pro sua sapientia providentissime veritus, ne quid adhuc subesset fraudis, aut latentis vitii, non ante statuendum quidquam, aut decernendum censuit, quam de summa operis ratio sibi constitisset. Quam in rem aliqua etiam qualicumque mea opera uti voluit; ita vero, ut nossem cum Febronio non jam velut cum hoste confligendum, sed ut cum homine redintegrandae gratiae cupido hanc disceptationis in-

stituendae rationem habendam, summa ut capita notarem, quae graviore animadversione, aut illustriori expli catione indigere viderentur: de quibus praemonitus homo, ut sese ostentabat, bene animatus; paratior esset, ac promtior ad ea refutanda, corrigenda, delenda, quae facile intelligeret sibi excidisse catholicae doctrinae aut aperte contraria, aut certe minus consentanea.

Novus itaque in Commentarium Febronii conscribendus fuit commentarius: quod opus paucis mensibus absolutum non ante ego sum ausus deferre ad Pontificem, quam fuisset a praestantibus quibusdam viris recognitum: quos inter liceat mihi honoris caussa nominare inclytae memoriae cardinalem Boschium, cujus de hoc opusculo judicium aliquod apud Pontificem factum esse affirmare possum; quale illud fuerit reticere debeo, ne videar operi velle tribuere, quod propensae in me praestantissimi viri voluntati acceptum magna ex parte refero. Atque tum quidem velut praevii publici responsi loco ad publicum Febronii Commentarium opusculum hoc ipsum, instar familiaris alloquii, privati cum privato disserentis, protinus edendum Pontifex decreverat: quum ecce de improviso novum quid natum est, de quo nil attinet hoc loco dicere, quod, ne qua inde gravior offensio pro temporum conditione suboriretur, consultius fore persuasit paratam editionem in aliud tempus differre. Interea Pontifex codicem penes se retinuit manuscriptum, quem nunc tandem sublata caussa, quae moram injecerat, e re censuit immutatum prorsus, ut primum sibi oblatus est, prodire in lucem. Quumque multa multis ex partibus longo illo intervallo effluxerint, quae praeverti cogitatione non poterant; si quae loca occurrerent, quae alia viderentur additamenta postulare, ea jussit ad calcem rejici, ubi ab operis contextu separata reperientur (1). *Litteras porro, quas febroniana larva deposita, suaque plena dignitatis repetita persona episcopus myriophitanus suo nomine, suaque manu scripsit, voluit item sanctissimus Pontifex typis vulgatas in medium proferri; quibus patefactis vel inviti cogantur obmutescere, qui dictitare non desinunt, malis artibus quaesitum, aut vi extortum pium illud justae, ac debitae Retractationis documentum, quod sua sponte, consultoque a se datum auctor ipse professus sit: idque quum alias, tum et iis litteris, quas post suum clandestinis typis emissum commentarium non provocatus, non lacessitus; consilio, ac voluntate sua ad Pontificem dedit, Pontifex nec suspicans accepit. Legatur epistola, conticescat invidia.*

(1) Nos tamen ea, majori lectorum commodo, suo quaeque loco, subjicienda contextui existimavimus. E. R.

EXEMPLUM EPISTOLAE

QUAM EPISCOPUS MYRIOPHITANUS JO. NICOLAUS DE HONTHEIM SUO NOMINE, SUAQUE MANU SCRIPTAM DEDIT

AD SS. D. N. PIUM SEXTUM

UNA CUM SUBJECTO COMMENTARIO FRANCOFURTI AD MOENUM EDITO EX OFFICINA ESSLINGERIANA MDCCLXXXI.

Apposita inscriptione, qua sua etiam manu se operis auctorem profitetur.

Quod Sanctitas Tua a me postulat, quod praestandum suscepi, id pro modulo mearum, per octoginta, et quod excurrit, annorum aetatem, et continuos labores finitarum ingenii, et corporis virium nunc exequor: ut quos olim sub nomine Justini Febronii in diminutionem sacrorum summae Sedis jurium conscripsi libros, illos eodem nomine redarguam, refellam, et supremas ejusdem sanctae Sedis dotes ad aedificationem eorum, quibus priora mea opera offendiculo esse potuerunt, novo Commentario explanem, atque stabiliam.

Non putavi id luculentius abs me praestari posse, quam si omnes, et singulas in authentico meae retractationis documento contentas, Tuae Sanctitati probatas assertiones argumentis e sacra Scriptura, conciliis, ac Patribus depromtis confirmem, et congruis commentariis illustrem; ea tamen ratione, ut insimul firma stent jura episcoporum, imperantium, et nationum, nec non privilegia, et tot laudabiles consuetudines particularium ecclesiarum, quae omnia Sanctitatis Tuae praedecessores toties immota esse debere sanxerunt.

Ex quo grave munus suffraganei in amplissima hac archi-dioecesi suscepi, singularis mihi cura demandata est de magna illa portione trevirensium dioecesanorum, qui vivunt sub dominio, et civilibus legibus regis christianissimi, uti et de non minore eorum numero, qui in Ducatu Luxemburgensi parent augustae domui austriacae, et constitutionibus belgicis. Minime ignorat Sanctitas Tua, in administratione, et exequutione vicarialis hujus officii, quod a triginta tribus annis sub beneplacito, directione, et celsissimis auspiciis trium archiepiscoporum hactenus gessi, singulorum horum locorum mores, et saecularium principum edicta mearum actionum secundariam regulam esse debere; ea neglecta, omnia turbari: influunt illa in disciplinam Ecclesiae, quamvis eam in substantialibus non mutent. Porro quemadmodum in exercitio sacri hujus ministerii non iisdem ubilibet usibus, ac moribus, vel in una hac archidioecesi conformare me aut possum, aut debeo, uti nec quicumque alius eodem in munere mihi successor aut debebit, aut poterit: ita prudentiae esse duxi in hocce scripto iis potissimum ecclesiasticis legibus me alligare, quae jam dictis, immo omnibus catholicis nationibus nobiscum communes sunt.

Nihil equidem impensius cupio, beatissime Pater, quam ut praesens commentarius (postrema certe mea litteraria opera) tamquam testamentum, et suprema mea voluntas Tuae Sanctitati, ad cujus sacratos pedes illum depono, haud displiceat. Hoc scio, nihil aliud in animo meo, nihil amplius in votis meis esse, quam ut omnia mea Tuae Sanctitati probentur. Ea intentione, eoque fine (quum sibi n-

mo satis sapiat) qua maxime valeo demissione supplico, ut, si quae eodem in libelio fortasse sint, quae perspicacissimos oculos tuos, aut excelsum animum tuum offendant, ea a me non ainas ignorari, ut in supplemento, quod tunc in modum codicilli libens adjiciam, illa valeam emendare.

Illud interim mihi solatio esse potest, et debet, quod, etsi alium forte ex brevi hoc commentario fructum Ecciesia non referat, illud saltem omnes ex eo intelligant, de quo non pauci etiam editis scriptis dubitare aut praesumserunt, aut affectarunt, videlicet solemnem illum actum revocationis, quem Sanctitas Tua in die Natalis Domini anni MDCCLXXVIII, in secreto consistorio cum cardinalium collegio communicavit, meum esse, non fictum, non extortum; sed liberum, quinimmo deliberatum.

Finaliter aute sacratos pedes tuos, quos reverenter deosculor, prostratus apostolicam benedictionem humillime expeto debita cum submissione, et filialis obedientiae contestatione emoriens

Sanctitatis Tuae

Humillimus et Obedientissimus Filius
Joan. Nicolaus ab Hontheim Episcopus Myriophitanus Suffraganeus Trevirensis manu propria.

PROOEMIUM

Quibus pridem litteris praeclarae suae, bonisque omnibus probatissimae Retractationis acta myriophitanus episcopus cum spectatissimo clero, populoque trevirensi communicavit; eisdem ingenue fassus est, libris iis, quos plures sub ficto Justini Febronii nomine paucos ante annos edidit, *novitatis cupidine inductum se in nonnullas assertiones incidisse, quae et apostolicae Sedis jura, et reverentiam supremis hujusce praesulibus debitam non parum laederent:* (1) » Agnovit, febronianis istis assertionibus obstare » quorumdam Patrum sententias, seu dicta, » conciliorum in disciplinaribus decreta; po» tissimum vero receptum a saeculis Ecclesiae » usum, atque disciplinam, quibus contraire » nemo praesumit, quin de religione pericli» tetur, et exitialium in Ecclesia turbarum » auctor existat ». Tum confirmavit, libenti, promptoque animo Pontifici libros eos damnanti sese adjungere; sibique propositum esse, quod reliquum esset aetatis, quoad vires suppeterent, in id auctore ipso Pontifice conferre » ut genuina primae Sedis jura exponeret, » et pro viribus defenderet non quidem *palpo» num more*, quos suis lucubrationibus eidem » sanctae Sedi, quin et Ecclesiae ipsi pluri» mum nocuisse compertum est, sed solidis, » verisque monumentis, quorum auctoritas in » omnibus ecclesiis agnoscitur ».

Itaque Febronius, ut promissa exsolvere videretur, seque suae Retractationis interpretem, ac vindicem praestaret, Commentarium in eam scripsit, *nullaque* (nescio quo consilio) *praevia superiorum censura* typis commisit. Pollicetur, se hoc in opere defensorem futurum *nonnullarum primae Sedis praerogativarum, quarum impugnator extiterat* » intactis tamen ju» ribus episcoporum, principum, et catholi» carum nationum, quae optimi Pontifices sem» per immota esse sanctissime sanxerunt ».

Nihil porro ad hujus instituti sui rationem accommodatius fore censuit, quam si Commentarii contextum ad ordinem, et ad ipsa etiam verba Retractationis exigeret. Totam itaque retractationem in 38 Positiones distribuit, singulisque Positionibus peculiarem cuique suam explanationem appinxit adeo, ut expositiones extent velut capita totidem, seu argumenta explanationum, ex quibus integer Commentarius conflatur. Extremo porro capite (pag. 240) iterum confirmat: » hoc suo Commentario, quem » auctoribus summis in Ecclesia potestatibus a » se susceptum, quemque illarum judicio si» ne retentione submittere se profitetur, sibi » propositum fuisse mediam tenere viam, qua » semoto omni partium studio, cuique, quod » suum est, tribueretur *duce veritate, et ca» none* ».

Neque hac tantum extrema sui libri parte obsequentem suum erga summas in Ecclesia potestates animum declaravit; sed expressius etiam, et clarius privatis manu sua litteris, quas ad summum Pontificem Pium VI (quem Deus O. M. Ecclesiae suae diutissime servet incolumem) una cum suo Commentario perferendas curavit, quibus testatur, nil se impensius cupere, quam ut id scriptum, in quod velut testamentum ultimam mentis suae sententiam quodam modo redegit, atque ad sanctissimi Patris pedes deponit, haud ei displiceat: nibil se habere magis in votis, quam ut sua omnia sanctitati suae probentur; ob eamque rem, quandoquidem nemo sibi satis sapiat, ei quam maxima valet demissione supplicare, ut, si quae forte in eo libello sunt, quae perspicacissimos ejus oculos, excelsumque animum offendant, illa non sinat ab ipso ignorari, ut, in Supplemento, quod libenter est adjecturus, quasi per codicillos ea valeat emendare: interea id sibi solatio esse, quod, etsi ex hoc brevi commentariolo nullum Ecclesia fructum sit perceptura, istud saltem omnes intelligant, de quo non pauci dubitare praesumserunt, aut affectarunt, solemnem illum Retractationis actum, quem sanctitas sua cum cardinalium collegio communicavit, *suum esse, non fictum, non extortum, sed liberum, quinimmo deliberatum.*

His ergo cognitis librum eo animo perlegendum accepi, ut de toto scripto ex aequo, et bono judicandum, in singulis vocults aucupandis non morosius insistendum; si quid obscurius, duriusve dictum occurreret, commodiore, qua fieri posset, interpretatione molliendum, atque in saniorem partem flectendum existimarem.

Et quidem nonnulla sunt, quae in hac nova mentis suae, ac sententiae declaratione Febronio gratulari non immerito possimus: quod claves non jam Ecclesiae, prout hac voce fidelium coetus intelligitur, sed Apostolis, co-

(1) Verba haec sunt *myriophitani praesulis ea in Epist. p. 246, Minime tamen diffitemur.*

rumque successoribus datas expresse agnoscat: his clavibus veram regiminis auctoritatem contineri, triplici potestate constantem, legislatoria, judiciaria, et coercitiva: hanc potestatem Apostolis a Christo sic traditam, ab eisdemque sic administratam, ut in ferendis legibus, ac decretis ad fidem, ad mores, ad disciplinam pertinentibus, in successorum suorum ordinationibus, ac deputationibus, nimirum in iis, quos ad sacra munia idoneos judicarent, vocandis, legendis, et cooptandis; in coercendis contumacibus, censurisque infligendis nulli esset alteri potestati obnoxia: hanc ipsam potestatem eodem jure in Apostolorum successores migrasse, in aevum omne prorogandam: primatum non ordinis, inspectionis, ac directionis tantum esse, sed verae auctoritatis, et jurisdictionis: hunc perpetuum esse: in Petri successores romanos Pontifices jure divino transire: romanum Pontificem supremum esse judicem controversiarum in rebus fidei, ac morum; nec fieri posse, ut a vera fide aberret Corpus episcoporum, capiti suo romano Pontifici adhaerens: Ecclesiam a Christo habere auctoritatem judicandi de sensu, seu doctrina propositionum, librorum, et auctorum, nec non fideles cogendi ad subscribendum suae sententiae: concilio florentino oecumenici nomen deberi: tridentinum porro etiam in rebus disciplinae liberum fuisse.

Haec ille recte, ac laudabiliter. Atque utinam optima haec sentiendi ratio totius operis continuationi sic moderata esset, ut prima mediis, media extremis cohaererent; nec ea in Commentarium irrepsisset foeda veri, falsique permistio, quae ubicumque se prodit; totumque corpus, teste Augustino (l. 2, *Quaest. Evangelic. c.* 40), velut quodam colore leprae inficit, ac maculat. Verum quod non inimice, non contumeliose, sed dolenter cogor dicere, non eam praesefert Febronius *germanam sinceritatem*, quam olim polliceitus fuerat: quin potius adscitis undique distinctionum, exceptionumve involucris in tot ambages se conjicit, ut diverticula de industria quaesisse videatur, quibus elaberetur; dictamque sibi suis Positionibus legem non tam tueretur, aut servaret, quam eluderet, seu verius oppugnaret.

Qua in re tamen unum occurrit, ac sese offert, multa sane, attentissimaque consideratione dignum, quod Positiones ipsae, quae explorata Ecclesiae, Pontificumve jura simpliciter, apertoque referunt, permultis in hac ipsa febroniana lucubratione, locupletissimisque sacrarum Litterarum, conciliorum, Patrumve testimoniis munitae cernuntur: exceptionibus vero, quas Positionibus suis Febronius affligit, seu potius opponit, nulla Sanctorum auctoritas, vox nulla suffragetur; sed aut propriis Febronii cogitatis, aut unius, alteriusve scriptoris, nec aetatis admodum remotae suffragio nitantur: ut proinde, si suis in Positionibus stantis hanc ille sibi laudem merito tribuere potuit, se, quae scriberet, *duce veritate, et canone* scripsisse; non idem de adjectis illis exceptionibus praedicare valeat, quae quantum recedunt a germana, et obvia Positionis cujusque vi, ac sententia, tantumdem ostendunt, illum a *veritate*, et *canone* descivisse.

In ea multiplici capitum varietate, in quibus Febronii constantia merito desideratur, minus haerendum censui iis persequendis, quae ex notissimo *Defensionis* libro, qui perillustri Bossuetio passim adscribitur, Febronius decerpit. In quo tamen, si aequum se aestimatorem probare vellet, non ita se uni parti addictum ostenderet, ut alterius momenta fere praeteriret. De qua contentione si nonnulla disperse attigimus, non eo consilio id a nobis factum est, quasi disceptationem ex professo cum Defensionis auctore suscipere velimus, cui muneri non ita pridem est ab aliis cumulate satisfactum; sed ne in ea causa, in qua doctissimos inter viros hactenus certatum est, quisquam existimare posset, uni Febronio contigisse, ut triumphum ageret, juriumque pontificiorum defensores silere coegisset: scilicet alia sunt (quod magnopere deflendum), in quibus positos a Bossuetio fines transire non est veritus, eoque progredi, ut quae jura vel ipse Fleurius, ejusque defensor velut rata jam, fixaque habuerunt, ea ipse in discrimen adducere interdum non dubitaverit.

Multa hujus generis, sive quae ad ecclesiasticam potestatem generatim, sive quae speciatim ad Primatum pertinent, latius in subjectis animadversionibus exponentur. Pauca, et strictim hoc loco non abs re fuerit velut per exemplum proponere.

Quod Ecclesiae disciplinae, generali concilio probatae, et per omnes ecclesias receptae laicus magistratus adversari haud possit; quin immo seculares principes, quos ut catholicos *Deus sanctae fidei*, *Ecclesiaeque protectores esse voluit* (*Trid. sess.* 25, c. 20, de refor.) praesidio eam suo tutari, ac munire debeant; id quidem perfacile fuit Febronio plurimis canonum statutis, Patrumque sententiis comprobare. Quod vero subjicit, *non videre se*, cur, quod circa ejusmodi disciplinam laico magistratui non licet, quatenus tutor est canonum, non eidem liceat, quatenus regni tutor est, nullum profert Febronius canonem, quo singularem hanc suam inscientiam, haesitationemque excusare valeat. Nec sane mos fuit gravissimis Patribus, canonum conditoribus, sic verbis ludere, ut quam potestatem de rebus Ecclesiae cognoscendis, ac moderandis nullam in laico magistratu nec praesidii jure agnoscerent, eam ipsam per unam vocabuli commutationem sub alia persona eidem ultro deferrent.

Quod spiritalis potestas in decernendis rebus ad fidem, mores, ac disciplinam pertinentibus nulli sit alteri potestati obnoxia, in eo

etiam exploratis Patrum auctoritatibus tueri se potuit Febronius : non ita porro in exceptione, qua spiritalis hujusce potestatis jura coercere quodam modo videtur ad ea, quae ille vocat *civiliter indifferentia* (1). Sane non eam Apostoli cautionem agnoverunt; qui tam multa de cultu externo, de conjugiis ineundis, de censurarum inflictione, et effectis, de ministrorum delectu decernere non dubitarunt; quae, licet ad Febronianam distinctionem relata spectari possent veluti non omnino *civiliter indifferentia*, non ideo se in laicae potestatis jura invadere putabant, quod ea ipsa nulla petita venia decernerent, discipulisque sancte, ac fideliter servanda edicerent. Revera cultum externum ad religionis intimam constitutionem pertinere nemo catholicus dubitat : alinnde quaecumque in republica exterius geruntur, ea semper, prout quisque volet, pro non civiliter indifferentibus traducere poterit. Nullus ergo erit in religione ritus tam sacer, nulla tam religiosa functio, nullum sacerdotale munus, et officium, de quibus ob eam caussam, quod externam actionem, ac velut materiam requirant, nequeat secularis potestas decernere, suaeque cognitioni, ac judicio vindicare. Sic potestas illa, quam Febronius, quatenus spiritalis est, seculari imperio subducere videtur; eam ipsam suae distinctionis ope, quatenus corporali actione, et corporea in materia versatur, in seculare arbitrium de integro rejicit, eidemque prorsus addicit.

Romanorum Pontificum decretales epistolas reverenter suscipiendas, et sancte custodiendas, Positio est Febronii *duce canone* constituta : sed quod pontificiae decretales, etiam dum urgent exequutionem canonum, singularis cujusque antistitis judicio subjectae esse debeant, qui de illis recipiendis, aut repudiandis statuat, prout eas convenire, necne suae dioecesi judicaverit; id vero longe abest a canonum sententia. Equidem quod lex loco, ac tempori congruere debeat; quod episcopus, quae gregi suo congruunt, prae caeteris dignoscere valeat; quod, si quid incommodi ex lege metuatur, episcopi praesertim partes sint ad superiorem potestatem referre ; id ordinati, rectique regiminis ratio postulat, in eoque libenter omnes acquiescunt : at quod jus, fasque sit cuique antistiti de lege pontificia recipienda, vel repudianda suo arbitratu decernere, nullo unquam satis apto Ecclesiae disciplinae monumento comprobari poterit. Certe quum tridentina synodus decreta sua ederet, eaque pro summa, qua pollebat potestate, praeeunte Pontifice sancte servanda episcopis praescriberet; dum loca illa expresse notaret, quibus aliquam indulgendae veniae

(1) Abest, ut universe suspiciosum habeatur quidquid non quidem vi sua, sed pro ratione sui generis dici aliquo pacto valeat *civiliter non indifferens*. Evolvenda proinde ambiguitas, quae in hac subobscura et indefinita Febronii sententia latere videtur, ne quisquam minus acriter intelligens inani quadam specie veri deceptus in fraudem inducatur. Itaque si genus ipsum spectes, non immerito dixeris, earum rerum, quae ad humanae vitae cultum pertinent, procurationem pro communi utilitate illorum potestati subjici, qui praesunt reipublicae; proptereaque, si genus ipsum spectes, recte dici hoc valeat *civiliter non indifferens*.
Verum multa sub eo genere sunt, quae quum nullum offensionis periculum afferant, sic in libera omnium facultate esse censentur, ut illis jure suo quisque utatur, prout libitum sibi fuerit. Nec sane quidquam interest reipublicae, quibus quisque frugibus, quae palam veneunt, carne, an oleribus vesci malit; propriis, an conductis aedibus habitet; nitidiore, an obsoletiore veste indutus incedat; fictis, an suis capillis utatur; ut infinita alia praeteream, quae ultro se offerunt in humano convictu, quaeque singulorum arbitrio populorum omnium legibus, ac moribus permittuntur.
Sed, ut grandiora exempla promamus, quae proprius institutum nostrum attingunt : certe Christus Dominus, ac Legifer noster sacram eucharistiam, quo nihil in religione sanctius, in pane triticeo, ac vino de vite et confecit ipse, et in omne futurum tempus conficiendam praecepit : de oleo, cum oratione ad salutare infirmorum subsidium a presbyteris Ecclesiae adhibendo, extat divinum a Jacobo promulgatum institutum: afflatu Spiritus Sancti lex ab Apostolis condita est abstinentiae a suffocato, et sanguine: conveniendi ad sacram mensam ordinem, ac modum praescripsit Apostolus : sanctissimi Christi martyres palam saepe professi sunt, sibi nefas esse non ad *collectam*, seu *dominicum*, quod vocabant, convenire ; seque mori potius paratos esse ostendebant, quam id officii desererent, a quo ex religionis contemtu abstinere jubebantur, qua de re praeclarum extat Augustini testimonium (Brevic. Collat. cum donatistis sub die 3, c. 17). Qui tamen conventus ita peragebantur, ut post diligentem investigationem Plinius ipse junior testatum reliquerit, nihil se in illis comperisse, quod vel minimam suspicionem afferre posset ; quin potius christianos ad cultum Christo, velut Deo, tribuendum convenire stata die consuevisse, ut inde ad severiorem quamdam innocentiae, modestiae, probitatis, continentiae legem sese adstringerent.
Hinc jam quaero ex Febronio, num propterea quia panis, vinum, oleum, suffocatum, et sanguis, alia hujusmodi, quae commemorata sunt, sub eo genere continentur, quod genus per sese dicitur, et est *civiliter non indifferens*, num, inquam, existimandum sit, non potuisse Christum sine reipublicae injuria eucharistiam in pane, et vino conficere, conficiendamque praecipere ? Fasque adeo esse publicae potestati praescriptam a Christo materiam immutare; aut abstinentiae legem, sive quam Divino afflante Spiritu Apostoli tulerunt, sive quam el postmodum Ecclesia substituit, abrogare ; an potius ipsismet imperantibus, qui se filios Ecclesiae profitentur, religioni esse debeat, sacras istas, piasque institutiones non amplecti modo, verum et totis viribus tueri, ac defendere; quae quum per se ad pietatis studium, morumque honestatem promovendam pertinent, valeantque plurimum, tum et id efficiunt, ut communi religionis vinculo adstricti populi, communibusque salutaris disciplinae legibus parere assueti, hoc ipso ad reliqua omnia vitae civilis munia obeunda paratiores, atque erga legitimae cujusvis potestatis jussa, et imperia obsequentiores evadant ? Qua de re si unquam alias, hoc certe tempore dubitare nefas, quum ex perruptis sacrorum juribus celerem adeo videamus progressum factum esse ad jura omnia invadenda, et pervertenda, quibus omnis bene constituta reipublicae gubernatio continetur.

facultatem eisdem faceret; num forte suspicari poterat, fore aliquando, qui singulis episcopis id juris tribuerent, ut caetera quoque decreta judicio suo subjicerent, deque illis, prout sibi profutura, necne viderentur, recipiendis, vel repudiandis decernerent? Quin potius discere potuit Febronius ex Barthelio, cujus ille testimonium profert *pag.* 34, quam foeda suboritura esset in Ecclesia fidei, ac disciplinae perversio, nisi episcoporum multitudo per orbem diffusa supremi unius capitis efficaci auctoritate in ordino, et officio contineretur: qui autem contineri poterunt parendi necessitate sublata, seu, quod in idem recidit, uniuscujusque judicio, et arbitrio permissa?

Sed in eam fraudem ex hoc inductus fuisse videtur Febronius, quod singulos episcopos prorsus velit cum *indefinita* ligandi, atque solvendi potestate suis in dioecesibus positos esse. Quam tamen potestatem si nulli alteri superiori potestati obnoxiam facit, pugnat ille cum catholico dogmate: sin facit obnoxiam, non ex ea consequetur jus illud, quod singulis episcopis tribuit decernendi, an, et quousque superioris potestatis decreta recipienda sint, an potius repudianda.

His adde, si placet, quod statuit de civilis potestatis assensu praestando, ut decreta ipsa fidei, ac morum vim legis publicae obtineant, et exequutioni mandari valeant; quod negatam dogmatico sanctae Sedis, ac universalis Ecclesiae decreto debitam obedientiam ad merum caput refert violatae disciplinae; quod insinuare non veretur, primos reservationum auctores legitimo forte jure caruisse.

Ex his, quae strictim attigimus, suis quaeque locis distinctius enucleanda, non obscure intelligi potest, contextum sic esse Commentarium istum febronianum, ut sanorum verborum forma, quam Positiones plerumque praeseferunt, haud raro quoque per multiplices distinctionum, exceptionumve anfractus in alienum, adversumque sensum detorqueatur. Haec profecto nec romano Pontifici probari possunt, cujus est potissimum ecclesiasticae libertatis, suique primatus jura Christi ordinatione constituta tueri; nec cuiquam episcopo de tota ecclesiasticae hierarchiae constitutione, deque suae dignitatis amplitudine recte sentienti.

Repetat Febronius, quam sancte, quam severe, ac diligenter tridentina synodus hortando, monendo, praecipiendo ecclesiasticae disciplinae tutelam, debitamque summorum Pontificum, conciliorumve constitutionibus, ac decretis obedientiam cum fidelibus omnibus, tum et ipsis magistratibus enixe commendaverit. Ponat sibi ante oculos, si quis in eo conventu antistes, audita illa Patrum sententia, prosilire in medium veritus non esset, ac dicere, sibi eam placere, quoad magistratus tutorem canonum se gerat; non item, quandocumque aliam tutoris regni personam assumat: quis non sentiat, quam graviter sanctissimi Patres, captionis non ante auditae novitate perculsi, ludibrio se, ac despectui habitos esse doluissent? Qua mente, quo vultu absonam vocem, ne quid asperius dicam, excepturi, et ex ore praesertim antistitis deprecaturi fuissent?

Habet itaque Febronius, quae referat in codicillos, quorum tamen nec longi, nec molesti laboris futura est confectio, si quidem eam praestare vult, quam pollicitus est, *germanam sinceritatem*. Referat se ille ad suas Positiones, simulque ad canonum decreta, Patrumque sententias, quibus vel in hocce suo Commentario fulciuntur: circuitionum fallacias aut a se excogitatas, aut a privatis, nulliusque in Ecclesia auctoritatis scriptoribus petitas, quae duplicis cordis, et linguae suspicionem ingerunt, prorsus abjiciat.

Quamquam Febronio facilis, et promta patebat via, quae se ab istiusmodi codicillorum cura omni, ac labore levaret; qui, si testamentum hoc suum ante Pontifici obtulisset, quam id typis in vulgus edendum committeret, ab amantissimo Patre clementer, ac privatim admonitus sic testamentum ille suum componere potuisset, quod nulla codicillorum emendatione indigeret. Nec vero quidquam erat caussae, cur eum pigere debuerit praeclarum imitari factum Augustini, qui quo tempore merita sapientiae laude maxime floreret, non indignum se duxit, immo antiquius nil habuit, quam ut scripta sua, quae contra duas epistolas pelagianorum (*l.* 1. *c.* 1, *n.* 1) paraverat, ad Bonifacium I *examinanda; et, ubi forsitan aliquid displicuisset, emendanda dirigeret.* Adeo illi perspectum erat, quid ei deberetur, qui caeteris episcopis *altius praesideret.* Quod etiam potiori jure expectandum erat a Febronio, qui jam per sese expertus fuerat eximium illum Pii VI, plenumque *paternae dilectionis affectum*, quem de Bonifacio I aliorum praedicatione Augustinus acceperat. Nunc quum debitum istud omni jure officium Febronius neglexerit; quum opusculum suum *nulla praevia censura* praeter jus fasque publici juris fecerit, Pontificemque rogarit, ne si quid in eo lapsus esset, id ipsum ignorare sineret; unusquisque profecto intelliget, non amplius integrum esse Pontifici rem totam, prout aliunde Febronii inconstantia suadere videbatur, silentio praeterire; sed, ne hoc ipsum *tacere* (*Caelestinus I, Epist. ad episcopos Galliae*) idem videretur, atque *connivere*, curandum fuisse, ut quae Febronius non sine reprehensione notanda, typis edere in vulgus praesumsit, ea quoque typis, ac palam notarentur.

Recogitet aetatis suae, ac senectutis (2. *Machab. c.* 6) eminentiam dignam, et ingenitae nobilitatis canitiem; quam parum illi aetati dignum sit fingere; insidiosae, fictae reconciliationis exemplum juventuti relinquere, sempiternamque nomini suo, ac memoriae inconstantiae, ac defectionis notam, maculamque con-

quirere. Non dissimulat *pag.* 245, quae olim scripsit: » Quum novitatem spirarent, et ex» cutiendae pontificiae auctoritati ansam prae» bere possent, *pro perverso hujus saeculi genio* » avide ubique accepta, et citius, quam cre» dibile est, quaquaversum pervulgata ». Poeniteat ipsum male ominati successus, qui perverso saeculi genio debeatur; quo nefas gloriari, delectarique quemquam, qui meminerit ab Apostolo praedictum, surrecturos in Ecclesia homines, qui perversa loquerentur, ut abducerent discipulos post se.

Rectius ille sibi plaudit, apertos pridem sibi fuisse oculos super suis erroribus ab amplissimo antistite, qui pro eximio suo in religione tuenda studio non praetermiserit ipsi ostendere, suos illos libros *idoneos esse ad scindendam catholicam unitatem*, qua certe nil potius, nil antiquius christiano homini esse debet. Timeat proinde Febronius illa errorum semina denuo exsuscitare, illaque iterum tentare capita disciplinae, *quibus contrairs nemo possit, quin* (ipsomet judice) *in religione periclitetur, et exitialium in Ecclesia turbarum auctor existat.*

De pontificia auctoritate sentire aperte non vereatur, quae sensere Patres; quae sentit Bernardus, quem nemo adhuc suspicatus est, romanis Pontificibus *palponum more* blandiri voluisse. Ne Petro dotes invideat, quas in eum, ejusque Sedem Christus contulit: quibus fidei, unitatis, ac pacis bono in perpetuum servando consultum esse voluit: si ovis Christi esse vult, non spernat, immo amet ab eo pasci, cui suos agnos pascendos, pascendas oves suas Christus commisit. Non eripiat Ecclesiae fructum laetitiae jucundissimum, quem solemnis illa pii animi testatio totum se in complexum Petri demittentis eidem attulit; nulla se deinceps irrequietae mentis agitatione, aut pristini animi residuo veluti pulsa ab hujus complexus charitate avelli sinat, ut quum aliquando, quod mortalibus omnibus imminet, anima ejus ab eo repetetur, exitum suum apostolica Petri, successoris ore confirmata, piisque omnibus expetita benedictio prosequatur.

INDEX

POSITIONUM FEBRONII

POSITIO I. Claves Ecclesiae et uni Petro, et unitati simul a Christo concessae sunt ita, ut unum aliud non excludat.

POSITIO II. Claves datae sunt uni Petro, quatenus ille primatum, et regiminis potestatem accepit a Domino; idemque personam totius Ecclesiae gerebat.

POSITIO III. Ecclesia est societas hominum, in qua baptizati fideles ex institutione Christi sub legitimorum pastorum, ac praecipue summi Pontificis regimine degunt.

POSITIO IV. Hujus regiminis potestas a Christo instituta verum subjectionis, et obedientiae obligationem multitudini imponit.

POSITIO V. Propterea inter duodecim Apostolos unus (Petrus) electus est, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.

POSITIO VI. Quisquis contra singularem Petri cathedram aliam collocat, vel ob ejus communione per obedientiae negotionem recedit, schismaticus est.

POSITIO VII. Primatus non ordinis, inspectionis, ac directionis tantum est, sed verae auctoritatis, et jurisdictionis.

POSITIO VIII. Primatus perpetuus est, in Petri successores romanos pontifices jure divino transiens.

POSITIO IX. A romana Sede ad aliam transferri primatus nequit.

POSITIO X. Concilio florentino oecumenici nomen debetur.

POSITIO XI. Plena potestas pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiom, romano Pontifici a Christo tradita, in concilio florentino declaratur.

POSITIO XII. Pontificia haec potestas non potest esse sine conveniente auctoritate, jurisdictione, ac coactione, ad quam etiam pertinet poena excommunicationis.

POSITIO XIII. Romanus Pontifex est supremus judex controversiarum in rebus fidei, et morum.

POSITIO XIV. Fieri non potest, ut a vera fide aberret corpus episcoporum, capiti suo romano Pontifici adhaerentium.

POSITIO XV. Haeresis Lutheri jam ante concilium tridentinum, praeeunte Leone X, Pontifice maximo, ab Ecclesia irrevocabiliter damnata fuit.

POSITIO XVI. Ecclesia a Christo habet auctoritatem judicandi de sensu, seu doctrina propositionum, librorum, et auctorum; nec non fideles compellendi ad subscribendum suae sententiae.

POSITIO XVII. Constitutioni Unigenitus, ut dogmatico sanctae Sedis, et universalis Ecclesiae decreto omnimoda ab omnibus obedientia debetur.

POSITIO XVIII. Quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit obortum, ad romanum Pontificem referendum est.

POSITIO XIX. Decretales romanorum Pontificum reverenter suscipiendae, et sancte custodiendae sunt.

POSITIO XX. Summo Pontifici jure divino competit jus indicendi, dirigendi, et confirmandi universalia concilia.

POSITIO XXI. Generalia concilia sortiuntur firmitatem independenter a quacumque alia acceptatione.

POSITIO XXII. Concilium tridentinum etiam in rebus disciplinae liberum fuit.

POSITIO XXIII. Causae criminales episcoporum per concilium tridentinum romano Pontifici merito reservatae sunt.

POSITIO XXIV. Pro supremo potestate, Pontifici in universa Ecclesia collata, ille sibi, suoque judicio quaedam graviora peccata jure reservat.

POSITIO XXV. Papa habet potestatem dispensandi ex legitima caussa in lege a generali concilio lata

POSITIO XXVI. Primis jam tum Ecclesiae temporibus ii censebantur spurii, adulterinique episcopi, quorum ordinationem romanus Pontifex respuebat, veluti modo ultrajectinorum.

POSITIO XXVII. Confirmatio, translatio, et depositio episcoporum non potest provincialibus synodis restitui, nisi de libero summi Pontificis consensu.

POSITIO XXVIII. Canonizationes Beatorum etiam olim fiebant de consensu saltem tacito romanorum Pontificum.

POSITIO XXIX. Legitimo usu in quibusvis caussis ecclesiasticis invaluerunt appellationes ad apostolicam Sedem.

POSITIO XXX. Summi Pontifices omnt jure damnarunt appellationes a Papa ad futurum concilium.

POSITIO XXXI. Beneficiorum reservationes sanae rationi, et aequitati consonae sunt.

POSITIO XXXII. Concordata, utpote vim pacti habentia, religiose utrinque servanda sunt

POSITIO XXXIII. Annatae retinendae, usque dum romanae curiae necessitatibus aliunde provisum fuerit.

POSITIO XXXIV. Exemtio Regularium a seculari potestate, aut ab una particulari synodo non valet abrogari.

POSITIO XXXV. Exemtionum abusibus per concilium tridentinum occursum, et provisum est.

POSITIO XXXVI. Episcoporum potestas jurisdictionis potuit quoad usum per canones arctari.

POSITIO XXXVII. De iis, quae ad fidem, sacramenta, et ecclesiasticam disciplinam pertinent, sola potestas ecclesiastica decernit.

POSITIO XXXVIII. Curandum, ut pax, et concordia inter sacerdotium, et imperium servetur, et offensionum vitentur occasiones.

Obsecramus, ut Joannes aut simpliciter nostra fateatur, aut aperte defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates. Nolo mihi dici, quod et aliter possit intelligi. Revelata facie gloriam Dei contemplemur. *Hieronymus Epist.* 61, *c.* 1, *ad Pammachium* apud Lup. tom. IX, p. 63, col. 1.

POSITIO I.

» Claves Ecclesiae et uni Petro, et unitati » simul a Christo concessae sunt ita, ut unum » aliud non excludat ».

ANIMAD. Videbatur Febronius primo illo singulari libro, quem *de statu Ecclesiae* inscriptum edidit, in eorum opinionem, seu verius errorem incidisse, qui clavium potestatem putant directo, ac proxime fidelium coetui collatam fuisse, indeque in pastores commigrare. Idque non immerito innuere videbantur, quae scribit c. 1, § 6, his verbis: » Clavium po» testatem universitati Ecclesiae proprie, et ita » transcriptam esse, ut illa per eos ministros » pro sua cuique portione, ac inter hos per » summum Pontificem exerceatur ». Et n. 3: » Quum itaque Ecclesia ipsa principaliter, et » radicaliter obtineat potestatem clavium, quae » ab illa in omnes ejus ministros, ipsumque » summum Pontificem derivatur, et singulis qui» busque pro sua portione communicatur » etc.

Hoc suo commentario ejusmodi errorem respuere se profitetur Febronius, atque ad eum refellendum haud paucas ex illis auctoritatibus profert, quas abunde in eam rem Scriptura, et traditio ex aequo suppeditant; tum concludit: » Nusquam communitati, ac multitudini fide» lium ea potestas donata legitur, nisi ea ra» tione, eoque sensu, ut ad totius corporis uti» litatem, velut ad finem referatur, non ut » in multitudine tamquam in subjecto resi» deat » (1).

Huc usque recte satis, ac dilucide progressus videtur Febronius. At nonnihil perturbationis afferunt verba, quae sequuntur (p. 7): » Huic sententiae, quae nunc verior videtur, » adversantur (si fides habenda doctoribus sor» bonicis, Natali Alexandro, Joanni Lannojo) » parisienses theologi docentes, clavium po» testatem a Christo concessam fuisse Petro » tamquam Ecclesiae personam gerenti, atque » adeo penes Ecclesiam ceu subjectum imme» diatum, ut scholae phrasis habet, clavium » illam residere potestatem ».

Confusa plane oratio. Nam sententia, de qua una hic agitur, ea ipsa est, quam richeriano errori catholica veritas opponit, cui proinde adversari nemo queat, nisi qui se idem systematis richeriani propugnatorem profiteatur: quo in numero si vel Launojum, vel Dupinium, vel alios quosdam ejus indolis homines Febronius habere volet, non valde repugnabimus; doctores vero parisienses universe Richerio favere, nullo pacto concedemus. Quod et ipse Febronius, minus jam secum ipse consentiens, deinceps agnoscit; sequitur enim: » Absunt tamen » ipsi ab ea opinione, quasi potestas ecclesia» stica uni, et soli Ecclesiae per se, Petro au» tem, caeterisque Apostolis per Ecclesiam ita » data esset, ut his jurisdictio solum instrumen» taliter, ministerialiter, et quoad exequutio» nem tantum competat. Quam doctrinam in » vitio cubare recte statuunt Tournelius, Peta» vius » etc.

Nihil est igitur caussae, cur vereatur Febronius in doctorum parisiensium offensionem incurrere, tametsi non ut *veriorem* tantum (quae vox est subdubitantis adhuc animi), sed ut omnino *veram*, certamque amplectatur eam doctrinam; quam ipse agnoscit, faleturque, prolatis a se perspicuis sacrarum litterarum, traditionisque monumentis apertissime comprobari.

Neque officit, aut ad rem facit, quod doctores isti, ut ait Febronius, doceant, clavium potestatem datam esse Petro *tamquam Ecclesiae personam gerenti*. Hoc enim ipsum sic intelligi volunt, auctore Natali Alexandro, *Dissert.* 4, *in* 1 *Sec.* § 3, non quasi claves Petro collatae sint, ut *Ecclesiae legato*, sed ut *Ecclesiae supremo post Christum, et sub Christo rectori, ac moderatori*.

Ut proinde non ab Ecclesia, cui jussus est praeesse, sed a Christo, qui eum praeesse jussit, Ecclesiae regendae potestatem acceperit. Etenim, ut etiam animadvertit Petavius a Febronio laudatus, p. 4: » Prius illa potestas fi» xa, constitutaque fuit, atque ministerium ejus,

(1) Quin ab ista communicatione vel ipsum ordinem sacerdotalem excindit; inquit enim: » Ex pluri» bus his Sacrae Scripturae locis apertum est, omnis, » quoad potestatem, Apostolis, eorumque successo» ribus a Christo relicta esse, quando ex altera parte » nullo textu probatur, eamdem potestatem collatam » fuisse Ecclesiae acceptae pro multitudine fidelium, » comprehenso etiam ordine sacerdotali, et inde ad Ec» clesiae praelatos transiisse ». Quo loco, ne videatur Febronius ordinis potestatem ipsimet ordini sacerdotali eripere voluisse, facile puto, intelligendum esse de potestate proprie dicta regiminis, seu jurisdictionis, ut ajunt, in foro externo. Quippe, ut cum theologis omnibus testatur Bellarminus *de Poenit.* l. III c. 14: » Quum catholici dicunt, universo ordini sacerdotali » datas esse claves, id omnes intelligunt de potesta» te ordinis, quam sacerdotes omnes in ordinatione » suscipiunt, quamquam exercere non possunt, nisi » praeterea jurisdictionem ab episcopis accipiant ».

» et episcopi prius designati, quam Ecclesia, » atque totum corpus, ac respublica tota coa» luisset. Itaque non ante penes ipsam commu» nitatem jurisdictio ecclesiastica resedit, et in» de velut populari consensu in magistratus est » translata ».

Sed ne in causa tanti momenti de constanti mente parisiensis scholae, merito suo celebratissimae, vel minima ambiguitatis suspicio resideat, velim Febronius audiat, quid de sua, deque gallicanarum ecclesiarum, academiarumque sententia Natalis ipse Alexander testetur *Dissert. 4, de Auctorit. Concil. Constantien. n.* 1: » Ecclesiae gallicanae, et quotquot in Gallis sunt academiae, dogma fidei nihilominus » esse censent, quod romanus episcopus unus » sit jure divino summus in Ecclesia Pontifex, » cui omnes christiani parere tenentur: et qui » *immediate* a Christo non honoris solum, aut » dignitatis, sed et potestatis, ac jurisdictionis » primatum habeat ». Nec mirum: » Quippe » *Papam non esse proximum, et immediatum* » *Christi vicarium*, proscriptus error est inter » damnatas *in concilio constantiensi propositio*» *nes Vicleffi, n. 37* ».

Hinc et post concilium constantiense parisienses doctores nefastas pinres, dirasque defixerunt Marci Antonii de Dominis sententias, quibus vir ille (claro ingenio pessime abusus) supremam, a Christo profectam, Pontificis auctoritatem impetebat. Censuram refert Ludovicus Bail (Sum. Concil. tom. 1, p. 81 et seq.), doctor ipse, ac pro-poenitentiarius parisiensis; hac potissimum de caussa, quod haec *mentem Parisiensium maxime, ac velut in meridiana luce manifestat....* » Hujus certe censurae, pergit ille, » quot pene verba, tot sententiae sunt; quot » sensus, tot victoriae: sed, etsi jam devios ad » sui consensum impellere non valeat, suade» bit forsan alios, ne iis adhaereant ». Inter plures porro praeclarae hujus censurae articulos, quos libenter omnes describerem, nisi a proposita brevitate discedendum foret, duos potissimum seligam. Quod Spalatensis dixerat: *Monarchiae formam non fuisse immediate in Ecclesia a Christo institutam*, hac nota reprobarunt Parisienses: » Haec propositio est haeretica, » schismatica, ordinis hierarchici subversiva, et » pacis Ecclesiae perturbativa ». Quod Spalatensis subjunxerat: *Doctrina in articulis Hus contenta, nimirum in Ecclesia non dari unum caput supremum, et monarcham praeter Christum: Christum suam Ecclesiam per multos ministros sine uno isto monarcha mortali regere perfecte, et gubernare, est doctrina catholica, a sanctis Patribus egregie explicata, et confirmata*, brevi hac censura perstrinxere Parisienses: » Haec » propositio est haeretica quoad singulas par» tes ». Ex hujus porro censurae toto complexu animadvertit Bail pag. 84, rite colligi posse, quae sit mens Parisiensium, nimirum: » Re» gimen Ecclesiae a Christo institutum monar» chicum esse, non aristocraticum (1); jurisdi» ctionem apostolicam ordinariam in solo Petro, » non in caeteris Apostolis extitisse; monarchiae » formam in Ecclesia a Christo immediate insti» tutam fuisse; dari, praeter Christum, unum » caput supremum, et monarcham in Ecclesia; » Christum non regere Ecclesiam, nec gubernare » per multos ministros sine illo monarcha mor» tali; in Ecclesia romana supremum esse pri» matum; Pontificem romanum peculiarem » esse Petri successorem; unitatem rectoris vi» sibilis ad unionem Ecclesiae facere ita, ut » falsum sit, unionem Ecclesiae catholicae in » unitate rectoris visibilis non consistere; ro» manam Ecclesiam jure divino auctoritatem » in alias ecclesias habere. Haec, et similia do» ctrinae parisiensis Facultatis capita, ut quod » etiam ibidem continetur de concilio florentino, » et aliis, longe aliena sunt ab iis, quae non» nulli his temporibus libris suis circumforaneis » in Christi vicarium blaterant sub velo Pari» siensium, quasi paucorum ex iis opiniones » essent omnium ».

Accedat Gersonis auctoritas tract. de Statib. Ecclesiae, Consid. 1, ubi non veretur *schismaticum, et haereticum* dicere *eum, qui negaret, statum papalem institutum esse a Deo supernaturaliter, et immediate, tamquam habentem primatum monarchicum, et regalem in ecclesiastica hierarchia*. Et lib. de potest. Ecclesiae, consid. 10: *Plenitudo*, inquit, *legis ecclesiasticae sic proprie sumta non potest esse de lege ordinaria, nisi in unico summo Pontifice formaliter, et subjective; alioquin ecclesiasticum regimen non esset monarchicum, et habere posset multiplex caput ex aequo, quod est haereticum*. Et lib. de Auferibilitate Papae consid. 5: *Nullam aliam politiam* (in Ecclesia) *instituit Christus immutabiliter praeter monarchicam, et quodammodo regalem; et oppositum sentientes, quod videlicet fas est esse plures Papas; aut quod quilibet episcopus in sua dioecesi est Papa, vel pastor supremus aequalis Papae romano; errant in fide, et unitate Ecclesiae contra articulum hunc: Et unam sanctam Ecclesiam; et si pertinaces maneant, judicandi sunt haeretici, sicut Marsilius de Padua, et quidam alii*.

His perspectis quaeri potest: 1. Num satis ex aequitate, et veritate olim egerit Febronius, qui paucorum Italorum assentationi status monarchici in Ecclesia propugnationem adscriptam retulerit? 2. Num satis esset caussae, cur ab hac monarchiae appellatione tantopere adhorreret, quam tot insignes Parisienses non usurparunt modo, verum et libenti animo complexi sunt, ac retinendam omnino judicarunt? Nam quod ille dixerat, formam regiminis monarchicam minus ecclesiastico regimini convenire, quod

(1) Tametsi aristocratia quadam temperatum agnoscit non Tournelius tantum, sed et Bellarminus, ut mox exponetur.

haec *facile solet in despotismum declinare*, paullo contumeliosius dictum videtur in eam politiae formam, quam sapientissimi totius antiquitatis viri caeteris anteferre non dubitarunt; quamque, si quidem temperata sit, longe a dispotico dominatu vi sua recedere non diffitetur vir hujus aetatis politicae scientiae fama (jure ne, an injuria, non quaero) celebratissimus. 3. Num catholici cujusque lectoris expectationi rite tum satisfecerit Febronius, a quo rogatus, quae demum dicenda sit vera regiminis in Ecclesia vigentis formula, respondendum censuerat: » Cum viro, sacris quidem protestantium » addicto, sed docto, et rerum politicarum cum » primis perito, atque in hac parte vera tra» dente: *In ecclesiis formandis non opus est de» creto super certa regiminis forma introducen» da, absurdaeque adeo sunt quaestiones, monar» chica, aristocratica, an democratica forma com» petat Ecclesiae: hae quippe formae cadunt in » Statum aliquem seu civitatem: Ecclesia autem » Status non est* »? An haec docti, ac politici, si placet, hominis Samuelis Puffendorfii levissima sane argutia satis momenti habere debuit, ut spretis Parisiensium decretis, ac sententiis, quod illi de forma ecclesiastici regiminis monarchica dixerunt, absurde quaesitum, ac statutum censeri oporteret? Levissimam dixi argutiam: quis enim hanc potestatem dedit Puffendorfio, ut quae voces vi sua, et notatione tantum patent, quantum patet vox ipsa regiminis; atque adeo locum suum habent, ubicumque sese prodat aliqua regiminis constitutio, cujuscumque naturae illa sit; eas ille voces ad solum civilis status regimen contrahi jubeat? Aut ergo delenda penitus, et obliteranda regiminis ecclesiastici constitutio; aut, si aliquod regimen in Ecclesia retineri placet, necesse est, id praeditum esse aliqua ex iis formis, quae memoratis vocibus aptissime exprimuntur. Ac ne quemquam terreat tetra illa species *despotismi*, quam Febronius objecerat, audiendus Bellarminus *l.* 1. *de romano Pontifice c.* 3, ubi posteaquam generatim disseruit de regimine ex tribus formis temperato, dein ex civili statu, atque ex veteris foederis Ecclesia, orationem convertens ad christianae Ecclesiae regimen subjungit: » De Ecclesia Testamenti novi idem postea » probandum erit, esse in ea videlicet summi » Pontificis monarchiam; atque episcoporum, » qui veri principes, et pastores, non vicarii » Pontificis maximi sunt, aristocratiam; ac de» mum suum quemdam in ea locum habere » democratiam, quum nemo sit ex omni chri» stiana multitudine, qui ad episcopatum vo» cari non possit, si tamen dignus eo munere » judicetur ». Et cap. 5: » Jam vero doctores » catholici in eo conveniunt omnes, ut regimen » ecclesiasticum hominibus a Deo commissum » sit, illud quidem monarchicum, sed tempe» ratum, ut supra diximus, ex aristocratia, » et democratia, id, quod praecipue tractavit » B. Th. in 4. cont. gent. c. 76., Joan. de Turre» crem., Nicol. Sanderus in lib. de visibili mo» narchia Ecclesiae ». Sed ne quis ambiguitati, aut hallucinationi locus relinquatur, quod attinet ad istam aristocraticam temperationem consuleuda etiam nota, quae ad Schol. 5, Dissert. 4, Nat. Alex. Sec. 1, adjecta est edit. ven. pag. 95, col. 2. Ex quibus patebit, istiusmodi temperationem non ad pontificiae imminutionem auctoritatis, sed ad ejus subsidium, ac robur valere (1).

Sub hac positione notatus ab aliquo fuit locus alter, velut minus accuratus, ex quo nimirum inferri posse videretur, episcopos, qui caritate careant, clavium quoque potestate carere. Locus hic est p. 8: » Atque hoc ipsum » episcoporum universum corpus, per fidem et » caritatem in suo capite conjunctum, ea est uni» tas, cui a Domino imperium a Patre sibi cre» ditum *immediate* collatum fuisse Augustinus » prae caeteris luculentius asserit *serm.* 108, » *de Divers.* c. 2 ». Hic tamen ego nollem esse morosior, atque dictum istud in eum sensum facile interpretarer, quo apud Ballerinium *de Primatu c.* 10, *n.* 5, dictum reperitur: » Porro » hae duae unitates fidei, et charitatis tam ve» rae Christi Ecclesiae, singulorumque ejus » membrorum propriae, ac necessariae sunt, » ut qui alterutra careat, is esse desinat in vera » Ecclesia ». Ubi ex toto contextu apparet, charitatis nomine vinculum illud communionis designari, quod schismate dissolvitur; quo unitas catholica constringitur; quodque ad charitatem refertur velut terminum, unde formam, perfectionemque accipit.

Aliud potius eo in loco notandum occurrit, quod scilicet *serm.* 108, *de Divers.*, seu *Edit. Maur. serm.* 295, Augustinus dicatur luculentius prae caeteris asseruisse, imperium, quod a Pa-

(1) Contigit haud raro, ut quae loquendi formulae apud veteres omni suspicione vacabant, tum demum in suspicionem merito venerint, posteaquam novandi cupidi homines in pravum eas sensum inflectere coeperunt. Profecto quam ex veterum theologorum sententia venerabilis Bellarminus monarchici regiminis formam in ecclesiastica hierarchia descripsit, aliqua tamen aristocratiae specie temperatam, nihil sane per eam detractum voluit de suprema ea romani Pontificis in universa regenda Ecclesia auctoritate, quam ille tam docte, tam copiose, invicteque asseruit, quae nimirum numeros omnes habeat verae, perfectaeque monarchiae; quod satis liquere arbitror ex his, quae ad hujusce loci explanationem superius dicta sunt. Nunc vero quum tot iniqui pontificiae auctoritatis obtrectatores illam aristocratiae admistionem sic per summam calumniam interpretentur, ut non alias Pontifici partes in Ecclesiae regimine relinquant, quam quae propriae sunt principis senatus, seu publici consilii in republica mere aristocratica; jure, ac merito censent praestantes theologi, quo errori aditus omnis praecludatur, ab usurpata dudum sine discrimine loquendi formula, nunc in gravem suspicionem adducta, penitus abstinendum, simplicisque monarchiae vocabulo supremam, quae in primatu inest, regiminis auctoritatem designandam.

tre accepit, Christum unitati *immediate* contulisse. Nam 1. vox illa *immediate* deest apud Augustinum. 2. Neque ex toto contextu erui potest, sanctum doctorem censuisse, claves *unitati* aliter, quam per Petrum, collatas fuisse. Eo sermone, c. 2, Augustinus illud in primis celebrat singulare Petri decus, quo inter discipulos *pene ubique solus totius Ecclesiae meruit gerere personam.* Tum addit: » Propter ipsam » personam, quam totius Ecclesiae solus gesta- » bat, audire meruit: *Tibi dabo claves regni » coelorum.* Has enim claves non *homo unus*, » sed *unitas accepit Ecclesiae* ». Duo hic habentur: primum, soli Petro dictum esse *tibi dabo claves*: alterum, istas tamen claves non hominem unum, sed unitatem accepisse Ecclesiae. Et licet primo aspectu minus una pars congruere cum altera videri possit, ambae tamen aptissime cohaereut, si quidem plano sensu ac suo tota sententia intelligatur: claves scilicet uni quidem Petro primitus datas, non tamen quatenus Petrus unius tantum singularis, ac privati hominis personam gereret, sed quatenus caput Ecclesiae constituebatur; adeoque totius Ecclesiae personam, non ut Ecclesiae (V. sup. Nat. Alex.) *legatus, sed ut ejusdem supremus post Christum, et sub Christo rector, ac moderator* gerebat. Hoc, inquam, pacto plane intelligitur, non unum dumtaxat hominem, sed unitatem Ecclesiae claves accepisse, quas ille, non ut privatus, et singularis homo pro se ipso tantum accepit, verum prout Ecclesiae ipsi tamquam caput praeficiebatur adeo, ut earum vis, et potestas, quae ipsi, ut supremo rectori, primitus data est, in reliquos praepositos sibi adhaerentes, et obnoxios velut a capite in membra promanaret. Quae dicendi ratio pupulari etiam loquendi consuetudine mirifice comprobatur. Quid enim tam tritum sermoni familiari, quam quod vulgo dici solet sive in physicis, sive in moralibus, corpus ipsum, seu corporis unitatem recipere quidquid in caput pro toto corpore, totiusque corporis usu, et utilitate confertur?

Neque solum hujusmodi explicatio hac de caussa existimari debet Augustini menti aptissime congruere, quod nil contortum, nil a communi sensu, et sermone abhorrens prae se ferat, sed ob hanc maxime rationem, quod antiquiorum Patrum unanimi sententiae, perpetuaeque traditioni prorsus consentiat, a qua haud par est eredere, Augustinum recedere voluisse: meminerat sane Augustinus, quod sempiternae fidelium memoriae Tertullianus commendaverat hisce verbis in Scorp. c. 10: *Memento claves hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.* Non eum fugiebat, quod tot locis Cyprianus (De unit. Ecclesiae, ep. 55) et dixit, et significavit, Christum ita disposuisse, ut a Petro sacerdotalis unitas exoriretur. Quod si unitas a Petro; ergo a Petro etiam (eodem sensu) potestas unitati cohaerens. In eamdem sententiam s. Optatus Milevitanus, *l.* 7 *cont. Parmen.*, de Petro ait, eum *claves regni Coelorum, communicandas caeteris, solum accepisse.* Quam universalem traditionem paucis deinceps, at aptissimis verbis complexus est Leo Magnus, *serm.* 3. *in Annic.* dum ait: *Christum nunquam, nisi per ipsum* (Petrum), *dedisse, quidquid aliis non negavit.*

Quod ergo ait Febronius, luculentius prae caeteris asseruisse Augustinum serm. illo *de Divers.*, claves a Christo *immediate* datas unitati, uberiore quadam explicatione indigere videbatur, ne quisquam existimaret, ex Augustini sententia clavium potestatem Ecclesiae primitus, quam Petro datam esse. Quod secus est. Enim vero *huic Ecclesiae claves regni Coelorum datae sunt, quum Petro datae sunt*, inquit *idem sanctus doctor de Agone Christiano c.* 30. Quae verba, nisi quis in alienum ea sensum detorqueat, idipsum aperte significant, quod modo ab aliis Patribus traditum accepimus: Ecclesiam per Petrum, non Petrum per Ecclesiam claves accepisse. Quamobrem nemo melius Augustini mentem assequutus est, quam ejusdem fidelis aeque, ac tutus interpres Thomas *in* 4, *dist.* 24, *q.* 3, *a.* 2: » Quamvis, *inquit*, omni- » bus Apostolis data sit communiter potestas » ligandi, et solvendi; tamen, ut in hac po- » testate aliquis ordo significaretur, primo soli » Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo » in alios debet ista potestas descendere ».

Antequam huic capiti finem imponamus, operae pretium fuerit nonnulla percensere, quae ut sunt suo loco sapienter a Febronio constituta, sic aptissima videntur ad illa praecludenda effugia, quibus saepe ille deinceps a se ipso, suisque Positionibus discedere nititur.*

1. De Personis. Quemadmodum a Christo electi fuere Apostoli, sic agnoscit *ab Apostolis factas suorum successorum, et presbyterorum ordinationes, et deputationes.* Quod quidem apertis constare ait Scripturarum textibus, ac demum concludit: *Hi soli ex natura regiminis hujus sacri jus habent alios quosdam ad ministerium religionis ordinandi.* Ex natura itaque sacri regiminis a Christo instituti agnoscit, prodiisse potestatem eam, qua praediti Apostoli fuere in sacrorum ministris non ordinandis tantum, sed et deputandis; quippe non alio ex fonte profecto jure factas memorat ab Apostolis suorum successorum, presbyterorumve non ordinationes tantum, sed et *deputationes;* meritoque ad ordinationem adjunxit jus istud deputationis faciendae, qua nimirum legitima missio continetur. Quocirca tridentina oecumenica synodus, *sess.* 23, *de Sacram. Ordinis, can.* 7, illos anathemate percellit, qui dixerint, *eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros.* In hac porro missione praecipuas esse partes romani Pontificis, satis intelligitur

ex can. 8 : » Si quis dixerit , episcopos , qui » auctoritate romani Pontificis assumuntur, non » esse legitimos , et veros episcopos , sed fig» mentum humanum , anathema sit ».

II. De modo potestatis illius exercendae haec docet p. 5: » Quod si intueamur modum, quem » in regendis ecclesiis Apostoli servabant, appa» ret undique , illos egisse tamquam nihil te» nentes a corpore , sed plenam a Deo in uni» versam fidelium societatem oblinentes aucto» ritatem cum omnimoda, absolutaque ab illis » independentia , quantum scilicet ad sacrum » eorum ministerium attinet ».

III. Agnoscit, Gentium Doctorem, quum apostolico suo munere fungeretur , non Ecclesiae, sed Christi Domini nomine potestate illa usum esse sive in excommunicando , sive in absolvendo incestuoso Corinthio : » Non expectato » multitudinis consensu sive tacito , sive prae» sumto (quo plane revincitur quesnelliana propositio 90 : *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet , ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis*) » sed ne ordinis quidem sacerdotalis . . . » convocat fideles , non ut suam sententiam » confirmet, sed ut illa majore solemnitate exe» quutioni mandetur ».

Quum ergo potestas illa, quam pro regenda Ecclesia Christus Apostolis concessit, in eorum successores , fatente Febronio, eodem plane jure manaverit ; fatendum quoque illi erit, quibuscumque in rebus sive ad fidem , sive ad mores, et disciplinam pertinentibus, Apostoli ea potestate proprio, divinoque jure usi sunt, nec ab ea utenda legitime impediri potuerunt; jus, fasque esse illorum successoribus eisdem in rebus decernendis , et constituendis eadem potestate utendi , prout deinceps latius explicabitur.

IV. Exponens Febronius, quemadmodum intelligi velit , claves Ecclesiae et uni Petro , et unitati simul a Christo ita concessas esse , ut unum non excludat alterum, profert inter alia, quod statuit Habertus, *part. II, de Hier. Eccl. c.* 5, §. 5, *q.* 2 : » Potestas clavium data est » Ecclesiae , hoc est Pontifici , et episcopis; et » his quidem cum subordinatione ad Pontifi» cem , Petri successorem ». Quum ergo huic Haberti sententiae suam Febronius adscribat , agnoscere illum oportebit , quam potestatem Christus episcopis tradidit , eam fecisse Petri successoribus obnoxiam. Inane igitur commentum est , quod aliis locis insinuare non veretur, primis Ecclesiae temporibus episcopos suis in regendis dioecesibus plenaria quadam , et indefinita potestate potitos esse. Quippe haec duo consistere nullo pacto possunt , ut eadem potestas et plenaria sit, et alteri simul superiori potestati obnoxia.

POSITIO II.

» Claves datae sunt uni Petro , quatenus ille » primatum , et regiminis potestatem accepit a » Domino ; idemque personam totius Ecclesiae » gerebat ».

ANIMAD. Explanationem hujusce Positionis aggreditur Febronius hisce verbis : » Constans » est, *inquit*, Patrum doctrina, quas claves Chri» stus Petro dedit principaliter , eas caeteris » quoque Apostolis , et eodem quidem actu a » Christo datas fuisse minus principaliter (1). In-

(1) » Quas claves Christus Petro dedit principali» ter, eas caeteris quoque Apostolis , et eodem qui» dem actu a Christo datas esse » sententia est Febronii , quam ille paucis , quas profert Patrum auctoritatibus , satis comprobatam putat. Quae tamen auctoritates aperte quidem confirmant , claves *principaliter* Petro datas esse ; non item uno , eodemque actu caeteris quoque datas.

Certe ab hac sententia penitus dissentit cl. Bossuetius ; quodque notandum est , celebri eo serm. *de Unitate* , quem habuit in comitiis cleri gallicani an. 1682. Nimirum animadvertit , Christum , qui Petro dixit : *Quodcumque ligaveris*, etc., hoc idem et caeteris Apostolis dixisse ; et insuper : *Quorum remiseritis*, etc. An vero uno, eodemque actu? Immo ex contextu ipso manifestum, ait, apparere consilium Christi (quo mysterium unitatis completurus non jam plures , sed unum , et solum Petrum singulariter alloquitur) , consilium , inquam , fuisse Christi : » Ut uni primitus largiretur , quod pluribus erat » postmodum largiturus : sic tamen, ut posterior con» cessio nil de priore detraheret , nec ille , qui pri» mum appellatus fuerat, locum suum amitteret: pri» mum (pergit Bossuetius) illud verbum , *quodcum» que ligaveris*, etc. uni dictum, hoc ipso sub ejus po» testatem redegit caeteros , quibus postea dicturus » erat, *quorum remiseritis*, etc. Quippe promissa Chri» sti non secus, ac ejus dona, sunt sine poenitentia; » quodque semel indefinite, et universe datum est , » irrevocabile est : praeterquam quod in potestate , » quae in plures dividitur, partitio suam secum ipsa » *restrictionem* affert ; contra vero potestas , quae et » uni datur, et super omnes, et sine ulla exceptione » datur, infert plenitudinem ; et sicut omnis est ex» pers partitionis, non alios habet limites, quam quos » regula praescribit ». Atque hoc ipsum confirmat Bossuetius luculentis Patrum auctoritatibus , quibus edocemur , ecclesiasticam auctoritatem primitus in Petro uno , et solo constitutam , non aliter in alios fuisse subinde dispertitam , quam sub ea conditione, ut ad suae unitatis principium perpetuo revocaretur; atque omnes , a quibus exercenda foret omni consequenti tempore, ipsi eidem cathedrae indissolubili vinculo devincti manerent.

Praeclarae hujusce doctrinae , quam ex Evangelio ductam , Patrum auctoritate roboratam cl. antistes latius exposuit, summa refertur ad haec duo capita.

1. Ecclesiasticae potestatis plenitudinem super omnes, et sine ulla exceptione uni, et soli Petro primitus a Christo datam; idque antea, quam in alios Apostolos diffunderetur: quo uno refellitur sententia Febronii ajentis , uno , eodemque actu potestatem clavium Petro , et caeteris Apostolis datam esse.

2. Per illam partitionem , qua potestas clavium in caeteros Apostolos deinceps diffusa est , nil detractum fuisse de potestatis plenitudine , quae primitus in uno , soloque Petro viguit sine ulla exceptio-

» numera sunt in hanc sententiam eorumdem » testimonia, ex quibus pauca seligo ». Pauca revera seligit, nec ea, tametsi apud Patres frequentissima, quibus principalis illa potestas in Petrum collata splendidius elucet.

Recte porro se habent, quae de interpretatione celebris textus apud Matth. c. 16, v. 18, *tu es Petrus, et super hanc petram* eloquitur: » Etsi autem *petram*, super quam aedificaturum se Christus Ecclesiam suam significat; » alii quidem Christum ipsum; alii fidem, et » confessionem Petri; alii denique cum Petro reliquos etiam Apostolos, et discipulos » interpretentur, persiat nihilominus, ea interpretandi varietate nihil detrahi *litterali* » interpretationi, cujus in disceptando praecipua ratio habenda est, qua constat, Petrum » in ea Christi dispositione *peculiari quadam* » *ratione significari* ».

Sed insuper notandum doctores illos, aut Patres, qui varias illas interpretationes attulerunt, non propterea germanam, maximeque propriam ejusdem textus significationem deseruisse; verum ea omnino retenta in alios quoque sensus, quos recondita, pleneque mira Divini Verbi foecunditas abunde suppeditat, pro rerum, de quibus agebant, opportunitate intendisse. Hoc ipsum praeclare observat Natalis Alexander laudata *Dissert.* 4, *in I secul.* §. 3, nimirum: » S. Augustinum ipsum, et nonnullos » alios Patres, qui haec verba, *et super hanc* » *petram*, ad Christum interdum referunt, non » excludere aliam expositionem, qua ad s. Petrum convenientius referuntur a caeterorum » Patrum choro, immo utrumque sensum adstruere ». Quod idem de aliis interpretationibus confirmat perspicuis in eam rem prolatis testimoniis.

ns super ipsosmet Apostolos, quos Christus prima illa singulari alloquutione Petro subjecerat.

Quid ex duobus hisce capitibus consequens sit, patet jam per sese. 1. Si primitus in uno Petro tota viguit plenitudo ecclesiasticae potestatis, tum profecto unus Petrus utpote solus dux, et pastor universi gregis ordinariam certe, et immediatam in universa Ecclesia jurisdictionis potestatem obtinuit. 2. Si partitio, quae subinde facta est in caeteros Apostolos, nil detraxit de pristina illa plenitudine in solo Petro primitus collocata; certe Petrus, posteaquam caeteri etiam Apostoli potestates clavium accepere, totam quoque retinuit pristinam illam super universum gregem ordinariae, et immediatae jurisdictionis amplitudinem, quam cum plenitudine potestatis super omnes, et sine ulla exceptione primitus acceperat.

Tota vis argumentationis ex hoc uno capite pendet, quod praeclare est a Bossuetio constitutum, Petrum ante omnes caeteros Apostolos potestate clavium a Christo donatum fuisse. Quo loco mirum profecto, adversariis nostris, dum primatum Petri obscurare moliuntur, talia excidisse, quae plane convincunt contra ipsos, totam vim Ecclesiae potestatis in uno Petro primitus reapse constitisse! Auctor libelli, cui mendacissima inscriptione titulus additus est *Vox veritatis*, extrema p. 66, scribit, notatum ab Augustino fuisse: » festo die illo, quo celebratur cathe» dra s. Petri, honorari cathedram episcopalem, quam » Petrus ipse primus conscendit, in eademque ho» norari sacerdotale ministerium, quasi hoc vellet » intelligi, omnes episcopos, pastores omnes in ea » ipsa cathedra sedere, in qua Petrus est primus » collocatus ». Luculentius etiam alterius libelli auctor, cui titulus: *Riflessioni sopra il Breve*, etc. cujus haec verba sunt §. 58: » Quemadmodum Epist. » 71 et 73 et lib. *de Unitate Ecclesiae* docet san» ctus martyr Cyprianus, ante caeteros omnes Apo» stolos ab Jesu Christo s. Petrus accepit sacerdotium; » et solus inter omnes, ac pro omnibus clavium po» testatem accepit, ut hoc pacto significaretur sa» cerdotalis unitas ». Profecto si s. Petrus cathedram episcopalem primus conscendit: si primus in ea collocatus fuit; ergo antequam alii conscenderent, primus, et solus cathedram episcopalem Petrus tenere debuit; atque adeo in se potestatem colligere, quae in tota viget cathedra episcopali. Rursum si Petrus auctore sanctissimo martyre Cypriano primus, et *ante caeteros omnes Apostolos* sacerdotium accepit a Jesu Christo; tempus ergo fuit aliquod, quo tempore, quum solus tota potiretur in toto grege sacerdotii plenitudine, totam quoque habuit in tota Ecclesia ordinariam, et immediatam jurisdictionem, cujus nemo adhuc alius particeps effectus fuerat.

Ac ne quis in hujusce *sacerdotii*, de quo hic agitur, intelligentia haereat forte, aut aberret; notandum, duplicem esse in sacerdotio vim, et potestatem; unam in corpus Christi verum, quae communis est totius ordinis sacerdotum etiam inferiorum, quam Apostolos omnes accepisse in coena, sacerdotesque a Christo constitutos esse constat ex Tridentino, sess. 22, can. 2, alteram in corpus Christi mysticum, quae quum ad regimen pertineat, potestas dicitur jurisdictionis, eaque nimirum in episcopatu, tamquam in sacerdotii plenitudine potissimum eminet. De hac intelligendus Tertullianus, quum ante Cyprianum scripsit (Scorp. c. 10): » Claves Domi» num Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse »: Cyprianus in Tertulliani scriptis multum versatus: Optatus Milevitanus de Schism. Donatist. l. 7, c. 3 docens: » Petrum praeferri Apostolis omnibus me» ruisse, et claves regni Coelorum communicandas » caeteris solum accepisse ». Quo et referri possunt celebres illae sententiae Siricii (epist. 5, ap. Coustant): » Quum in unum plurimi fratres convenis» semus ad sancti Apostoli Petri reliquias, per quem » et apostolatus, et episcopatus in Christo coepit » exordium »: Innocentii I (ep. 2, num. 2, ap. Coustant): » Incipiamus igitur adjuvante sancto Apo» stolo Petro, per quem et apostolatus, et episco» patus in Christo coepit exordium »: Caesarii Arelatensis Symmacho Papae scribentis epist. 14, num. 2: » Sicut a persona beati Petri Apostoli episcopatus » sumsit exordium » etc.

Nunc, ut ad Bossuetium redeamus, unde tota haec disserendi ratio profecta est, summa doctrinae cl. antistitis hac brevi conclusione comprehenditur: uni, et soli Petro primitus data est a Christo potestatis plenitudo super omnes, et sine ulla exceptione: primitus ergo Petrus habuit ordinariam, et immediatam jurisdictionem super universum gregem, ac nominatim in ipsosmet etiam Apostolos, quos alloquutione illa prima Christus sub Petri potestatem redegerat. Atqui nil postea detractum est de tota illa potestatis plenitudine, quam semel, et sine poenitentia Christus in Petrum contulit. Ergo si primitus Petrus cum potestatis plenitudine ordinariam super omnes, et immediatam jurisdictionem accepit, eam postmodum in Successores prorogandam retinuit.

Quae quidem data occasione praemonenda censuimus, in ea deinceps loca transferenda, quibus de potestate jurisdictionis sermo occurret.

Ad extremum haec Febronius adjicit, non sine quadam animadversione praetereunda: » De » quaestione, cui per se ipsum, et principaliter Christus clavium potestatem consignaverit, ita ante duo saecula, et amplius scripsit Martinus Azpilcuela, dictus a sua patria » Navarrus, Romae poenitentiarius, Ibidem » anno 1586 defunctus, in cap. *Novit* de Judiciis, Notab. III, n. 84. Non est consilium in » praesentia definire, cui principaliter Ecclesiae potestas fuerit a Christo collata, an toti » Ecclesiae, an vero ipsi Petro, propter maximam illam discordiam Romanorum, et Parisiensium. Hi vero quibus adhaeret Gerson, tenent totam datam esse Ecclesiae, licet exercendum per unum; atque adeo in aliquibus saltem » casibus concilium esse supra Papam ». Tum subjungit Febronius, banc se quaestionem in medio relinquere.

Hic porro videtur non solum in medio quaestionem relinquere, de qua hic non agitur, num in aliquibus saltem casibus concilium sit supra Papam; sed et in dubium, et discrimen vocare, quod paullo superius constanter, et aperte docuit, certissimisque auctoritatibus confirmavit, claves Petro *principaliter* a Christo datas esse: quin videtur et istud in quaestionem adducere, de quo nihil in allato Navarri testimonio, an Christus Petro *per se ipsum* clavium potestatem consignaverit; quasi non per seipsum Christus Petro dixisset: *Tibi dabo claves:* et rursum: *Pasce oves meas:* et insuper: *Confirma fratres tuos.*

Neque vero est, quod in hac excitanda dubitatione tueri se, ac tegere auctoritate Navarri sibi blandiatur. Ait Navarrus, suum non esse consilium in praesentia quaestionem illam definire. Aperienda erat proinde praesentis ejus consilii ratio. Nimirum, quum ecclesiasticam potestatem definire aggressus esset Navarrus, propositum ipsi fuerat ejusmodi definitionem edere, quam nemo, qui catholicus audire vellet, nec Almainus ipse inficiari posset. Ob eam caussam abstinendum sibi duxit eo loco ab ea disputatione, quae de superioris auctoritatis contentione, quod attinet ad Pontificem, vel concilium, nonnullis in scholis vertebatur; nec adeo quaestionem attingendam, quae de subjecto clavium prodierat non solum Romanos inter, et Parisienses, sed et inter Parisienses ipsos, qui tamen plurimi ab Richerii errore longissime semper abfuerunt, quod forte Navarrus non satis caute animadverterat. Aliunde quid de tota illa contentione senserit vir religione non minus, quam doctrina, et eruditione praestans, intelligi potest ex iis, quae scripsit 3 *lib. Consil. Tit. de his, quae fiunt a maj. par.*, videlicet Papam longe aliter praeesse concilio generali, quam archiepiscopum provinciali: » Quia, *inquit*, Papa praeest ut persona, in qua residet tota potestas Ecclesiae, » ita quod solus potest statuere quidquid cum » concilio posset ». Quin et *in hac ipsa Relect.* *in cap. Novit*, quae a Navarro pronunciata est an. aetatis suae 55, in inclyta conimbricensi academia, testatur, quidquid dicturus est, ea se mente dicturum, ut nolit vel transversum, ut ajunt, unguem secedere a romana, quae una est omnium magistra, Ecclesia.

Sed jam forte vereri coepit Febronius, ne quidquam a se praetermissum videretur, quod ad minuendam quoquo modo pontificiam auctoritatem valere posset; majora deinceps hujusce sui studii, et animi exempla daturus. Caeterum quod ex illis Navarri verbis definire non audet, num Pontifex non aliter suam potestatem accipiat, nisi quatenus hanc Christus Ecclesiae toti contulerit, exercendam tamen per unum; in eo primum suam inconstantiam prodit, qui paullo ante disertis Scripturae testimoniis patefecerit, Apostolos in regendis ecclesiis ita se gessisse, ut nihil se a corpore tenere plane ostenderent, suisque muneribus non Ecclesiae, sed Christi Domini nomine perfunctos esse: deinde haec ipsa ejus inconstantia eo minus excusationis habet, quod Febronio, si quidem constare sibi voluisset, nulla metuenda controversia videbatur vel cum doctoribus illis, qui episcoporum potestatem suis in regendis dioecesibus non a coetu fidelium, sed a Christo *immediate* repetunt. Quod enim isti omnibus indiscriminatim episcopis ultro concedunt, ut a Deo *immediate* suam potestatem accipiant, hoc ipsum uni romano Pontifici negare haud possunt; eo vel maxime, quod singularibus episcopis sua cuique portio gregis non divino, sed ecclesiastico instituto assignata est; Petro vero, ejusque successoribus grex totus divina est institutione commendatus. Praeterquamquod qui a Christo immediate jurisdictionem episcopalem repetunt, eam ipsam auctoritati romani Pontificis obnoxiam, et subjectam confitentur; et proinde haec ipsa, cui caeteri antistites divino jure subsunt, multo potiori ratione *immediate* Deo accepta referri debeat. Sed de his plenius infra dicetur.

POSITIO III

» Ecclesia est societas hominum, in qua baptizati fideles ex institutione Christi sub legitimorum pastorum, ac praecipue summi Pontificis regimine degunt ».

ANIMAD. Definitionem Ecclesiae sapienter a venerabili Bellarmino propositam vindicandam cum Tournelio suscipit adversus Launojum.

Agnoscit in Ecclesia verum regimen a Christo Domino institutum, triplici constans potestate, *judicatoria*, *imperativa*, et *coercitiva*.

Refellit propositam a protestantibus definitionem Ecclesiae, qua dicitur *societas aequalis ad colendum Deum secundum doctrinam a Christo traditam*, etc. Ostenditque, haud aequalem dici posse societatem, in qua ex Christi instituto alii sunt *regentes*, alii *parentes*.

POSITIO IV.

» Hujus regiminis potestas a Christo institu-
» ta veram subjectionis, et obedientiae obliga-
» tionem multitudini imponit ».

ANIMAD. Perfectum regimen tribus ex partibus coalescere docet, potestate nimirum *legislatoria, judicatoria, et coercitiva;* confirmatque, triplicem hanc potestatem Christum praepositis Ecclesiae contulisse; quam in rem aptissimis utitur Apostoli testimoniis. Tum addit: » Longum foret enumerare determinationes, » constitutiones, praecepta, et mandata alia ab » Apostolis pro re nata edita, quae in eorum » epistolis prostant; multo magis canones, qui » ab Apostolorum successoribus pro temporum » varietate, et rerum exigentia in synodis con- » diti sunt ».

Mox recitata protestantium sententia, qui statuunt, transisse quidem ab Apostolis in posteros docendi munus, non item ferendi leges; eorum errorem coarguit his verbis: » At quis non » intelligit, sicut in nulla alia, ita nec in christia- » na, perpetuo duratura, societate sine legislato- » ribus aeque parum pacem, et felicitatem Ec- » clesiae, ac sine doctoribus sanam doctrinam » religionis christianae conservari, promoveri- » que posse »?

De judiciaria potestate, quod attinet ad controversias fidei, ac morum dirimendas, videtur sese Tournelii explicationibus magna ex parte accommodare voluisse.

Quod attinet ad coercendi, puniendique potestatem, agnoscit » habere Ecclesiam, vel a se » ipsa, et vigore suae institutionis jus suos fi- » deles ad obedientiam cogendi, imponendi eis » poenas canonicas, non salutares tantum, sed » veras poenas spirituales, mediis sententiis, et » censuris, quas primi pastores jus habent in » refractarios pronunciandi »....

Ex his concludit, non posse non agnosci, quod » independenter ab ea parte jurisdictionis, qua » ex liberalitate christianorum principum Ec- » clesia fruitur, ipsa etiam ex propria sua sub- » stantia exteriorem, veramque jurisdictionem » obtineat; quae includit potestatem in crimi- » na inquirendi, reos ad suum tribunal vocan- » di, testimonia, et probationes recipiendi, sen- » tentias pronuntiandi, et spirituales poenas » infligendi » (1). At vero de toto isto genere poenarum spiritualium, quarum infligendarum potestatem Ecclesiae concedit, deque parte illa jurisdictionis, quam christianorum principum liberalitati acceptam refert, quum non satis explicate mentem suam aperire voluerit, verba ipsa recitabimus, quibus illam aut intelligendam, aut divinandam proposuit: » Quum » igitur, *inquit p.* 28, summum in Ecclesia coer- » citionis genus excommunicatione, seu priva- » tione juris christianae societatis contineatur; » istiusmodi autem privatio ea dumtaxat bona » spectet, quae a societate ista, qua tali, pro- » manant (2); regula indo velut suapte nasci- » tur, qua discernere, quas coercitiones Eccle- » sia jure proprio intentare valeat: atque dum » aliquas facinorosis, ut ad frugem redeant, ro- » ipsa infligit, quid in iis agat jure proprio; » et divino, quidve ex principum saecularium » concessione, atque assistentia: ita reveren- » dissimus Rautenstrauch, Inst. jur. Eccl. sect. » 1 » etc.

Quam vim huic regulae, quasi per transennam indicatae, tribuat Febronius, curiosius rimari non vacat. Tantum, ne aliquis in spiritualium poenarum intelligentia nobis error objiciatur, notandum ducimus, poenas canonicas, quae vel priorum saeculorum usu invaluerunt, inter eas a Febronio ipso enumerari, quas *vigore suae institutionis,* jure scilicet proprio, ac divino Ecclesia valet infligere. Jam istud notis-

(1) Fatetur Febronius, quod per sese perspicuum est, poenas canonicas ab Ecclesia jure suo statutas fuisse: quippe quae a primis jam Ecclesiae saeculis decretae fuerint, quo tempore quum Ecclesia modis omnibus a saeculi principibus vexaretur, nihil sane juris, aut potestatis venia eorum, vel concessione nancisci potuit. Porro poenae istae canonicae canonum auctoritate publice in Ecclesia sancitae non in sola interiori poenitentis animae castigatione sistebant, sed et reos ipsos in exteriore judicio convictos, vel confessos publicis corporalibus afflictationibus perferendis addicebant: quas justes, debitasque poenas persolvere illi tenebantur, quibus erant impositae, ut eas per contumaciam evadere non possent, quin se novo scelere obstringerent. Quo patet, quam alienum sit, quod ab ecclesiasticae auctoritatis obtrectatoribus afferri solet, primis illis temporibus liberum fuisse, prout cuique libuisset, poenis indictis subjicere sese, aut subtrahere: nec enim, si de justa libertate agitur, libera dici valet justi praecepti violatio: nec imposita lege solutus, ac liber est existimandus, qui, etsi possit impune non parere, non ideo solvere se potest obligatione parendi. Nulla quippe justa libertas contra praecepti obligationem. Propterea, si quibus erat imposita poena canonica, latae in eos sententiae parere tenebantur; debita haec in subjectis parendi obligatio vigentem in praepositis demonstrat ferendae sententiae auctoritatem legitimam. Quo magis, magisque constat, a Deo in Ecclesiam manasse potestatem, qua semper usa est, disciplinae non modo constituendae, sed et consentaneis poenis sanciendae, quam absonum foret principum indulgentiae in illis primordiis acceptam referre.

(2) Nonnihil ambiguitatis habet, quod hic subjungit Febronius, *privationem juris christianae societatis,* qua excommunicatio continetur, *ea dumtaxat bona spectare, quae a societate ista, qua tali, promanant.* Nam si hoc ita vult intelligi, quasi excommunicatio non aliam privationem inducat, quam ut excommunicatus a sacramentorum perceptione, et a communione in divinis cum fidelibus arceatur, profecto repugnat apostolicae sanctioni, qua excommunicati a civili etiam fidelium consociatione arcentur; cujus exterioris poenae infligendae auctoritatem Ecclesiae non denegabit, quiquis meminerit apostolici praecepti: *Cum ejusmodi nec cibum sumere;* atque ut est apud Johan.: *Nec ave ei dixeritis.* Qua in re permultis Ecclesiae legibus, et a doctissimis viris diligenter, et accurate pertractata non est hujus loci diutius immorari.

simum est, poenas canonicas, quae ipsis antiquis canonum statutis decernuntur, tametsi tali fine spirituales jure, ac merito dicantur, spectato genere ipso corporalem sane perpessionem, totiusque personae afflictationem quamdam inferre; quarum proinde infligendarum potestatem quisquis Ecclesiae volet abjudicare, illi erit cum Febronio ipso confligendum. Et quamquam evenire queat, ut contumaces homines perferre illas detrectent, non propterea obligatione solvuntur, qua jubenti Ecclesiae parere tenentur; siquidem, ut ad extremum docet Febronius: » Legislatoriam, judiciariam, » et punitoriam potestatem parendi seu obe» diendi obligationem post se ex parte subje» ctorum trahere, sponte intelligitur ».

POSITIO V.

» Propterea inter duodecim Apostolos unus » (Petrus) electus est, ut capite constituto » schismatis tollatur occasio ».

ANIMAD. In Positionis hujusce confirmationem longum satis, nec a proposito alienum profert Bartbelii testimonium, quod brevitatis caussa nonnisi ex parte referemus. Sic autem habet p. 34: » Episcopi longe plurimi sunt in » Ecclesia; quo autem plures sunt, eo citius in» ter multos reperiuntur contentiosi, pertina» ces, scientia inflati, et charitatis, vel etiam » scientiae aedificantis expertes. Locorum inter» vallis per totum orbem distincti raro in unum » coeunt adeo; ut non sit alia facultas cohiben» di haereses, et schismata, utpote quae ut can» cer serpunt, quam subordinatio, et dependen» tia illorum ab uno, et primo visibili capite, » necessaria, et eximia potestate eosdem in of» ficio, ordine, et communione continendi in» structo; sine quo alioquin multitudo episco» porum induceret confusionem, et saltem ad » haereses, schismataque fovenda plus virium » haberet, quam ad rectae fidei consensionem, » et unitatem religionis promovendam, et con» servandam. Atque tota in eo conspirat vene» randa Patrum antiquitas, et constans Eccle» siae traditio, primatum Petri nexum, et vin» culum esse communionis ecclesiasticae » etc.

Ex his porro intelligere facile potuit Febronius, quam necesse sit ad fidei, disciplinaeque conservationem, ut divisi per orbem episcopi supremi capitis auctoritate regantur; nec eam verbis tantum, et velut ad speciem observent, ac vereantur, quasi singulis episcopis jus, fasque sit decreta, quae a Sede apostolica eduntur, judicio suo subjicere; ac, prout ea magis, vel minus convenire censuerint, ex arbitrii sui sententia recipere, vel respuere. Quam facultatem si singuli sibi episcopi sumerent, nemo non videt futurum, ut ex ea turpis illa confusio, totiusque ordinis perversio exoritura esset, quam non aliter praecaveri posse graviter monet Bartbelius, nisi firma, et integra in capite maneat excellens illa potestas, quae singulos episcopos in officio, ordine, et communione contineat.

Primatus insuper necessitatem, p. 36, Febronius vel ipsa etiam illustrium inter acatholicos virorum, Grotii videlicet, ac Leibnitii confessione confirmat. Quo loco velim ipse cogitet, num satis catholicum antistitem deceat, vix paulo majora, et aegre quidem, summo Ecclesiae Pontifici concedere, quam quae isti acatholici rei perspicuitate convicti ultro ei detulerunt.

Jam itaque Febronius hoc ipso loco, dum romani Pontificis primatum vereri se profitetur, hoc tamen monitum addendum censuit: » Sum» mus Pontifex Ecclesiae caput est (1), non a

(1) Nil antea notandum censueram in eo, quod monet Febronius, romanum Pontificem, dum caput Ecclesiae dicitur, non caput *essentiale*, ac principale, quod Christus est, intelligi oportere, sed *ministeriale*: quippe ex antecedentibus recte id intellectum a Febronio videri poterat. At mirum, quanto studio proximis hisce temporibus distinctionem illam urgere coeperint pontificii primatus oppugnatores, rati, se terrificum quid in illo *ministerialis* capitis vocabulo reperisse, quo ea, quae inest in capitis appellatione, dignitatis amplitudo non imminuatur modo, sed et penitus dejiciatur! Inepti, qui se tam inscienter jactant in unius captiosae vocis ambiguitate, quae nullo negotio depellitur. Etenim ministerialis isthaec appellatio una est ex illis vocibus, quae ad aliud referuntur: ut proinde, quae sit cujusve ministerialis officii ratio, intelligi nequeat, nisi perspectum sit, quo principali auctore, cujusve muneris fungendi caussa sit illud ministerium demandatum. Quare ad rectam hujusce appellationis intelligentiam, quum romano Pontifici tribuitur, quaerendum ante omnia est, cui principali auctori, et qua de caussa sit romani Pontificis ministerium referendum. Quaestio nec obscura, nec difficilis. Quippe idem est, ac quaerere, utrum ne Petrus a Christo, an ab Ecclesia caput sit Ecclesiae constitutus? Jam quis catholicus dubitet, quin Petrus non a grege, non a coetu fidelium, non ab Apostolis, aut discipulis, quos omnes prima Christi alloquutio illi subjecerit, sed ab ipsomet Christo fuerit vicaria potestate in terris relictus, qui gregis pascendi, fratres confirmandi, Ecclesiae totius regendae curam, ministeriumque susciperet? Quod si verum est dicere de Petro, verum quoque necesse est esse de Petri successoribus romanis Pontificibus, in quos transit eadem ministerii potestas, quam a Christo Petrus accepit. Ita scilicet » concilio florentino definitum est: » Sanctam apostolicam Sedem, et ro» manum Pontificem in universum orbem tenere pri» matum, et ipsum Pontificem romanum successorem » esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum » Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et » omnium christianorum patrem, ac doctorem existere; » et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gu» bernandi universalem Ecclesiam *a Domino Nostro* » *Jesu Christo* plenam potestatem traditam esse ». Capitis ergo *ministerialis* tota vis, et ratio in Petro, Petrique successoribus hoc unum prae se fert, Petrum prae ceteris electum seu Christi verum vicarium, et ministrum, qui Christi vice, nomine, ac potestate, ab uno principali auctore Christo accepta, toti Ecclesiae regendae, et gubernandae praeficeretur.

Atque hoc ipsum de Petri successoribus romanis Pontificibus ex aequo valere, si forte minus auctoritate florentini decreti adversariis nostris persuadere

» corpore independens, sicut Christus; sed ejus
» sustentatione, ac ope indigens, sine qua suam
» firmitatem, vigorem, et dignitatem amitteret,
» quemadmodum Sixtus III scribebat ad episco-
» pos Illyrici anno 437, apud Coustant, col.
» 1272 ».

Verum, ne quid ambiguitatis hic relinquatur, notandum, quum quis ab alio pendere dicitur, dupliciter id intelligi posse; vel quatenus alienae opis indiget, quemadmodum et reges ipsi a subjectis populis pendent; vel quatenus alienae auctoritati velut superiori obstrictus sit, quo pacto non reges a populis, sed populi pendent a regibus. Quod homo quisque alienae opis indigeat, id quidem humanae conditioni sic cohaeret, ut ab ea separari nullo modo possit: hac propterea indigentia laborare Pontificem, opusque habere ab Ecclesia sustentari, ultro fatendum. Quod autem hoc sensu ab Ecclesia pendeat, quasi ab Ecclesia auctoritatem suam mutuetur, id vero nullo pacto concedendum. Neque alia sententia ex allato Sixti III testimonio elici potest. Primum quidem eo loci non loquitur Sixtus nominatim de Ecclesiae capite; sed, posteaquam Illyrici episcopos monuit, ut Anastasio Thessalonicensi, cui suas vices commiserat, reverentiam exhibeant, quae capiti debetur, tum ea verba subjicit, quae sunt a Febronio relata, ex quibus non aliud colligi potest, nisi sublata subjectorum obedientia praepediri quidem posse auctoritatis exercendae facultatem, non ipsam vim auctoritatis imminui.

POSITIO VI.

» Quisquis contra singularem Petri cathedram
» aliam collocat, vel ab ejus communione per
» obedientiae negationem recedit, schismati-
» cus est ».

ANIMAD. Agnoscit, non pacto, non foedere, non ullo humano modo, sed Christi instituto factum esse » ut beatus Petrus, et post illum
» in hac perpetua Ecclesia perpetuo quis adsit
» tamquam caput visibile » etc. Addit: » Tan-
» tam esse, tamque gravem obligationem in
» hac unitate vivendi, ut qui, etiam injuste ab
» ea praecisus, non curat, ut in communionem
» recipiatur, separationem ex propria contu-
» macia approbare censeatur; proinde veluti
» schismaticus jure habeatur ». Tum prolato in hanc rem Nicolii testimonio, rite perstringit eorum contumaciam, qui tamdiu patiuntur, se ab ea unitate divelli. » Frustra igitur, *inquit*,
» nonnulli eo se se nomine purgari existimant,
» quod a communione Sedis apostolicae se non
» separaverint, sed ab ipsa Sede exclusi, et
» separati fuerint; dum haec separatio ex eo-
» rum culpa originem duxit, et pertinacia eo-
» rum in caussa est, ne in communionem re-
» cipiantur ». Utinam aliquando huic gravissimo Febronii monito isti pareant, intelligantque, ad Christi ovile non pertinere, qui pastoris a Christo praepositi vocem refugiunt, aspernantur auctoritatem.

Demum Febronius eos pergit refellere, qui ad valorem excommunicationis consensum ecclesiarum desiderant. Qua de re superius dictum est.

POSITIO VII.

» Primatus non ordinis, Inspectionis, ac di-
» rectionis tantum est, sed verae auctoritatis,
» et jurisdictionis ».

ANIMAD. Scripserat Febronius primo illo libro, quem *de statu Ecclesiae* edidit, c. 1, §. XI:
» Principatum summi Pontificis per universam
» Ecclesiam non tam esse jurisdictionis, quam
» ordinis, et consociationis ». Respuit hac sua Positione dictum istud a catholico dogmate nimium abhorrens, romanumque Pontificem agno-

possumus, auctoritatem certe non detrectabunt auctoris ejus *Defensionis*, quem *tamquam sydus Ecclesiae recentius nunquam in desertarum* Febronius ipse profitetur Posit. 11, p. 72. Eum igitur, velim, audiant sic scribentem part. 3, lib. 10, c. 5: Romanam Ecclesiam *ex ovita, atque apostolica traditione eo jure, ea dignitate esse, ut quemcumque sibi, eumdem etiam Ecclesiae universae ducem, pastoremque eligat.* Quod si ex apostolica traditione id juris habet romana Sedes, ut qui ei praeficitur, hoc ipso dux, et pastor Ecclesiae universae constitutus intelligatur; profecto et hoc intelligitur, humano quidem facto evenire, ut unus prae aliis Pontifex romanus eligatur, non tamen humano, ac mutabili, sed plane divino, et immutabili jure statutum esse, ut qui est in Petri Sede locatus, ut Christi vicarius, ac minister, non secus ac Petrus, totaque Petri a Christo accepta auctoritate toti praesit Ecclesiae.

Hac significatione, quae una se offert catholicis auribus, catholici doctores, qui hanc vocem capitis *ministerialis* interdum usurparunt, non aliud conceptum animo gerebant, quam hoc unum, quod dictum est, Petrum hoc ipso, quod vicarii, atque adeo ministri Christi personam gereret, vicaria quoque, atque adeo *ministeriali* a Christo tamquam principali auctore accepta potestate in Ecclesia regendae praeditum fuisse. Qui vero nativam hanc significationem in alienam per insignem fraudem detorquent, quasi Petri successores non, ut Petrus immediate a Christo, sed ab Ecclesia ministerii potestatem accipiant, quo in Ecclesiae gubernatione funguntur; ii turpiter, et impie desciscere convincuntur a Verbi Divini cum scripti, tum traditi auctoritate, quam permultis prolatis, iisdemque aptissimis testimoniis Febronius ipsemet Posit. I luculenter asseruit.

Quamquam nec a pontificiae dignitatis amplitudine alienum est, ut hac significatione Pontifex dicatur Ecclesiae minister, quatenus non pro se, sed pro Ecclesia ministerii potestas est a Christo instituta. Quod et Apostoli testimonio declarari potest (Colos. 1, v. 7): *Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu;* quo a Christo profecta ostenditur ministerii potestas, quam per Pauli missionem Epaphras acceperat. Additur: *at pro vobis;* qua declaratur pro salute quidem fidelium, non tamen a coetu fidelium ministerii munus illis esse demandatum, qui regendis ecclesiis ex Christi instituto ab Apostolis praeficiebantur.

scit, non honore tantum, ac dignitate, sed et auctoritate, ac jurisdictione praecellere (1).

Inter alia primatus jura istud initio commemorat » quod mitterent romani Pontifices sub» inde viros in terras remotas, qui in fidem » inquirerent, et primatis nomine ac manda» to de unitate aut servanda, aut restituenda » invigilarent. Ejusmodi legatos, seu nuncios » (qui et vicarii quandoque appellabantur) » mittendi morem antiquissimum esse, et ad» modum frequentem » pluribus monumentis demonstrat, concluditque: » Has legatorum mis» siones, quando eas unitatis, ac fidei servan» dae necessitas postulat, cum ipso primatu » originarie connexas quisque facile intelligit ».

Verum, quod non sine intimo doloris sensu dicere cogimur, in exponendis deinceps primatus juribus sive in hujus Positionis explanatione, sive in totius operis decursu sic versatur Febronius, ut ea non illustrare, sed obscurare potius, atque in angustum contrahere, quoad posset, ac prope in nihilum redigere voluisse videatur.

In dirimendis controversiis, quae ad fidem, moresve pertinent, non aliud Pontifici tribuere videtur, quam ut ejus judicio velut *provisorio* magna reverentia debeatur, et a particularibus ecclesiis exhibeatur eo etiam fine, eaque auctoritate, ut latius non serpant errores, grassenturque haereses. Qua in re licebit quidem Febronio Gersonii, aliorumve recentioris aevi patrocinio uti; non item remotioris antiquitatis praesidio, cujus tamen ille studiosissimum se profitetur. Sane, quum in duplici Orientalium dissidio, cuinam scilicet ex antiochenis episcopis esset communicandum, atque utrum tres in Deo hypostases, an una hypostasis, et tres personae dicendae forent, Hieronymus Damasi sententiam his verbis efflagitabat: » Obtestor » beatitudinem tuam, ... ut mihi epistolis tuis » sive tacendarum, sive dicendarum hyposta» seon detur auctoritas ». Facile quisque intelligit, sic ab eo requisitam fuisse apostolicae Sedis auctoritatem, ut in ea tamquam in veritatis oraculo firme, tutoque conquiesceret; sic enim mentem ipse suam aperit *epistola* 57 nostissima (1). Sic dum Basilius ad Athanasium scribebat, *epist.* 69, his verbis, quae recitantur a Febronio p. 46: » Visum est mihi, ut scriba» tur episcopo romano, ut quae hic geruntur, » consideret, et sententiam expromat »: putabimus, ab illis gravissimis, sanctissimisque Patribus non aliud espectatum fuisse, nisi pendens, et *provisorium*, quod nuncupant, judicium, quod animos ut antea dubios, incertosque relinqueret; non autem fixam, certamque sententiam, quae rem definiret, omnemque in posterum dubitationem amoveret? Jure proinde summus Pontifex Agatho non ad Sedis suae ostentationem, ut probe notat Tournelius *de Eccles. q.* 3, *art.* 2, sed ad salutem publicam sic ad imperatores scripsit: » Petri adminiculo praesidio » haec apostolica ejus Ecclesia nunquam a ve» ritatis via in qualibet erroris parte deflexa est, » cujus auctoritatem, utpote Apostolorum o» mnium Principis, semper omnis catholica

(1) Qui romano Pontifici collatum divinitus honoris primatum concedunt, juris, et potestatis negant, quaerere ex his non alienum videtur, num existiment, in eo constituendo primatu Christum ad honoris gradum spectasse potius, quam ad munus, et officium primatui adjunctum? Quis porro putet, Christum, qui ministrare venit, non ministrari, voluitque, ut qui major inter suos futurus esset, minor fieret, dum unum caeteris praeposuit, de gradu honoris cogitasse, qui ad otiosam personae amplitudinem dumtaxat pertineret; non de vicaria potestate, qua universi gregis utilitati, salutique prospiceret? Quid Ecclesiae profuisset unum praeponi, cui primae tantum salutationes deberentur? At profecto non ea fuit ratio principatus a Christo in regno suo, quod est Ecclesia, constituti. Unum selegit, cui claves commisit, quae, si potestatem significant in membris, quibus communicantur, multo eam excellentiorem demonstrant in capite; unum, cui gregis sui et oves, et agnos pascendos tradidit: unum, quem fratres suos confirmare jussit. Quae munera omnem illam praestantem auctoritatem complectuntur, ac praeseferunt, sine qua rite praestari nullo modo possunt. Quo satis intelligitur, non ita Petro, Petrique successoribus collatam a Christo primatus dignitatem, ut in insigni quodam honoris, velut in magni nominis umbra consisteret; sed ut potestatis praestantiam pro salutari totius corporis regimine institutam ipsa, ut par est, praestantia honoris comitaretur.

(1) Edit. Vallars. 1, class. XV, ad Damasum, quem *doctor maximus rogat, ut sibi significet, an tres hypostases in Deo dicendae sint, vel tacendae; et cum quo apud Antiochiam communicare debeat.* » Ego, » *inquit*, nullum primum, nisi Christum sequens » beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, communio» ne consocior ». Praeclara verba, quibus ostendit Hieronymus ei, qui Christum sequi velit, necesse prorsus esse, ut cathedrae Petri communione consocietur: simulque, dum ait, *beatitudini tuae, idest cathedrae Petri communione consocior*, plane significat, auctoritatem cathedrae non in alio ab Hieronymo agnitam esse, quam in eo, qui cathedram teneret: quo patet, quam longe recedant a Patrum mente, ac sententia, qui cathedram sejungere moliuntur ab eo, qui praeest cathedrae. Sequitur porro Hieronymus: » Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Qui» cumque extra hanc domum agnum comederit, pro» phanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit » regnante diluvio ». Ac deinceps: » Non novi Vita» lem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque » tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi » non est, antichristi est ». Et n. 5: » Quamobrem » obtestor beatitudinem tuam per crucifixam mundi » salutem, per Homousiam Trinitatem, ut mihi epi» stolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypo» staseon detur auctoritas ». Quis non agnoscat eam auctoritatem hoc loco ab Hieronymo quaesitam, quae certum, fixumque judicium contineret? Epist. porro XV..., alias 58, ad eumdem Damasum: » In tres » partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat... » Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri jun» gitur, meus est; Meletius, Vitalis, atque Pauli» nus tibi haerere se dicunt.... idcirco obtestor » beatitudinem tuam,.....ut mihi litteris tuis, » apud quem in Syria debeam communicare, signi» fices ». Quibus verbis palam fit, de communionis necessitate cum romano Pontifice non aliter Meletium, Vitalem, Paulinum sensisse, ac sentiret Hieronymus.

» Christi Ecclesia, et universales synodi fideliter » amplectentes in cunctis sequutae sunt; omnes» que venerabiles Patres ejus doctrinam amplexi ». Alia priscis e saeculis petita ejusdem veritatis monumenta deinceps suo loco proferentur.

Hanc tot aetatum decursu delapsam ad se Patrum traditionem collegit Bernardus,hisque verbis complexus est *epist.* 190 *ad Innocentium*: » Oportet ad vestrum referri apostolatum peri» cula quaeque, et scandala emergentia in re» gno Dei; ea praesertim, quae de fide contin» gunt. Dignum namque arbitror, ibi potissi» mum resarciri damna fidei, ubi non possit fi» des sentire defectum ».

Pergit Febronius p. 48: » Si privatis ecclesiis » judicio summi Pontificis non acquiescentibus » mota controversia magis inardescit, uti conti» git in causa nestorianorum, monothelitarum, » protestantium ita, ut malo levando unicum su» persit generale concilium, tum ad praecipuum » romani Pontificis munus pertinet eum, et ope» ra, ut ex universo orbe episcopi catholici con» vocentur sub hierarchico ipsius praesidio,ortas » in fide, et moribus controversias ultimato » et inerrabili judicio decisuri: de quo nos in» fra » etc.

Ambigua sane oratio, ut mitius loquar. Aliud est agere de subortis erroribus efficaciter comprimendis; aliud de iisdem damnandis, controversiisque fidei, ac morum certo, nec errori obnoxio judicio dirimendis. Quod ad grassantis haeresis incendium restinguendum praesentem opem, eamque opportunissimam concilii generalis convocatio afferre quandoque valeat, facile id quidem dabitur. Quod vero evenire aliquando possit, ut citra concilium error plane damnari, et suborta controversia de re ad fidem, aut mores pertinente *ultimato*, nec errori obnoxio judicio definiri nequeat, id vero a catholico dogmate abhorret plurimum.

De legum ferendarum potestate sic statuit Febronius p. 48: » Potest itaque Pontifex pro ca» nonum exequutione, et observantia leges con» dere, quas episcopi tum solum non tenentur » recipere, si particularium ecclesiarum neces» sitas, vel evidens utilitas contrarium suadeat ».

Duo hic notanda sunt: Primum, condendae legis potestatem non aliter, nisi pro urgenda canonum observantia Pontifici concedi: alterum, episcopos pontificiis hisce legibus, latis pro canonum observantia, tum solum teneri, si quidem particularium ecclesiarum non repugnet necessitas, vel evidens utilitas.

Sed 1. non minorem Pontificum decretis,quam canonum statutis vim inesse, tota sane antiquitas agnovit. Equidem perpetua haec laus fuit apostolicae Sedis, ut sanctissimas Patrum regulas et ipsa coleret summopere, et ab omnibus servari diligentissime curaret. Quo pertinet Caelestini dictum *apud Coustant Praef. num.* 41: *Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur. Simus subjecti canonibus, quum canonum praecepta servamus*. Sed ne verbis illis putaretur Caelestinus, minorem vim tribuisse Pontificum decretis, quam canonum statutis, continuo monet Petrus Coustant num. 42: *Inter eas regulas, quibus non dominari, sed subesse vult Caelestinus, reponere ipsum non modo synodorum canones, sed romanorum etiam Pontificum decreta*. Siquidem Caelestinus, ut rite Coustant pergit animadvertere: » Duo haec sane commendat, quum » ait, *nulli sacerdotum suos liceat ignorare cano» nes; nec quicquam facere, quod Patrum pos» sit regulis obviare* » praesertim quum id proxime adjungat: » *Quae enim a nobis res digna » servabitur, si decretalium norma constitutorum » pro aliquorum libito licentia populis permissa » frangatur?* Qua in re videtur exemplum sibi » sumsisse ex s. Siricio, qui postquam Hime» rium Tarraconensem *ad servandos canones, et » tenenda decretalia constituta cohortatus est, ge» nerale illud effatum pronunciat: statuta Sedis » apostolicas, vel canonum venerabilia definita » nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum*. » Unde manifestum est, piissimis illis Ponti» cibus persuasum fuisse, episcopos omnes non » minus apostolicae Sedis decretorum, quam » synodicorum canonum scientia instructos esse » oportere ». Id ipsum probat insuper, quum celebri Gelasii testimonio, tum maxime Leonis Magni decreto, cujus intelligentiam egregie idem scriptor vindicat » adversus famosum edi» torem (verba sunt Coustantii), qui dum Leo» nis dictum, ad suam de Codice canonum a se » vulgato sententiam accommodare vult, ita id » interpretatur, ut lectoris animum a genuino » Leonis sensu longissime abducat ».

2. Loquitur allato loco Febronius de legibus, quas condat Pontifex pro canonum exequutione, et observantia. De his autem sic statuit, tum solum episcopos non teneri eas recipere, *si particularium ecclesiarum necessitas aut evidens utilitas contrarium suadeat*. Proinde non ipsa solum lex pontificia, sed et canones, quorum urget ea exequutionem, et observantiam, cujuslibet singularis episcopi judicio subduntur; eique permittitur, ut de canonibus, quos vel synodus generalis ediderit, pro sua prudentia judicet, num recipere illos, vel repudiare debeat. Repetat quaeso memoria Febronius (quos sane familiares habet) synodum pene omnium canones, videatque, num in eis praesertim, qui primis saeculis prodierunt, vestigium extet ejus arbitrii, quod allato loco singularibus episcopis tribuit; an non potius ipsae synodi pro suo jure, et imperio decernant, ac praecipiant, quid ab episcopis sibi subjectis servari omnino velint, poenis etiam indictis adversus eos, qui conciliare statutum aut servare neglexerint, aut violare praesumserint. Quis non videat, si aliquando jus, fasque sit episcopis latas a Pontifice, vel concilio leges pro suo arbitrio amplecti, aut respuere, omnem superioris auctoritatis aciem

hebescere, nihilque superesse, quo fusi per orbem episcopi efficaciter in ordine, et officio contineantur? quod si desit, nec suprema capitis Ecclesiae auctoritate praesletur, foedam prorsus orituram in Ecclesia rerum omnium perturbationem, confusionemque prudenter paulio aute monuit Barbeiius.

Pag. 49, agit Febronius de jure, quod habet Pontifex, supplendae praelatorum negligentiae; tum adjungit: » In hoc consistit jus *devolutio-* » *nis*; non in praecipiendis juribus ordinario- » rum, aut eorum functionibus, quum ipsi » eas exequi possunt, et volunt, occupandis. » Est autem jus illud devolutionis *supremum*, quo » laedi minime debent jura devolutionum in- » termedia, praelatis Pontifice inferioribus com- » petentia ».

Videtur hoc loco Febronius negare, fas esse Pontifici jure ordinario, seu aliter, quam pro supplenda praelatorum negligentia, singulis in dioecesibus munia exercere, quae propria sunt pastoralis officii; quod idem est, ac velle supremo Ecclesiae universae pastori universale jus pascendi eripere. Atqui tamen constat, Christum Petro, et in Petri persona successoribus ejusdem romanis Pontificibus jus istud pascendi et universale et *immediatum*, ut vocant, contulisse.

Dico *universale*. Qua de re luculentum extat, ac celebre Bernardi testimonium, superiorum aetatum constantem traditionem complectens *l.* 2. *de Consider. c.* 8: » Habent illi sibi assignatos » greges, singuli singulos: tibi universi crediti, » uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum » omnium tu unus pastor... *Oves meas*, inquit. » Cui non planum, non designasse aliquas, sed » assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi di- » stinguitur nihil ».

Dico *immediatum*. Et sane Febronius ipse *Posit.* 36, *p.* 227, statuit, *primitus indivisum fuisse episcopatum: poterat* (addit ille) *quilibet episcopus ubivis terrarum suam libere exercere potestatem*. Quod quidem, si de facto agitur, quam verum sit, in praesentia non disputo. Certe notum est, ab Apostolis Jacobum in ipsis nascentis Ecclesiae primordiis Hierosolymis praepositum fuisse; praetereaque alios aliis in locis constitutos episcopos Actus Apostolorum, Pauli Epistolae, et Johannis Apocalypsis abunde testantur. Quod si ad jus quaestio revocatur, non contendet Febronius, eam potestatem, quam putat, episcopos libere ubivis terrarum primitus exercuisse, non fuisse Petri potestati subjectam. Quod si negaret, et cum catholico dogmate, et secum ipse confligeret. Quis proinde negaverit, quod quilibet episcopus ubivis terrarum libere faceret, non idipsum pleniori, firmiorique jure Petrum, Petrique successores facere potuisse?

Sed quod ad singulos episcopos attinet, illud fortasse Febronium fefellit, quod a Petavio notatum superius retulit; nimirum episcopos prius designatos, quam Ecclesiae corpus coaluisset. Verum aliud est, quod episcopi ante designati fuerint, quam certis gregibus assignati, quod unum ex Petavii dicto elicitur: aliud, quod ii episcopi ubivis terrarum libere suam potestatem exercere possent; quod, ut mox videbimus, nulla firma ratione nititur, certisque aliunde antiquitatis monumentis adversatur. Equidem Natalis Alexander, *Dissert.* 4, *in* I *sec.*, id episcopis tribuit, ut necessitate urgente etiam extra suas dioeceses « Ecclesiae subveniant in lo- » cis, qui catholico episcopo destituti sunt; sal- » va semper, et in omnibus romani Pontificis » auctoritate, quam divino jure, et immediate » a Christo institutam, et acceptam obtinet ». Sic enim Natalis suam ipse mentem explicat *Schol.* 3, ostenditque, hoc differre facultatem illam, quam necessitatis, charitatisque caussa episcopis tribuit, ab eminenti jure summi Pontificis, quod » romanus Pontifex summam ha- » beat, eamque *ordinariam* in Ecclesia univer- » sa potestatem, et auctoritatem; quam non » extraordinariis dumtaxat casibus (nec ideo » pro supplenda tantummodo praelatorum ne- » gligentia), et Ecclesiae periculis, sed semper » exercere potest, et in fideles universos, et » in ipsos Ecclesiae totius episcopos, quia *pasto-* » *rum omnium unus est pastor* ». Quae verba doctus scriptor exscripsit ex s. Eucherio Lugdunensi, sive alio antiquo, ut ille putat, episcopo gallicano (1), *Serm. de Nat. sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: pastorem pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves: pascit filios, pascit et matres; regit subditos, et praelatos. Praeiverat. Johan. Chrysost. homil.* 55, *in Matth:*

(1) Adscribit haec verba Natalis Alexander (*cit. Dissert.* §. 1, n. 4) s. Eucherio episcopo lugdunensi, seu alteri episcopo gallicano antiquo *in Sermone de natali sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, qui cum aliis sub nomine Eusebii Emisseni falso circumfertur*. Equidem homilias olim sub Eusebii Emisseni nomine vulgatas Brunoni Astensi potiori jure tribuendas multis est argumentis patefactum egregia praefatione in hujus commentaris in IV Evangelia, quae an. 1775 Romae cura, et studio eminentissimi de Zelada in lucem prodierunt. Sed quod attinet ad Eucherium, monet Natalis Alexander de *Scriptoribus Ecclesiasticis, sec.* 5, *art.* 20, duos esse distinguendos Eucherios, unum seniorem, juniorem alterum, utrumque episcopum lugdunensem; illum quinto, istum sexto seculo floruisse; additque: » Quin aliquae ex » homiliis illis, quae sub Eusebii Emiseni nomine » circumferuntur, sint Eucherii senioris, nullus du- » bitat ». Caeterum memoratus locus disertis verbis extat apud Brunonem Comment. in Johannem tom. 2, pag. 604. Insigne plane documentum vigentis eo aevo doctrinae, quam ex superiorum Patrum traditione acceptam retulit vir ille sapientiae, ac sanctitatis laude clarissimus. Nec enim, ut praeclare animadvertit praestans auctor laudatae praefationis, pag. XV: » Novis » sive interpretationibus efferendis, sive sententiis cu- » dendis scriptor hic allaborat; sed antiquiorum flo- » ribus veluti decerpendis, probatissimis scilicet ex- » plicationibus, institutionibus, documentis, effatis ». Quo semper magis elucet successio doctrinae a primis saeculis per medium aevum ad nos deductae.

Hieremiam uni genti Pater, hunc autem universo terrarum orbi Christus praeposuit. Hinc in magna lateranensi oecumenica synodo sub Innocentio III splendide jus idem universale in omnes ecclesias romanae Ecclesiae assertum est, quae, ut habetur c. 5, *disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, et magistra.*

Haec sane universalis Ecclesiae regendae ordinaria potestas ab ipsius Ecclesiae ortu splendide in uno Petro emicuit. Post Christi ascensum in Coelum, quum tota in coenaculo collecta esset Ecclesia, unus eidem Petrus praefuit, atque in locum Judae alium sufficiendum curavit, quod ipsum proprio jure per sese praestare potuisse, luculentissime testatur s. Johannes Chrysostomus (1). Auctam suis primis concionibus Ecclesiam regere idem perrexit summa semper, et ubique praesenti auctoritate usus sive in judiciu Ananiae, et Saphirae, sive in invisendis ecclesiis, quae post dispersionem multis locis per finitimas regiones constitutae fuerant; quam peragrationem *in Actis Apostolorum cap.* 9, notatam facile quisque intelligit, non merae urbanitatis, sed pastoralis officii caussa esse susceptam; sive inde c. 10 quum gentilitatem totam ut in ovilc, sic in fidem suam recepit, quum nimirum jussus est divinitus Corneiius Petrum arcessere, simulque ipsi, et in ipso gentilitati toti imperatum, ut a Petro acciperet, quid ipsum facere oporteret.

Constat itaque, in ipso christianae religionis exortu totam Ecclesiam sub universali, et immediato Petri regimine collectam constitisse. Subinde divisi episcopatus; suus cuique gregi pastor assignatus; et id quidem Ecclesiae instituto, ut fatetur Febronius. Quae sane peculiaris assignatio, Ecclesiae instituto inducta, nil detraxit, aut detrahere potuit de primaeva illa generali assignatione, qua Christus ipse universum gregem ei commisit, cui suas universe oves, suos universe agnos pascendos commendavit.

Quin et alii Apostoli, dum in ecclesiis, quas per diversa loca fundabant, episcopos constituebant, non propterea potestate se abdicabant obeundorum in eisdem pastoralium munerum. Colligitur id ex Act. c. 15: » Post aliquot autem » dies dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes » visitemus fratres per universas civitates, in » quibus praedicavimus verbum Domini, quo» modo se habeant ». Tum ex cap. 20: » A Mi» leto autem mittens Ephesum vocavit majores » natu Ecclesiae ». Sic etiam, quum idem Apostolus Titum reliquit Cretae, ut pastores per civitates constitueret, et quae deessent, corrigeret; non sibi, aut ipsimet Tito pastorale officium in eis civitatibus interdicebat. Scite propterea in hanc rem Thomassinus p. 1, l. 1, cap. 6, n. 20: » Quum particulares ab initio conderentur » Ecclesiae, Apostoli, ut mea fert opinio, qui » earum fundatores, et parentes erant, non ita » trauscribebant in episcopos eam auctoritatem, » quam sibi creatione hac spirituali pepere» rant, ut ea se ipsi spoliarent ». Additque: » Atqui sola apostolica Sedes Petri universalem » hanc haereditatem adivit Apostolorum ».

Itaque in ea temporum vetustate amplissima se prodit primarum sedium in inferiores auctoritas, et jurisdictio. Viguit vero potissimum haec potestas in alexandrina sede, et antiochena, utpote quae a Petro institutae fuerant, et a quo praecellentem illam auctoritatem manasse, indubitatis monumentis ostendit idem Thomassinus: ut proinde minime mirum videri debeat summum illarum sedium obsequium erga romanam Sedem, e cujus divino primatu ecclesiasticum suum primatum fluxisse agnoscebant, ut invicte alio loco demonstravimus.

Quam late pateret episcopi alexandrini in subjectos episcopos auctoritas, quum perspicuo Epiphanii testimonio, tum Epistolae synodi nicaenae ad alexandrinam ecclesiam confirmat doctus abbas Bacbinius; quibus recitatis, concludit *de Eccles. Hierar. Orig. pag.* 363: *Horum tenore manifesto constare, omnia alexandrini episcopi nutu peracta in quibuslibet ecclesiis, aut provinciis.* Ejusdem auctoritatis primarum sedium in subjectos episcopos argumentum suppeditat etiam *canon* 33 inter apostolicos, quibus primaevae disciplinae lineamenta in plerisque repraesentari eruditi consentiunt: » Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis » est primus, et existimare ut caput; et nihil » facere, quod sit arduum, aut magni momenti » praeter illius sententiam ». Non ignorat Febronius, quam multa in rem eamdem suppetant documenta, quibus abunde refellitur, quod ille semel, ac iterum insinuare aggressus est, episcopos ab initio indefinita quaquam, ac plenaria potestate suis in dioecesibus regendis usos fuisse; quum aliunde constet, hanc potestatem multis in rebus restrictam fuisse non canonum tan-

(1) Verba sunt Chrysostomi Comment. in Acta Apostolorum Homil. 3, in cap. 1, n. 2: » Quid ergo? an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique; sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet ». Paullo ante dixerat n. 1: » Utpote fervens, cui grex a » Christo concreditus erat, atque ut primus in cho» ro, primus sermonem orditur ». Et inferius num. 3: » Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui » omnes commissi fuissent. Huic enim Christus di» xerat: *Et tu aliquando conversus confirma fratres* » *tuos* ». Primus ergo Petrus non ordinis tantum gradu, sed et capitis praestanti dignitate, atque auctoritate, utpote cui et grex a Christo, et omnes sine discriminе commissi fuissent.

Pastoralis hujusce muneris, ac sollicitudinis in omnes ecclesias extendentem sese auctoritatem praeclare confirmat Chrysostomus ex hac ipsa Petri peregrinatione, quae refertur Act. cap. 9, v. 31, quem in locum haec habet Homil. 21, num. 2: » Quasi dux » circuibat ordines considerans, quae pars esset con» densata, quae ordinis, quae sua praesentia egeret... » Ubi periculum est, hic adest, et ubi quaedam di» spensanda sunt ».

tum stalnis, sed et illa pleniore auctoritate, qua primarum sedium episcopi, qui subinde patriarchae, exarchae, metropolitae dicti sunt, in inferiores sibi subjectas ecclesias utebantur.

Et quidem quum excellentior haec auctoritas, qua potiebantur antistites, qui praecipuis illis (peculiaribus tamen) sedibus praeerant, non divino, sed ecclesiastico instituto niteretur; haud mirum, non eam semper eodem gradu constitisse, sed pro temporum, ac disciplinae varietate, prout Ecclesiae utilitas postularet, amplificari subindo, aut restringi canonum statutis potuisse. At potestatem a Christo datam quae humana potestas coercere unquam potuit? Quis unquam catholicus fas sibi esse putaverit, aliquam Christi ovem ex ejus cura subtrahere, cui omnes universe oves suas pascendas Christus commisit? Quis pastor catholicus, dum recogitat, a Christo dictum Petro fuisse: *Pasce oves meas;* Christi voci obstrepere audeat, ac dicere: Nolo hanc ovem a Petro pasci, nisi dum eam ego pascere neglexero; vel nisi mihi ejus pascendae facultas, aut voluntas defuerit?

Quae etsi perspicua sunt per sese, placet ea tamen praestantis insuper viri (quem Febronius magni facere solet) auctoritate, ac testimonio comprobare. Is est Thomassinus, cujus haec sunt verba p. 1, l. 1, c. 6, n. 9: » Convenit theologis, et canonistis, Apostolis a Chri» sto infusam plenitudinem potestatis spiritalis, » cui limites praefigere nefas sit ullos: episco» pos autem, etsi in Sedes Apostolorum evecti » sint, non tamen in plenissimae hujus, et uni» versalis potestatis totam amplitudinem voca» tos omnes esse: unam Petri Sedem intermi» nata hac, et universali auctoritate cumulatam » esse, qua poliebant Apostoli, et Petrus maxi» me, cui ea obtigerat cum singularis abundan» tiae privilegio ».

Et num. 11: » Quin ex historiarum omnium » testificatione constat, quocumque demum se » contulerint Pontifices, velut propria in Eccle» sia versatos esse, atque ut summos pastores, » quibus ovile suum credidit totum Christus ».

Num. 17. Laudato Bertraudo augustodunensi episcopo subjicit: » Quae tunc sane esset gal» licanae ecclesiae sententia, liquidissime hinc, » certissimeque exprimi potest. Hanc ergo pri» mum doctrinam adstruit velut a Leone Papa, » et a reliquis Patribus constitutam: Petro da» tas esse, Petrique successoribus claves, per » quos aliis deinde praesulibus consignentur. » Origo hujus potestatis fluit a Deo immediate, » videlicet a Christo, tradente eam certae per» sonae, scilicet Petro pro se, et suis successo» ribus, a quibus in alio derivatur. Addit: Hac » potestate comprehendi universaliter omnes et » regiones, et fideles, qui Pontifici summo uni» versi non minus morigeri esse debeant, quam » privato quisque Pontifici suo ».

Num. 18: » Non abs re erit id adnotare, quam » lum doctrinam propugnabat illustrissimus ec» clesiae gallicanae patronus, eamdem postea » amplexatos esse Gersonium, Alliacensem, Al» mainum, Majorem, et caeteros scholae theo» logicae, et parisiensis lumina, quorum mi» nime suspecta fides est; quos denique, nisi » valde hospes, causari potest nemo, amplifi» candae romanorum potestati Pontificum plus » aequo studuisse ».

Superius Thomassinus notaverat, num. 14, Gersonium pro errore habuisse, *quod Papa non est immediatus praelatus omnium fidelium, nec sponsus Ecclesiae universalis, sed solius Romae; alioquin quaelibet ecclesia cathedralis haberet duos sponsos, Papam, et episcopum.* Huic porro absurdo, quo error ille nitebatur; nimirum fore, ut quaelibet ecclesia cathedralis duos sponsos habitura esset; occurrebat Gersonius comparatione ducta ex parochis, quorum proprias functiones dum explet episcopus, non propterea duo in una ecclesia parochi censentur. Sane id absurdum sequeretur, ubi duo aequali auctoritate antistites eidem gregi praeessent; non ubi duo praesunt, quorum unus minori auctoritate pollens majori alterius auctoritati subjicitur.

Equidem Gersonius Papae immediatam auctoritatem in singulis ecclesiis coercere aliqua ex parte videri poterat, quod statueret, eam *licite* non posse Pontificem sine justa caussa exercere: hoc principio scilicet ductus, non omni culpa vacare quidquid nulla justa caussa suscipitur. Sed hic, ut advertit Thomassinus, non jam de potestate ipsa (quod attinet ad valorem actus), sed de licito usu potestatis controversia instituitur; quae quaestio est alterius plane generis: Caeterum in dijudicanda caussae justitia, vel convenientia potiores esse partes summi Pontificis, nemo jure in dubium vocaverit, exemplum sequutus majorum, qui (ut etiam notat Thomassinus n. 15) suborta perplexitate de utilitate Ecclesiae *cesserunt ut plurimum capitis auctoritati, et sapientiae; eique se commiserunt, etsi non satis intelligerent, quae rationis momenta Pontificem moverent:* idque in epistolis Bernardi luculenter emicare subjungit.

Non ejus indolis sunt, quae habet Febronius p. 52: » Observant quoque theologi, praesertim » Germaniae, nihil aeque absterrere protestan» tes a reunione et regressu ad sinum matris » Ecclesiae, quam frequentes illas non neces» sarias, nec admodum utiles invasiones in jura, » et dioeceses episcoporum. Audiendus hic Tho» massinus p. 1, l. 1, c. 6, n. 1: *Si qui* (romani » Pontifices) *evagati sint ultra hos modestiae li» mites, id oblivione, et silentio opprimi condu» cibilius est; ut ex quo nihil argumenti elici pos» sit, nihil adjumenti ad posterorum mores re» gendos* ».

Haud decebat Febronium veterem illam, planeque ineptam criminationem refricare, quam praestantes Germaniae theologos assensu unquam suo comprobavisse, adduci non possum, ut credam. Vigent adhuc (quis nescit?) protestan-

tium veteres querelae adversus romanam Sedem. At numquid modestiores fuere, aut sunt erga oecumenicum concilium, cujus tamdiu patientiam, lenitatem, mansuetudinem defatigarunt; plena charitatis monita, hortationesque contempserunt; auctoritatem aspernati sunt; decreta, definitionesque contumelioso irriserunt? Sed horum pervicaciae alia est caussa non latens, aut obscura. Praepostera libido de rebus ad religionem pertinentibus proprio arbitratu, seu *privato spiritu* decernendi ea est, quae apud istos obstinatam peperit in auctoritatis contemtu pertinaciam, et in novis semper pariendis erroribus perpetuam levitatem, et inconstantiam.

Neque hic erat producendus Thomassinus. Non ille frequentes istas commentitias *invasiones* memorat, quibus romanam Sedem in odium, et invidiam adducat. Nimium absunt ab ejus hominis modestia voces istae plenae convicii, et acerbae in apostolicam Sedem malevolentiae indices. Id unum innuit, si quid in dissidiis, quae nonnunquam Pontifices inter, et subjectos praesules exarserunt, illos contigerit aliquando extra modestiae limites evagari, hoc ipsum silentio, et oblivione obruendum. At quod haec sit potissima caussa, quae protestantes a reditu in sinum matris Ecclesiae deterreat, nec ille dixit aliquando, nec in religiosum ejus animum tam absona cogitatio cadere unquam potuit.

ADDITIO.

Ad testimonia, quae ex Thomassino, et Natali Alexandro protulimus, alia liceat adjungere, petita quum ex certis Bossuetii operibus, tum ex ipsamet *Defensione*, quae vulgo, nec sine aliqua cl. antistitis injuria, ei tribuitur.

Duo ille in primis docet digna, quae suis momentis accuratissime ponderentur. Ac primum quidem, unitatis catholicae vinculum communione cum Sede apostolica maxime contineri; quod et universa Ecclesia, Patrum edocta traditione, constantissime profitetur.

Alterum est, quod eximio libello *Refutationis Catechismi Paulli Ferry*, sect. 1, cap. 1, cui titulus *Prima Veritas*, jacit velut fundamentum totius disputationis, vim hanc, et rationem esse communionis ecclesiasticae, cujus necessitatem heterodoxus ille fatebatur, ut consensionem *in credendo* prorsus requirat: *Qui communionem dicit* (verba sunt Bossuetii), *societatem dicit fidei: quippe firmissimum vinculum, quo ecclesiastica communio adstringitur, professio est unius, ejusdemque fidei.*

Hoc ipsum luculenter confirmant, quae scripta leguntur in *Defens., part.* 3, *l.* 10, *c.* 6, quo loco de Petri cathedra, Romae constituta, speciatim disserens ait: » Quae proinde cathedra, si » concidere posset, fieretque jam cathedra non » veritatis, sed erroris, et pestilentiae; Ecclesia ipsa catholica non haberet societatis vinculum; jamque schismatica, ac dissipata esset, » quod non est possibile ».

His positis una, vel altera brevi conclusiuncula tota res conficitur: ex Bossuetio communio cum apostolica romana Sede vinculum est unitatis catholicae, cui proinde quisque inviolate adhaerere debeat; sed hujusmodi communio secum ipsa infert consociationem in credendo, seu consensionem in fide: ergo et haec in fide consensio cum apostolica romana Sede vinculum est potissimum unitatis catholicae; a qua consensione proinde recedere nemo valeat, quin simul ab unitate discedat. Ad majorem explicationem alio modo, et quidem plane invicto: si, quod Bossuetius velut catholicum dogma rite defendit, sancte adeo praescripta est cum romana Sede communio, ut abrumpi haec nequeat, quin solvatur vinculum societatis, unitatisve catholicae: si auctore ipso eodem Bossuetio communio haec unius, ejusdemque fidei professione maxime continetur; istud profecto consequens est, ut, quemadmodum a communione cum romana Sede, ita nec ab ipsius romanae Sedis fidei professione, nullo tempore, nullo casu liceat unquam desciscere. Liceret autem, si romana Sedes aliquando in fide errare posset. Fieri ergo nunquam potest, ut erret aliquando in fide romana Sedes.

Altera conclusio: ex allata *defensoris* doctrina si cathedra Romae constituta desineret cathedra esse veritatis, fieretque cathedra erroris, Ecclesia ipsa catholica jam non haberet societatis vinculum, jamque schismatica, ac dissipata esset: atqui nullo unquam vel minimo temporis intervallo Ecclesia catholica potest non habere societatis vinculum, schismatica esse, ac dissipata: ergo nullo unquam vel minimo temporis intervallo evenire potest, ut romana cathedra desinat esse cathedra veritatis, fiatque cathedra erroris, et pestilentiae. Quod profecto de nulla alia singulari cathedra dici potest.

Jam vero, si vel ipsum *defensorem* audimus, romanae cathedrae fides neutiquam secerni potest a fide, quam in ea cathedra praedicant, ac docent romani Pontifices: quippe ait cap. 5: » Neque vero distinguimus a romanorum Pontificum fide romanae Ecclesiae fidem, quam » scilicet non aliter, quam a Petro primo, atque » a Petri successoribus Romani didicerint ». Ergo, nisi a se ipse dissentire velit, fatendum ei omnino est, quae de inviolata Ecclesiae romanae fide superius conclusa sunt, perinde valere de fide, quam a Petro acceptam in ipsa eadem Sede, et cathedra docent, ac praedicant Petri successores, romani Pontifices.

Nimirum illud est, quod ab apostolicis usque temporibus gravissime docet, ac testatur summae vir auctoritatis lugdunensis antistes Irenaeus l. 3, c. 3, romanorum Pontificum ordinatione, et successione (quos illo a Petro ad Eleutherium singulatim recenset) eam, quae *ab Apostolis est traditio*, *et veritatis praeconatio* ad sua

usque tempora pervenisse, qua non exortae modo, sed exoriturae quandocumque haereses profligarentur. Quod si huic successioni divina ordinatione praeconium veritatis commendatum est ad ultima usque tempora propagandum, atque adversus omnes haereses valiturum; necesse est, ut, quemadmodum nullo unquam erroris labe infici potest veritatis praeconatio, ita et ab omni semper suspicione erroris abesse successionem illam, cujus praedicatione praeconium veritatis, ut a Petro ad Eleutherium, sic et ab Eleutherio *ad Pium VII, feliciter regnantem*, *ab hocque* ad extremum, ad quasque perimendas haereses divinitus est comparatum.

Hoc nimirum est, quod et apertissime confirmat Petrus Chrysologus scribens ad Eutychem: *Petrum, qui in propria Sede vivit, et praesidet, praestare quaerentibus fidei veritatem.* Praestat autem, quum per successores loquitur, qui, ut et ait *defensor* c. 5, accipiendi sunt tamquam una persona Petri.

Revera Petrum per Leonem loquentem Patres chalcedonenses, Petrum loquentem per Agathonem Patres constantinopolitani (CP. III, Oecum. 6, act. 18, in Prosphon.) summa, qua par erat, veneratione audire se professi sunt: nempe illi *formam*, quam sequerentur, a Petro per Leonem datam testantur: isti vero » summus, *in» quiunt*, nobiscum concertabat Apostolorum » Princeps; illius enim imitatorem, et Sedis » successorem habuimus fautorem, et divini Sa» cramenti mysterium illustrantem per litteras. » Confessionem tibi a Deo scriptam illa romana » antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem a » vespertinis partibus extulit; charta, et atra» mentum videbatur, et per Agathonem Petrus » loquebatur ». An vero, qui per superiores ad Leonem usque, et Agathonem loqui non desiit, in successoribus aliis putabimus loqui desiisse, aut aliquando desiturum esse, quandocumque in eadem Sede, ex eadem cathedra, atque ex ejusdem cathedrae magisterio, in qua vivit ille, et praesidet, munere sibi imposito funguntur fidei praedicandae, confirmandorum fratrum, Ecclesiae universae publice, et cum potestate docendae? Absit haec tam insana de illo cogitare, qui pastor universi gregis a Christo in aeternum constitutus, suscepta Ecclesiae gubernacula nunquam dereliquit (s. Leo, serm. 2 in Anniv.).

Nunc ut ad ea revertamur, quae superius ex opere *Defensionis* excerpta retulimus; quisquis paullo attentius advertere voluerit, haud aegre intelliget, quam parum sibi constet, immo quam inconsiderate secum ipse pugnet *defensor* ille, qui, posteaquam promissioni Christi acceptum retulit, fidem in romana Sede nunquam defecturam, non vereatur promissionis hujusce vim ita deinceps coercere, ut eam non ad singulos successores, sed ad totam seriem, ac velut successionis summam duntaxat dicat esse referendam; nihil scilicet fidei romanae obesse, si aliquot Pontifices a vera fide, eique conjuncta professione aberrent, modo intelligatur, *si praesidens aberraverit, errorem eum statim repellendum, neque coaliturum .... Stat quippe*, pergit ille, *romana fides ab antecessoribus stabilita a successoribus statim vindicanda .... atque ut in aliquibus vacillet, aut concidat, non tamen deficit in totum quae statim revictura sit.*

Perperam omnino. Primum animadvertere ille debuerat, promissum Christi, si quam vim habet, in eo, et in iis potissimum illam habere, cui, quibusve directo factum est promissum: atqui promissum Christi: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (Luc. 22), non ad romanam plebem, seu gregem factum est, sed ad Petrum, quem singulariter alloquebatur, et in Petro ad successores, qui fatente *defensore* unam cum Petro personam constituunt: igitur promissum illud Christi primario, et per se in Petro, et in Petri successoribus id praestat, quod Petro directe promissum est, fidem ejus nunquam defecturam; secundario vero in Ecclesia romana, quatenus docenda erat a Petro, ejusque successoribus; eamque proinde fidem esset habitura, *quam a Petro primo, atque a Petri successoribus Romani didicissent.* Quo manifeste patet, perpetuitatem fidei, quam in romana Ecclesia nunquam defecturam *defensor* agnoscit, a perpetuitate fidei pendere, quae Petro, Petrique, ac ipsius successorum in ea Ecclesia praesidentium magisterio directe, ac primario promissa est.

2. Quod ait *defensor*, promissum Christi ad totam successionis seriem, non ad singulos in successionem adscitos pertinere; commentum id est inane plano, ac futile. Quo enim jure sibi sumit, ut promissum, quod sine limitatione factum est a Christo, qua ei placuerit, limitatione coerceat? Quasi vis Christi, summam totam successionis complectens, non eam sicut in toto, sic in singulis partibus ex aequo sustentare valeret. Quid? Quod ita ille concedit, unum, alterumve Pontificem errare posse, tamen ut id retineatur, *errorem eum statim repellendum* adeo, ut dici nequeat, *fidem illam penitus deficere, quae statim revictura sit?* Serio ne, an per jocum? Quid igitur? Sic nobis existimandum erit, Christum, qui pro sui promissi constantia continuo adsit, ut error *statim* repellatur, et labefactata fides *statim* reviviscat; non potius lapsuro subventurum, ne labatur? Quod si promissio Christi, fidem in successione Petri nunquam defecturam, prorsus id postulat, ut collapsa quandocumque fides continuo reparetur; non id postulabit, ne ullo unquam tempore corruat? Commenta haec sunt optantium, non cogitata sapientum.

3. Recolat, quaeso *defensor*, quam praeclare, quam constanter, ac prorsus invicte cl. Bossuetius (pastorali sua instructione de promissis Ecclesiae) perpetuitatem Ecclesiae, atque in Ecclesia veritatis perpetuitatem nunquam defe-

cturam adversus heterodoxorum calumnias defendat, ac vindicet. Profert illa in medium verba Christi, discipulos alloquentis (Matth. 20): *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. impium foret, dubitare, quin Christus, qui et omnipotens est, et fidelis, constanter id praestet, quod praestiturum se promisit. *At*, inquiet nou nemo, *nil obstat, quin Christi promissio intermissionem aliquam patiatur*. Immo vero, regerit Bossuetius, obstat ipsamet promittentis inviolata fides, et omnipotentia. Verba Christi clara sunt, perspicua sunt. Fieri nequit, ut vel puncto temporis praesentiam suam ab Ecclesia retrahat, cui se perpetuo praesentem futurum promisit.

At profecto non minus clara, non minus perspicua sunt verba Christi Petro promittentis, fidem ejus nunquam defecturam; quod promissum ad totam successorum seriem pertinere *defensor* ipse non fatetur modo, sed et contendit. Proinde, si locus aliquis esse posset commenltiae illi suae interpretationi, quid respondendum haberet heterodoxo sic obloquenti: extat utique promissum Christi de fide, non defectura in Ecclesia; sed etiam extare fateris promissum Christi de fide, in successione Petri non defectura? Atqui, si te audio, hujusce promissi firmitati, et constantiae nil obest, quominus in successionem Petri errores identidem irrepant, modo ne series ex toto, et in perpetuum deficiat. Quidni igitur pari jure dici possit, nil obesse firmitati promissionis Christi de fide non defectura in Ecclesia, quin vera fides, veraeque fidei praedicatio per intervalla sic interdum obscuretur, ut nusquam appareat; modo simul dicatur Christus providisse, ut praesidio tempore post obscurationem idonei reformatores existant, quorum opera, et studio depulsis errorum sordibus depressa veritas emergat?

Nunc vero si heterodoxos in hanc sententiam impie disserentes cl. Bossuetius acerrime refutavit; si ad firmitatem promissorum Christi retinendam hoc in primis pertinere, constantissime asseruit, ut firmum, ac perpetuum sine ulla intermissione consistat, quod Christus in perpetuum promiserit; profecto liquet, quam ab hac mente, hisque Bossuetii sententiis alienum sit, quod persuadere nititur *defensor*, firmitati promissionis Christi de fide nunquam defectura in Petro, quae ad totam successionem ipso fatente pertinet, nil obesse, quominus in successionis decursu praedicatio veritatis in Petri Sede identidem deficiat, modo ne in tota successionis serie dilabatur penitus, et effluat.

Dixi, cl. antistiti non sine aliqua ejus injuria tribui opus *Defensionis* posse; quod ne temere dictum quis putet, documento mihi est aliquo comprobandum. Unum inter alia seligam, quod ex hoc ipso loco eruitur, unde nobis haec tota exorta est disputatio. Nempe *defensor*, quo suam probet interpretationem, affert in primis exemplum Petri, quem dicere non vereiur, incredulum fuisse, etiam postquam illud audivit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Sunt haec ejus verba c. 5: » Nam et » Petrus negavit, et incredulus fuit, postquam » etiam audivit illud: *Rogavi pro te, ut non de-* » *ficiat fides tua*; sed statim exurgit confirma- » turus fratres » etc. Itane vero? Non horruit *defensor* immanem hunc errorem Bossuetio adscribere, Petrum incredulum fuisse, postquam etiam audivit: *Rogavi pro te*, etc. Atqui nec dicere hoc *defensor* potuit, quin ipse sibi turpiter, apertissimeque repugnaret, qui nimirum capite IV, proxime superiori prolata illa precatione Christi: *Rogavi pro te*, etc., ita disserit: » Est » enim primum Petrus singularis homo, cui » Christus teste Augustino promiserit: *ut habe-* » *ret in fide liberrimam, fortissimam, invictissi-* » *mam, perseverantissimam voluntatem* ». (De Corrept. et Gr. c. 8, u. 17). Anuou plane immemor sui, qui c. 5 dicat, etiam post Christi precationem incredulum fuisse Petrum, quem c. 4 dixerit, atque Augustini auctoritate confirmaverit, ea precatione adeptum esse, ut haberet in fide invictissimam, perseverantissimamque voluntatem? Cui testimonio consentaneum aliud est, nec minus insigne (lib. 1 cont. mendac. c. 6, n. 13): » Quis ita evanescat, ut existimet, » Apostolum Petrum hoc habuisse in corde,quod » in ore, quando Christum negavit? Nempe in » illa negatione intus veritatem tenebat, et foris » mendacium praeferebat ». in eamdem sententiam Bossuetius ipse (Medit. in Evang.) exponens illud Lucae 22: *Ego autem rogavi*, etc. Quia, » *inquit*, dubitare valeat, quin hac precatione » Petrus acceperit fidem constantem, invictam, » immobilem, et insuper adeo abundantem, ut » potis esset confirmare non vulgus tantum fi- » delium, sed et fratres suos apostolos, ac pa- » stores gregis »? Quibus perspectis temere dictum videri non debet, Bossuetio sine aliqua ejus injuria tribui opus non posse, in quo perhibetur ille tale quid existimasse, quod teste Augustino existimare nemo queat, quin prorsus desipiat; quodque suis verbis Bossuetius ipse aperte refutaverit. Quo plane confirmatur huic *Defensionis* operi, si quidem a Boussuetio informari coeptum est, alienae posimodum manus operam accessisse, nec tamen ita cautam, ut fraus non ipsa se prodat.

Nec vero hic sistendum; sed insuper, quod magnopere interest, ostendendum, frustra aetatis hujusce novatores in hac sententia *defensoris* praesidium sibi quaerere, quo sese muniant adversus tot illa Sedis apostolicae dogmatica decreta a Pio V ad Pium usque VII edita, quae obtrectatores isti velut non iniqua modo, sed et erroris plena per summam impudentiam calumniari,ac traducere non perhorrescunt. Duo nempe statuit *defensor*: unum ex ipsa Evangelii littera petitum, perpetuaque Patrum consensione firmatum, promissum fuisse a Christo, verae fidei praedicationem in Petri successione non

defecturam: alterum, quod addit de suo, promissioni Christi non officere, quod identidem unus, alterve Pontifex a verae fidei praedicatione aberret, modo retineatur, *errorem* eum *statim* repellendum; ipsamque fidem, si quandoque in aliquibus Pontificibus vacillet, aut concidat, ab eorum successoribus *statim* vindicandam, *statimque* adeo revicturam. Tum subjungit: » Neque porro aliter ad consumma-» tionem usque saeculi in tota Pontificum suc-» cessione eventurum esse, certa fide credimus». Sic itaque sentit *defensor*, si quandoque cuiquam Pontifici error aliquis exciderit, *certa fide* tenendum, fieri non posse, ut error in successores propagetur, sed futurum omnino Domino providente,ut errore *statim* a successoribus depulso violata fides *statim* reviviscat. Quam longe porro ab hac sentiendi ratione discedunt obtrectatores nostri,qui,dum apostolicae Sedis dogmatica decreta continuata successione, ut diximus, a Pio V ad Pium VII edita erroris insimulant, palam profitentur,id in romana successione jam dudum evenisse, quod contra *defensor* statuit certa fide credendum, evenire non posse: quippe error per totam illam continentem seriem propagatus et confirmatus non statim depulsus fuisse, sed potius coaluisse dicendus esset; jamque a duobus aute saeculis magistra erroris effecta esset illa romana cathedra, quae desinere non potest esse cathedra veritatis, quin solulo catholicae societatis vinculo catholica Ecclesia penitus concidat: quae portenta Christi promissis, majorumque traditioni adversa, prorsusque a fide aliena esse,non fatetur modo, sed et constanter docet ille ipse *defensor;* cujus tota proinde sententia, tametsi ea parte commentitia, quam superius refutavimus, non modo non suffragatur adversariorum pertinaciae, *sed et ei plane, atque apertissime refragatur.*

POSITIO VIII.

» Primatus perpetuus est in Petri successores » romanos Pontifices jure divino transiens ».

POSITIO IX.

» A romana Sede ad aliam transferri prima-» tus nequit ».

ANIMAD. Diversas recenset de hac re sententias. Et primum quidem, quam statuit Benedictus XIV, *de Syn. Dioeces. lib.* 2, *c.* 1, § 1, cui merito videtur, sustineri non posse illorum opinio, qui primatus connexionem Sedi romanae ita esse de jure humano contendunt, ut possit ab Ecclesia dissolvi. » Quare, *inquit*, jure ac merito » ejusmodi paucorum opinionem refellunt Mel-» chior Canus, Gregorius de Valentia, aliique » non pauci theologi » etc.

Deinde sententiam profert Febronius D. Rautenstrauch, scilicet: » Quamdiu praeter merum » Petri factum nihil profertur amplius, non » satis nexus ille primatus cum Sede romana » jure divino necessarius intelligitur; ut neque » adeo sit, cur Ecclesiae pro ea, qua pollet in » administrando imperio sacro potestate, jus » electionis libere attribui isti non debeat ».

Affert demum doctissimi viri Petri Ballerinii opinionem, qui, *hanc translationem ab Ecclesia fieri posse negans*, *eamdem a Pontifice perfici posse non abnegat.*

His recitatis, opinionis libertatem tribuit legenti, quo non parum Positionis suae firmitatem labefactat. Aliquale tamen suum judicium interponit, nimirum; » Etsi forte in sensu ab-» soluto primatus alio transferri valeat, id ta-» men in sensu morali fieri nequaquam debe-» re; proinde nec, juridice loquendo, posse ». Multus in hanc rem tot saeculorum decursu, saepeque repetitas occasiones profert, quae de transferenda primatus Sede cogitationem aliquam injicere potuissent; ethnicorum imperatorum saevitiam in romanum sacerdotium; Gothorum invasiones, itemque Longobardorum; tumultuantis identidem plebis romanae in Pontifices violentiam, quae haud raro eosdem abesse coegit; longam per septuaginta annos Pontificum in civitate avenionensi permansionem, quin Sedem apostolicam ab Urbe separarint. Quum igitur tot, tantisque oblatis occasionibus nunquam cogitatum fuerit de transferenda Petri cathedra, *haud obscure colligitur*, *Ecclesiam una cum Pontificibus judicasse*, *id divinae voluntati minus futurum conforme.* His addit justum metum a periculo schismatis; ac demum auctoritatem Nicolai I, *epist.* 8, *quae est ad Michaelem imperatorem:* » Privilegia illius Sedis, » vel Ecclesiae perpetua sunt: divinitus radi-» cata, atque plantata sunt: impingi possunt, » transferri non possunt: trahi possunt, evelli » non possunt ».

Profecto nil erat caussae, cur minus firme Febronius in gravissima, veraque omnino Benedicti XIV sententia permaneret. Unum illud, quod contra facere videtur, nexum primatus cum romana Sede ex Petri facto pendere, nullius omnino momenti est. Multa quippe sunt, quae ut sint, et existant, factum humanum praerequirunt: statim autem, atque facto humano prodierunt, divino plane jure sanciuntur. Facto humano ineuntur foedera nuptiarum; quis propterea negei, a Deo plane conjungi, qui sponte, ac libere in hanc legitimam, et individuam societatem coeunt? Quod baptismus conferatur, factum est humanum; quod per baptismum rite susceptum christianae quis militiae indelebili caractere adscribatur, jus est, institutumque divinum. Factum est humanum, quod singularis homo in Petri successorem eligatur: quod in Petri successorem transeat primatus potestas, jure id, instituloque divino fieri, nec Ipse diffitetur Febronius p. 40. Non ergo confundendum factum cum jure, quod posito facto divina institutione exoritur: factum quidem interponi-

tur, idque humanum; sed eo posito, praevia Christi institutione, jus ipsum divinum exserit sese, et explicat. In primatus nexu cum romana Sede factum humanum in eo situm est, quod eam Petrus propriam sibi, ultimamque Sedem delegerit; quod ipsum etiam divino instinctu, et monitu fecisse credi par est (1): quod vero primatus ad eam Sedem pertineret, quam Petrus hoc pacto delegisset, id porro illi divino instituto acceptum referendum est, quo Christo placuit primatum Petro, ejusque in sua Sede successoribus in aevum demandare.

Sed praeterea Febronii Positio iis argumentis nititur, quae omnem illi scrupulum eximere debuissent. 1. Contraria opinio caret omni antiquitatis praesidio; quin potius innumera pene veterum Patrum testimonia colligi possent, quibus eadem sententia continetur, quae in laudata superius Nicolai I epistola exprimitur. Quae porro in opinionibus ad religionis statum pertinentibus certior nota falsitatis, quam novitas? Quid vero si haec ipsa novitas ex impuro fonte primum emersisse comperiatur (2)?

Atqui primus, qui de primatus translatione vocem extulerit, non alius a Febronio perhibetur, *primo suo libro c.* 2, § 3, n. 4, quam audax ille Photius, qui per summam impudentiam, ut ipse ait, contendebat, translata sede imperii primatum simul in Ecclesiam constantinopolitanam commigrasse; quod antea nec tentatum, nec fieri posse auditum unquam erat.

2. Cl. Bossnetius, quem Febronius celebrat velut recens sydus, a quo se nunquam recessurum profitetur p. 72, quemque *Defensionis* auctorem agnoscit, in hac ipsa *Defensione* p. 1, l. 1, c. 15, pro firmo, constitutoque habet, nusquam evenire posse, ut primatus in romana Sede desinat. Verba ipsa recitabimus: » Quod » autem Driedo nunquam futurum docet, ut in » urbe Roma, in romano solo fides, et primatus » intereant, id quidem non video, ut in nos in» torqueri possit. Neque enim clerus gallicanus » somniavit fore, ut romana Ecclesia particula» ris, seu romana dioecesis cum episcopo, et ple» be sua penitus intercidat; populusque roma» nus totus cum suo Pontifice a fide abrumpa» tur, et primatus Ecclesiae alio transferatur ».

Paullo ante dixerat: » Id quidem Driedo do» cuit, nunquam Romae eventurum, quod nos » ultro amplectimur; atque insuper addimus, » quantumcumque in Romam fremerent infe» rorum portae, ac sacrae urbis, quod absit,

(1) S. Leo Serm. 1, de sanctis Apostolis Petro, et Paulo: » Beatissimus Petrus Princeps apostolici or» dinis ad arcem romani destinatur imperii, ut lux » veritatis, quae in omnium gentium revelabatur sa» lutem, efficacius se ab ipso capite per totum mun» di corpus effunderet ». Congruit sententia s. Tho» mae 3 q. q. 35, art. 7 ad 3: » Et ideo, ut (Do» minus), suam potestatem magis ostenderet, in ipsa » Roma, quae caput mundi erat, etiam caput Ec» clesiae suae statuit in signum perfectae victoriae, » ut exinde fides derivaretur ad universum mun» dum ».

(2) Fatetur Febronius, a Photio primum illud invectum commentum esse, non repugnare, quin primatus a romana Sede divulsus in aliam Sedem transferatur. Qua confessione nil aptius afferri potuit, quo istud ipsum commentum refutetur; sive quia novum, sive quia ex impuro fonte profectum. Describendum omnino, quod in eam rem rectissime scriptum est a Febronio primo illo suo lib. *de Statu Ecclesiae* c. 2, §. 3, n. 4: » Inter tot romanos Pontifices, pri» morum praesertim saeculorum, sanctitate, et do» ctrina conspicuos ne unus quidem deprehenditur, » qui sibi, aut Ecclesiae suae collatam hanc praero» gativam non crediderit, ut esset totius Ecclesiae » caput. E contra intra reliquas omnes christiani or» bis ecclesias, illas etiam, quae ab Apostolis fun» datae sunt, nullam offendimus, cujus praesul eo » devenerit ambitionis, ut se totius Ecclesiae caput » affirmare non vereretur: uno excepto Photio constan» tinopolitanae urbis episcopo, qui praeter alia mul» ta, quae per summam impudentiam dixit, scri» psit, egit; hoc etiam cum suis affirmare non ti» muit: *Quando de romana urbe imperatores Constan» tinopolim sunt translati, tum et primatum romanae » Sedis ad constantinopolitanam ecclesiam transmigras» se, et cum dignitatibus regiis Ecclesiae romanae pri» vilegia translata esse.* Nicolaus I, epist. 70, ad » Episc. Galliae, n. 7. Ast nulla id ratione sustineri po» tuit; et sequuta tempora docuerunt, per translat» tionem regiae sedis Ecclesiae romanae nequidquam » de suo primatu decessisse. Et vero, antequam By» zantium migraret Constantinus; quid praesulibus » romanis conferebat imperatorum praesentia, nisi ut » vexationum aerumnas, et incommoda, et quascum» que saevientium principum furor inferre poenas po» terat, mortem denique ipsam citius, ac facilius » subirent »?

Itaque veterator ille Photius inferendae hujusce calumniae de translata in constantinopolitanam sedem primatus dignitate occasionem inde arripuit, quod, quum a Constantino Magno urbs Byzantium nova Roma dicta esset translatis in eam antiquae Romae privilegiis et ornamentis, romani quoque primatus dignitas a vetere in hanc novam Romam confluxisse censenda esset. Non eo usque progredi ausus est Photius, ut diceret, Ecclesiae primatum dimoveri a romana Sede, atque in aliam quamcumque transferri posse. Noverat ille, ab Ecclesiae primordiis omnium animis penitus insitum, defixumque esse, in romana Sede, quae Petri successionem complecteretur, primatus dignitatem divinitus, atque adeo inviolate consistere: ne igitur in hunc perennem, firmum, stabilem Ecclesiae sensum irrumpere velle videretur, subdole simulatam novae istius Romae speciem, imaginemque obtulit, qua fucum faceret, incautisque persuaderet, non a se primatum a romana Sede divelli, quod christianae aures non tulissent, sed in ea Sede reponi, quae romana optime jure censeretur, utpote in ea urbe collocata, quae nova Roma effecta omnia veteris Romae decora, et ornamenta collegisset. Ut proinde vel ex hac ipsa insigni fraude Photii manifestum prodeat indicium, quam firma, quam rata ad illa usque tempora fidelium persuasio, Ecclesiaeque traditio constiterit, non alia in civitate primatum posse consistere, quam quae vere, ac proprie Roma diceretur, et esset. Quo uno patet, quam temere prae Photio illorum sese jactet audacia, qui putant, nil sibi opus esse novam Romam quaerere, immo fas esse quemcumque vel in remotissimis Africae, vel Americae plagis, quem opportuniorem judicaverint, angulum deligere, in quem primatum Ecclesiae amandare valeant. Qua de re dictum etiam in *Confutatione duorum libellorum* (vedi il tomo preced.).

» fundamenta concuterent, non propterea prae» valituras contra Petri cathedram ; sed eam » semel a Christo Ecclesiae catholicae datam, » integram permansuram; Sedique sacrosanctae » modo, quo sciverit, provisurum Deum... V. » etiam p. 2, l. 15, c. 36 ».

Nec vero aliud innuunt verba ipsa *Declarationis:* enim vero in ipso exordio praesules abhorrere se maxime testantur ab illis » qui prima» tum beati Petri, ejusque successorum roma» norum Pontificum a Christo institutum, iisque » debitam ab omnibus obedientiam, Sedisque » apostolicae, in qua fides praedicatur, et uni» tas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus » gentibus majestatem imminuere non veren» tur ». Profecto , qui a Christo institutum et Petri, et successorum ejus romanorum Pontificum fatentur primatum , longe absunt ab ea mente, ut putent , successionis hujus reverendam omnibus gentibus majestatem romanis Pontificibus eripi posse; aliamque Sedem, aliam cathedram ubivis terrarum decerni , in quam primatus transferatur.

3. Constantiense concilium hanc inter caeteras damnavit Vicleffi propositionem : » Non » est de necessitate salutis credere, romanam » Ecclesiam esse supremam inter alias eccle» sias ». Jam vero quae credenda sunt de necessitate salutis, temporibus non commutantur. Quod ergo de romana Ecclesia synodus credendum decrevit , id omni aetate a catholicis et creditum fuit , et credendum erit. Fieri ergo non potest , ut romana Ecclesia desinat esse suprema inter alias ecclesias: desineret autem, si primatus ab ea divelli , et in aliam Sedem transferri posset.

POSITIO X.

» Concilio florentino oecumenici nomen de» betur ».

POSITIO XI.

» Plena potestas pascendi, regendi, gubernan» di universalem Ecclesiam, romano Pontifici a » Christo tradita, in concilio florentino decla» ratur ».

ANIMAD. Eo spectat magna ex parte Febronii explanatio, ne quis existimet, concilii florentini decreto detractum quidquam fuisse opinioni eorum, qui in concilio oecumenico praestantiam quamdam auctoritatis prae pontificia auctoritate agnoscunt. Et quidem quum latina lectio habeat ; *Quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur,* monet, alios legere : *quemadmodum et in actis conciliorum, et in sacris canonibus continetur ;* ut sensus sit : *juxta eum modum, qui et in gestis*, etc. (1).

Non hic repetam, quae ad veram lectionem vindicandam scripsere viri doctissimi, et graece scientissimi. Tres graecarum vocum latinas interpretationes memorat Tournelius *Tract. de loc. Theol. de Concil. Florent.* Nil opus habemus grammaticas ambages persequi. » Satis sit, *in» quit idem Tournelius*, impraesentiarum cum » *illustr. Bossuet. in Defens. p* 2, *l.* 10, *c.* 10, » observare, certum esse, graeca aeque, ac la» tina concilii florentini acta, sacro approbante » concilio, Eugenii nomine esse edita: porro in » actis latine exaratis sic legitur : *Quemadmo» dum etiam*, etc. Id vero ita esse, constat ex » concilii florentini codicibus, qui in nobili bi» bliotheca colbertina Eugenii , ac Michaelis » imperatoris signis muniti asservantur ». An porro dubitandi locus , quin ea sit authentica latina lectio,quae sacro approbante concilio edita fuerit ?

Quamquam et istud addendum, nihil vulgatam lectionem praeseferre, quod cum antiquioribus oecumenicis synodis, etiam in Oriente habitis, non plane consentiat. In octava generali synodo eadem eluxit Patrum de suprema Pontificis auctoritate sententia ; quam ne quis suspicetur vel leviter a nobis inflecti, placet verbis uti, quibus illam exposuit Natalis Alexander *Dissert. de Photinno Schismate* § 13: » Post » haec (act. 1) jubentibus legatis apostolicis » lectus est libellus , cui subscribere deberent » universi episcopi, sacerdotes, clerici, et mo» nachi : quo nimirum cunctas primum hae-

(1) Definitioni concilii florentini de romani Pontificis primatu consentanea innuit esse Febronius, quae de obedientia romano Pontifici debita decreta sunt in formula fidei profitendae a Pio IV praescripta. De qua Bossuetius haec adscribit ex l. 1. *Defens.*, c. 1, depromta : » Certum est , a Pio IV ea selecta esse » verba , quae quaestiones omnes in scholis quidem » catholicis utrinque disputatas relinquant integras; » quae autem ad fidem spectent, aperte , et sine ulla » tergiversatione decidant ». Et paucis interjectis : » Haec sanctae fidei summa; caetera, quae deinde in» currunt, jam non in fide, sed in quaestione sunt po» sita, inter catholicos pacifico animo disputanda ».

Quae sunt in quaestione posita, inter catholicos pacifico animo disputanda esse, nemo catholico sensu imbutus abnuerit. Cavendum tamen , ne in omnibus generatim , quae a catholicis etiam viris in quaestionem adducuntur , putemus , nil interesse , utri parti vir catholicus adjungere sese debeat. Certe cl. Bossuetius multa , et quidem acriter in Richardo Simonio reprehendit , quae audax ille scriptor ab omni reprehensione tuta hoc nomine contendebat , quod talia essent , quae nulla fuissent adhuc erroris labe notata. Quam defensionem probe Bossuetius imprudenti homini eripit hac praesertim gravi animadversione, nimirum : » Praeter id , quod haereticum directe sit , » aut erroneum, aut contra fidem; alia esse, quae fidem » obscurant; quae potentiores ejusdem probationes in» firment; aut eam in suis consectariis offendunt », ut proinde non satis tutus quisquam sit censendus hoc tantum nomine , quod ea defendat , quae nulla sunt adhuc expresso, ac solemni Ecclesiae judicio damnata. Quod quidem non immerito in multa transtuleris , quae Febronius contra communiorem , verioremque in catholica Ecclesia sentiendi rationem *defendenda suscepit.*

» reses execrati, et inter alias iconomachiam, » anathema Photio dicere debebant, donec Se» dis apostolicae decretis paruisset; actaque » conciliabuli, contra Sedis apostolicae reverentiam congregati, eodem anathemate percellere: se denique amplecti synodos a Nicolao » Pontifice maximo, et Hadriano ejus successo» re in causa Photii, et Ignatii Romae celebratas, profiteri debebant. Magnificum sane pri» matus romani Pontificis argumentum; quod » libellum, seu formulam ad synodum oecume» nicam miserit ab omnibus ordinis ecclesiastici » viris subscribendam, qui communionis Sedis » apostolicae participes esse vellent. Observa» tione digna sunt haec verba: *Quia non potest » Domini Nostri Jesu Christi praetermitti sen» tentia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc » petram aedificabo Ecclesiam meam; haec, quae » dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in » Sede apostolica immaculata est semper catho» lica servata religio, et sancta celebrata doctrina. » Ab hujus ergo fide, atque doctrina separari mi» nime cupientes, et Patrum, et praecipue san» ctae Sedis apostolicae praesulum sequentes in » omnibus constituta, anathematizamus omnes » haereses simul cum iconomachis; anathemati» zamus etiam Photium*, etc. Observare etiam » operae pretium est illa verba: *Sequentes in » omnibus apostolicam Sedem, et observantes o» mnia ejus constituta speramus, ut in una com» munione, quam Sedes apostolica praedicat, esse » mereamur, in qua est integra, et vera christia» nae religionis soliditas: promittentes etiam se» questratos a communione Ecclesiae catholicae, » idest non consentientes Sedi apostolicae, eorum » nomina inter sacra non esse recitanda myste» ria*. Vides idem esse sequestratum esse ab Ec» clesiae catholicae communione,et non esse con» sentientem Sedi apostolicae. Libello subscri» bere debebant episcopi cum testibus, ac sub» scriptionem suam legatis apostolicis tradere. » Periectum libellum synodus approbavit uni» versa ».

Quid porro in florentinae synodi definitione exprimitur, quod in hac octavae synodi actione non amplissime continealur? Ut semper magis pateat, oecumenicas synodos in Spiritu Sancto legitime congregatas eo Spiritu regi, et gubernari, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Ergo definitum in Florentina, quod actum, expressumque in octava cernimus: quod in sexta, et aliis perinde servatum suo loco visuri sumus.

POSITIO XII.

» Pontificia haec potestas non potest esse sine » conveniente auctoritate, jurisdictione, ac co» actione; ad quam etiam pertinet poena excom» municationis ».

ANIMAD. Opportune Febronius hanc Positionem comprobat auctoritate Caelestini I, *tum usu, et disciplina antiquissimorum saeculorum*. Quam in rem profert excommunicationem a Victore intentatam in episcopos Asiae ob praeposteram Paschae celebrationem; ubi se Irenaeus paris sequestrem sic interposuit, ut simul fatente Febronio agnoverit *eam in summo Pontifice potestatem, et jus, quo ecclesias particulares, ut ut multas, valeat ob contumaciam ab universae Christi Ecclesiae corpore amputare*. Idem memorat evenisse in causa rebaptizantium, tum in Apollinaris Laodiceni, atque Timothei Berytensis depositione, et condemnatione, quam a Damaso Papa bis Orientales petierant. Additque, nimis longum futurum, nec necessarium caetera ex antiquis percensere, quibus idipsum comprobatur.

Subinde vero, p. 78, depromit ex Petro de Marca *Concord*. l. 7, c. 10, num. 3, sequentem sententiam: » Si jam haeresis in synodo damnata » fuisset, quemadmodum eutychiana in conci» lio chalcedonensi, tum, si patriarchae com» munionem haereticorum amplectebantur, de» poni poterant a romano Pontifice, et synodo » romana; neque necessaria erat synodus oecu» menica. Eo enim casu Papa se tantum prae» stat *exequutorem sententiae latae* adversus au» ctores haereseos, et eorum complices ».

Si hanc Petri de Marca sententiam Febronius hac mente protulit, ut suaderet, in ejusmodi judiciis non alias esse Pontificis partes, quam ut exequutorem se praestet sententiae a synodo latae adversus auctores haereseos, eorumve complices; apertissime refellitur vel ipsa, quam modo commemoravit, Apollinaris, ac Timothei condemnatione, quam a Damaso Papa non in vim antecedentis cujuspiam sententiae, sed ex propria, supremaque Sedis apostolicae auctoritate rogantibus Orientalibus faciam, perspicitur ex ejus epistola synodica apud Theodor. Hist. Eccles. l. 5, c. 10: » Scitote, *inquit*, quod pro» fanum olim Timotheum, Apollinarii haeretici » discipulum, cum impio ejus dogmate da» mnavimus ». Et in libello synodico, de quo Coustant p. 491: » Petrus (Alexandria pulsus) » Romam contendit, eoque recepto Papa Dama» sus Romae divinam, et sanctam synodum » convocavit, quae amentem illum Apollina» rium... anathemate damnavit ». Nec praetermittit Coustant auctores quoque proferre Sozomenum, et Rufinum diserte testantes, Apollinarii haeresim primum a Damaso, praesente Petro Alexandrino, damnatam esse.

Praeterea, ut alia multa omittam, impura Joviniani haeresis uno romanae Sedis judicio penitus ab initio convicta est, ac reprobata. Quod ex epistola ipsa Siricii ad Mediolanenses, quorum e finibus Jovinianus excesserat, seu expulsus fuerat, constat apertissime. Statim enim, atque ad Siricium delata fuerunt nefaria Joviniani dogmata, *facto*, inquit, *presbyterio constitit, doctrinae nostrae, idest christianae legi esse contraria: statuium adeo, ut incentores novae*

haeresis, divina sententia, et nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent. Mediolanenses autem Patres, Ambrosius scilicet, Maximus, aliique plures ex vicinis provinciis ad synodum vocati antistites, assensum suum Pontificis sententiae sic adjunxerunt, ut ejus judicium non aliquo pacto retractandum, sed in eo prorsus conquiescendum existimarent. Nam ab ipso synodalis epistolae initio Pontifici romano Ecclesiae januam commissam agnoscunt, ut ovile Christi custodiat; ejusque sollicitudinis partes esse, ut et oviculas Christi noscat, et lupis velut providus pastor occurrat, ne morsibus perfidiae suae, feralique ululatu dominicum ovile dispergant; tum inter argumenta, quibus pestiferos Joviniani errores refellunt: *Credatur*, inquiunt, *symbolo Apostolorum, quod Ecclesia romana intemeratum semper custodit, et servat.* Demum concludunt: *Itaque Jovinianum, Auxentium, etc., quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* En itaque damnatam a Siricio novam haeresim, quin ullo antea generalis, aut provincialis concilii decreto damnata esset; damnatos simul haeresis auctores, ac promulgatores; tantamque vim in suo decreto Siricium agnovisse, ut dicere non dubitaverit divina sententia damnatos, qui romano illo judicio damnati fuerant: Ambrosium porro, Maximum, aliosque synodi mediolanensis gravissimos Patres non aliter, quam *secundum id judicium* de causa illa statuendum censuisse. Non igitur hic merum se Siricius exequutorem praestitit sententiae, ante a concilio generali latae. Primus ille sententiam tulit, qua et in novae haeresis auctores animadvertit, et haeresim ipsam certo, fixoque, nec revocando judicio damnavit.

Ante concilium ephesinum, ut refert Natalis Alexander *Hist. Eccl. sec.* V, *c.* 3, *art.* 12, *an.* 430, Caelestinus I, acceptis quum Nestorii, tum Cyrilli epistolis, Romae synodum suam habuit, in qua excommunicationis, et depositionis lata sententia est in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem errores suos aperta, et scripta confessione damnaret; restitui quoque in Ecclesiae communionem, qui propter fidem a Nestorio ejecti fuerant. Deinceps eodem anno Cyrillus pontificia auctoritate instructus ad sententiae in Nestorium latae, nisi resipisceret, exequutionem, concilium suum Alexandriae coegit. Persuasum itaque Cyrillo erat, totique synodo, a romano Pontifice ferri posse excommunicationis, et depositionis sententiam adversus continuacem novae haeresis auctorem, quin expectandum foret, ut latae ante a concilio generali sententiae merum exequutorem se praeberet.

Etiam Natalis Alexander *Hist. Eccl. sec.* VI, *c.* 5, *art.* 18, posteaquam retulit synodi aurelianensis V, an. 549, canonem primum, quo Nestorii, et Eutychetis sectae damnantur, *quas etiam sectas Sedes apostolica sancta condemnat*; probe animadvertit, non ignorasse gallicanae ecclesiae Patres, haereses illas in synodis ephesina, et chalcedonensi damnatas; » tamen apostolicae tantum Sedis in suo decreto meminisse; ratos, satis esse, quum de fidei dogmatibus agéretur, si sanciretur constitutio, quae romanae Sedis niteretur auctoritate, cui refragari nullus deberet ».

Addit in Scholio: » Constans haec, et perpetua sententia mea, qui et jansenianam, et novissime quietistarum haeresim a solis romanis Pontificibus, non ab aliqua synodo legitime damnatas agnosco, atque profiteor; et Innocentii X, Alexandri VII, Innocentii XI contra illas haereses constitutionibus neminem refragari debere, vel posse, secundum praeclaram illam Ivonis carnotensis episcopi sententiam: *Sedis apostolicae judiciis, et constitutionibus obviare, plane est haereticae pravitatis notam incurrere* ».

Pag. 79. Disserens Febronius *de sobrietate*, in ferendis censuris adhibenda, scribit: » Haec sobrietas ad duo potissimum respicit: 1. ut nulla in processu adversus contumacem committatur substantialis nullitas; sive in fori competentia (quae in prima instantia penes ordinarios est, Trid. sess. 24, c. 20, de Reform.); sive in citatione, rei legitima defensione, monitionibus, etc. Alias judicium, etiamsi a Pontifice latum, una cum censura invalidum est ».

Quod substantialis, ut vocant, nullitas nullum reddat quodvis judicium, prorsus liquet. Verum, si primam coram ordinario instantiam sic ad judicii substantiam pertinere contenderet Febronius, ut ea omissa judicium Pontificis invalidum redderetur; in tali praepostera opinandi ratione plane convinceretur a Tridentino eo ipso capite, ad quod ille se refert. Ibi concilium, rationem praescribens tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes, decernit quidem illas, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram ordinario locorum dumtaxat cognoscendas. At simul prospiciens, hoc suo decreto propriam supremae Sedis auctoritatem coerceri non posse, mox subjungit: » Ab his excipiuntur causae, quae juxta canonicas sanctiones apud Sedem apostolicam sunt tractandae: vel quas ex urgenti, rationabilique caussa judicaverit summus romanus Pontifex per specialе rescriptum, sanctitatis suae manu propria subscribendum committere, aut avocare».

POSITIO XIII.

» Romanus Pontifex est supremus judex controversiarum in rebus fidei, et morum ».

POSITIO XIV.

» Fieri non potest, ut a vera fide aberret cor-

» pus episcoporum capiti suo romano Pontifici
» adhaerentium » (1).

ANIMAD. Expositione sua inflectit Febronius
Positiones istas in eum sensum, qui magis favet
opinioni, quae gallicana declaratione contine-
tur. Qua de re id solum hoc loco notabimus,
minus eum, quam aequi aestimatoris munus
postulabat, sollicitum se, et accuratum prae-
bere in contrariis rationibus expromendis. Af-
fert nihilominus pag.82, Thomassini locum *Dis-
sert. 4, in Syn. Gangren.*, cujus haec verba sunt:
» Constat abunde tot testimoniis, ecclesiis, epi-
» scopis omnibus sive synodice, sive extra sy-
» nodos, sola execratione novitatis haereses exo-
» rientes damnantibus, vel praeisse, vel acces-
» sisse, vel successisse Sedem apostolicam, et
» summum auctoritatis pondus, et vim inelu-
» ctabilem, atque universalem adjecisse . . . .
» Nunc quid caeterae sequerentur, ipsa dictare
» occupabat certa de membrorum suorum con-
» sensu, et obsequio ... Tum demum, quum
» Roma probasset, sive praeciperet romana Ec-
» clesia fidem omnibus amplectendam scribere,
» plerumque temporis semper auctoritatis or-
» dine caput membris anteibat ». Melius ex hoc
testimonio, quam ex quibusdam aliis ab eo pro-
latis cognoscere Febronius potuit vim, et sen-
tentiam antiquae traditionis de romani Pontifi-
cis auctoritate in damnandis haeresibus. Sed de
hac tota quaestione, ut dictum est, nullam in
praesens disputationem suscipimus: scilicet alia
sunt Febronii propria toto sui operis decursu,
quae dictae declarationis limites longe praeter-
grediuntur.

Pag. 89. In primi sui libri defensionem profert
Febronius auctoritatem D. Eybel ajentis : » Fe-
» bronium haudquaquam negare infallibilitatem
» Ecclesiae dispersae; sed tantummodo cautelas
» circa asserendum communem Ecclesiae consen-
» sum, et deducendas inde universalis Eccle-
» siae sententias proponi ». Fortassis Eybelium
fugerat Febronii locus c. 6, §. 8, quo statuit,
» parum firmam esse illorum sententiam, qui
» a plurima parte episcoporum, definitioni ro-
» mani Pontificis extra concilium adhaerentium,
» ultimatum, et irrefragabile judicium consti-
» tui existimant ».

Et, quandoquidem opiniones, quas valde ama-

(1) Ab articulis cleri gallicani, an. 1682, sumit
Febronius 13 suae Positionis exordium : » Inter qua-
» tuor articulos, *inquit*, quos an. 1682 clerus gallicanus
» tamquam genuinum, et a majoribus acceptum suae
» ecclesiae sensum declaravit, postremus hic est: *In
» fidei quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse
» partes, ejusque decreta ad omnes, et singulas ec-
» clesias pertinere ; nec tamen irreformabile esse ju-
» dicium, nisi Ecclesiae judicium accesserit* ».
Nostri non est muneris in hac febroniani commen-
tarii suscepta disquisitione a Febronio ipso in galli-
canos articulos desilire, atque in eisdem minutatim
discutiendis immorari ; quod magna cum laude mul-
ti quidem praestantes viri, atque inter caeteros cl.
Ursina cumulatissimo praestitit. Monendum tamen,
vehementer illos fallere, aut falli, qui hos articulos
efferunt, quasi editi fuissent velut totidem gallicanae
fidei, vel doctrinae decreta ; non ut opiniones, quas
potiores tantum, vel etiam *optimas* censuere gallica-
ni praesules, sive qui comitiis illis interfuere, sive
qui eos sequuti sunt. Cujus rei, quae forte mira non
paucis accidet, expromenda statim auctoritas, quae
certam fidem faciat. Profero itaque Bossuetium, seu
potius acta ipsa comitiorum, quorum excerpta *in
praevia dissertatione* ad *opus Defensionis* referuntur.
Ibi §. 6 producto responso cameracensis archiepisco-
pi, qui de propositis articulis sententiam suam ro-
gatus, per litteras responderat, se illis assentiri hac
adjecta clausula : » Praesertim quod non ea esset
» mens sacri conventus, ut ex illa sententia decre-
» tum fidei faceret, sed tantum ut eam *opinionem*
» adoptaret » : *Tum subjicit defensor ex actis* :
» Quae probata ab omnibus, et ad rei memoriam sem-
» piternam in acta relata sunt die junii 19, hora post
» meridiem tertia, an. 1682 » : *Ac pergit porro* :
» En perspicuis verbis gallicani Patres testantur, ac
» probant, non eo se animo fuisse, ut decretum de
» fide conderent, sed ut eam opinionem tamquam
» potiorem, atque omnium optimam (*nimia profecto
» confidentia, seu in sua sensu abundantia* !) ado-
» ptarent. Opinionem sane : non ut eminentissimus
» Daguirous objectabat *catholicae doctrinae formulam*...
» Legatur declaratio, verba expendantur, nihil repe-
» rietur, quod fidei formulam sapiat. Sane ab ini-
» tio memorantur ecclesiae gallicanae decreta : an
» decreta de fide, ad quae sub animarum periculo
» constringantur? De his ne verbum quidem : decre-
» ta dixerunt notissimis vocibus, ac latinissimis,
» priscam et insolitam (*non a primis certe saeculis
» ab Irenaeo ad Bernardum usque*), id est con-
» suetam in his partibus sententiam; non fidem, qua
» omnes tenerentur. Idcirco nec piguit Gallos ad epi-
» scopatum promovendos datis ad Pontificem maxi-
» mum litteris id vere, id obedientissime profiteri,
» et subscribere. *Quidquid in iisdem comitiis circa
» ecclesiasticam potestatem, et pontificiam auctori-
» tatem decretum censeri potuit, pro non decreto ha-
» beri velle : mens nempe*, inquiunt, *nostra non fuit
» quidquam decernere* ». Quod in ipso conventu clara
voce testatos ex gestis vidimus.
Itaque (quod est diligenter advertendum) ipsismet
gestis, et actis parisiensis istius conventus manife-
sti erroris convicta tenetur, et constricta inconside-
ratissima eorum temeritas, et impudentia, inter quos
auctor libelli, cui titulus *Vox veritatis*, qui jactant
in vulgus (p. 20): » Sacrum concilium constantien-
» se definisse tamquam spectantem ad fidem articu-
» lum cleri gallicani, quo statuitur, non esse irreforma-
» bile judicium Papae, talemque inerrantiam non
» residere, nisi in Ecclesia ». Certo si praesules gal-
licani hunc suum articulum habuissent velut articulum
fidei, a concilio constantiensi definitum, an illi *clara
voce* testati essent, nonnisi opinionis loco, quam tan-
tummodo potiorem judicavissent, sententiam illam a
se propositam esse, quam jam ante ex oecumenici
concilii decreto ad fidem spectare agnovissent? Sicci-
ne putassent, fas esse articulum fidei in opinionem
dumtaxat, vel etiam *optimam* arbitratu suo commu-
tare? Hac proinde clara, perspicua, explorata prae-
sulum gallicanorum confessione prorsus evertitur isto-
rum calumnia, qui constantiensibus decretis adversus
Pontificis romani supremam auctoritatem abuti non
desinunt. Qua de re plenius in memorata *Confutatione*
disseruimus. Caeterum, etsi non sit nobis hoc loco
de articulis gallicanis proposita peculiaris, ac dire-
cta disceptatio, seu contentio; quid sit de ipsa sum-
ma rerum sentiendum, ex his intelligi potuit, quae,
ut sese obtulit occasio, in Febronio animadvertenda
censuimus.

vimus, sic interdum in peniílioribus animi recessibus delitescunt, ut identidem nobis nec advertentibus erumpant; supra locum notavimus, quo in hoc etiam commentario non abhorrentem ab hoc errore sententiam passus est Febronius imprudenti sibi excidere. Extat locus *Posit.* 7, *num.* 3, quo moiis de fide, et moribus controversiis, privatisque ecclesiis judicio Pontificis non acquiescentibus contingere posse innuit, ut non aliud malo levando remedium supersit, quam generale concilium, a quo ultimaio, at inerrabili judicio controversia decidatur; quasi aliquo tempore destituta esse queat Ecclesia tota ea auctoritate, quae ad ultimatum, et inerrabile judicium requiritur.

Nec vero alienum a praesentis instituti ratione censemus paullum hic a Febronio deflectere, atque opportunitate uti, quam locus ipse affert, notandi gliscentis quorumdam erroris, qui romanae cathedrae principatum in id redigere velle videntur, ut in causis fidei sententiam exploret caeterarum, quae per orbem dissitae sunt, ecclesiarum; ut scilicet collatis, quae undique ad se veniunt, relationibus, earum velut summam colligat; qua instituta, qui sit de quovis capite controversiae universitatis sensus, ac fides, dispiciat, ac referat. Capitalis sane error, nimiumque abhorrens a perpetua Patrum traditione, qua catholica sentiendi ratio continetur. Quod cum abunde intelligi potest ex his, quae pro vindicando, ac generatim asserendo romani Pontificis primatu egregie scripta sunt a multis, satis nobis fuerit locum attigisse.

Perpetua equidem haec fuit Patrum traditio, Ecclesiam universam ex singularibus ecclesiis conflatam nec deficere, nec errare in fide unquam posse. Simul vero constans illorum sensus fuit, si qua de aliquo doctrinae capite controversia suboriretur, minime propterea opus esse singularum ecclesiarum sententias colligere, quod nec satis commode, nec ullo modo plerumque fieri posse, ipsi probe intelligerent; sed hanc dirimendae controversiae viam, rationemque patere tutam aeque, ac expeditam, ut ab apostolicis ecclesiis credendi regula peteretur, maxime vero a romana Ecclesia, in qua teste Augustino Epist. 43, *semper apostolicae cathedrae viguit principatus.* Invicta hujusce traditionis, supremam apostolicae romanae cathedrae in tradenda credendi regula auctoritatem testantis, monumenta inferius proferentur.

Sed primum ab his, qui has tantum volunt esse partes Pontificis, ut de proposito capite doctrinae singularum ecclesiarum sensum roget, ac referat, quaeri potest, num in hoc explorando, referendoque sensu existiment, romanos Pontifices errare posse, nec ne? Si negas, errare posse; multo itaque minus errare poterunt in declaranda traditione, ac doctrina, quam ab Apostolis, ut expresse sjunt Patres mox laudandi, in Ecclesia sua perpetua successione per majorum manus acceperunt, ac tot saeculis incorruptam servarunt. Sin ais, posse illos errare, jam nulla superest via, qua Ecclesia dispersa in exorta quavis controversia statuere possit, quae sit fidei regula. Nam quum id statui nequeat, nisi perspecto universitatis sensu, ainnde vero nemo sit in Ecclesia, nec ipse Pontifex, qui certum de illo sensu testimonium edere valeat; liquet profecto, nullum Ecclesiae dispersae praesidium superesse, quo possit ad certam de instituta controversia fidei regulam tradendam pervenire (1).

Hic porro, ne quis disparia componens reloquendi argumenti facultatem sibi oblatam blandiatur; vaide animadvertendum, errorem, quem hoc loco notamus, longe differre ab eorum opinione, de qua nullam in praesens disputationem suscipimus, qui apostolicae Sedis judicium, etsi per se se gravissimum, tamen censent prorsus irrevocabile non fieri, nisi accedente morali episcoporum unanimitate, quae ipsorum expresso, vel tacito assensu declaratur. Isti enim judicii firmitatem repetunt ab auctoritate, qua praediti sunt Pontifices, et episcopi judicandi de causis fidei, suumque judicium, velut ratam, immotamque regulam ecclesiis praescribendi. Porro moralis isthaec unanimitas episcopalis ordinis capiti suo adhaerentis, utpote quae universitatem amplectitur, atque per ecclesias undequaque funditur, ejus conditionis est, ut ob-

(1) Fateor, si quis renuat in Ecclesia dispersa auctoritatem agnoscere de rebus fidei, ac morum certo, fixoque judicio statuendi, apud eum, qui sic sentiat, minus roboris id argumenti habiturum. Verum nemo unus profecto talis extiterit, nisi qui a catholica doctrina deflectere, totamque ultro antiquitatem aspernari palam non vereatur. Ecquis enim ecclesiasticarum antiquitatum rudis adeo, at imperitus, qui nesciat, quam multa haeresum monstra prioribus saeculis, nullo generali concilio, vi auctoritatis in Ecclesia perpetuo vigentis percolsa sint, depulsa, penitusque profligata? Cujus rei utpote notissimae satis superque fuerit testem proferre unum, at sane locupletissimum Augustinum, qui lib. 4 contra duas epistolas pelagianorum ad Bonifacium, cap. 12, expresse testatur, plures olim haereses sine congregatione synodi damnatas esse. Proinde, quum an. 1661, ut refert Tournelius de Ecclesia quaest. 3, art. 3, liber prodiisset, cujus haec erat sententia: » Solis conciliis oecumenicis declarari unanimem Ecclesiae consensum, atque sola eorum decreta firma esse, et irreformabilia; sacra Facultas parisiensis doctrinam hanc censura sua notavit his verbis: *Hae propositiones, inquantum infallibilitatem Ecclesiae universali in nullo statu, quam in concilio oecumenico congregatae tribuunt, et ipsam aliquo tempore legitimi usus poenitentiae cognitione caruisse supponunt, temerariae sunt, ipsi Ecclesiae injuriosae, et haereticae* ». Quin et Febronius ipse labis hujusce suspicionem removere a se studuit; proque ea depellenda suffragatorem adhibet Eybelium ajentem, nusquam a Febronio negatam infallibilitatem Ecclesiae dispersae; quod quamquam dictum est officiose magis, quam vere, ut suo loco notabitur, ostendit plane, quam alienus a catholica sentiendi ratione censeri debeat error hujuscemodi, cui nec Febronius affinis videri voluerit, nec placuerit Eybelio, affinem videri Febronium.

scura manere nequeat, sed communi fama, et acclamatione continuo innotescat, nec latere quemquam valeat, qui pastorum vocem audiendam sibi meminerit, ab eisque velut magistris, ac judicibus, non a plebibus fidei regulam accipiendam. Contra illi fidei regulam in unouniversitatis sensu repositam volunt: quumque in hoc sensu explorando si Pontifex ipse labi potest, multo facilius errare valeant quique per orbem dissiti episcopi, ac fideles; praeclusa via est omnis, qua de illo sensu certo constare possit; nec adeo quidquam Ecclesiae dispersae remanet, in quo fixum, immotumque judicium de quavis proposita quaestione consistat.

Atque hujus quidem incommodi gravitas, quod ex illo errore in Ecclesiam dispersam redundat, haud parum adhuc augescit alterius opinionis accessione, quae inter adversarios satis familiariter vagatur: nonnulla nimirum doctrinae capita, caeteroquin ad fidem pertinentia, sic interdum, et quidem per multum tempus in Ecclesia obscurari, ut vix appareant, immo vehementer a plerisque oppugnentur; nec, nisi penes paucos, certa eorum, et explorata veritas remaneat. Quod si ita est, et aliunde certum de quacumque doctrina Ecclesiae judicium ex testata universitatis sententia pendet, obstructa est jam via omnis, qua veritates ejusmodi ex illis latebris in apertam lucem emergere aliquando valeant. Exquiret Pontifex, explorare satagat, quid de tali doctrinae capite dissiti per orbem episcopi et ipsi sentiant, et de suarum ecclesiarum fide testentur. Plurimos a paucis dissentire comperiet: pauci isti sese veritatis obscuratae propugnatores praedicabunt; illi plures non veritatem, sed errorem ab istis paucis defendi contendent. In eo dissensu Pontifex sententiam suam vel paucis adjunget, vel pluribus. Si paucis, alii numero superiores opponent, solius Pontificis, ac paucorum judicio de universitatis sensu constare haud posse, nec id proinde ad constituendam fidei regulam valere. Contra si Pontifex pluribus sese adjunget, tum pauci illi, penes quos unos manere dicitur obscurata veritas; vel Pontificis, ac plurimorum sententiae adhaerebunt, vel repugnabunt. Si assentientur, jam fiet, ut quae apud ipsos unos manebat obscurata veritas, a suis defensoribus deserta, oppressa tandem maneat, ac penitus extincta. Si repugnabunt, aliud incommodum recurret, quippe dicere cogentur, nec Pontificis, nec plurimorum ei adhaerentium antistitum judicium satis virium habere ad quid certi de fide statuendum; penitusque concidet vis auctoritatis, quam in morali unanimitate cum capite ad certum de fide judicium in Ecclesia dispersa constanter tuentur gallicanae, quam vocant, sententiae propugnatores. Quo semper magis patet, eos, qui novae isti opinandi licentiae indulgent, nullum Ecclesiae dispersae subsidium relinquere, quo certum de quovis controverso doctrinae capite judicium interponere valeat; quod tamen a catholica sentiendi ratione abhorrere ultro catholici omnes consentiunt.

Nec istud praetereundum, quam longe a prisca traditione discedant, qui episcopis in causis fidei non aliud munus relinquunt, quam ut de suarum ecclesiarum fide, ac sensu testentur. Quo fieret, ut episcopi suis ab ecclesiis docendi potius esse viderentur, quam eisdem docendis, velut magistri, ac judices praeesse. At profecto episcopi officium est populum suum docere, in eoque sacrum fidei depositum sibi cum legitima missione creditum, sancte ac diligenter custodire. Nec vero simplex docendi ministerium episcopis demandatum est, sed ministerium cum auctoritate conjunctum. Docuit Christus, et quidem *ut auctoritatem habens;* auctoritatis hujus participes fecit Apostolos, eorumque successores, quum eos jussit docere omnes gentes, pollicitus se cum ipsis futurum usque ad consummationem saeculi; ut proinde episcopi non tantum ut fidei suarum ecclesiarum spectatores ac testes semper habiti sint, sed ut magistri, ac judices: quam episcopalis ordinis dignitatem egregie vindicat Bellarminus l. 1, *de Concil.* c. 18, *episcopos in conciliis non consiliarios, sed judices esse*, docens.

Quare in ipsis etiam conciliis oecumenicis, quum de aliquo doctrinae capite consultationes haberentur, minus solliciti videntur Patres fuisse de roganda singularum ecclesiarum sententia, quarum etiam plurimarum episcopi semper aberant; sed in eo praecipue sibi elaborandum duxisse, ut Patrum, ac doctorum sensum recognoscerent, qui docti a majoribus, vicissim ipsi ecclesias docuissent, traditamque ab initio doctrinam ad omnem posteritatis memoriam scriptis mandavissent: uno verbo id unum ad certum judicium ab ipsis expetitum esse, ut comperta fieret propositae doctrinae consensio, vel repugnantia cum verbo Dei sive scripto, sive tradito: scripti porro intelligentiam, ac traditi notitiam apostolicae successionis ope explorarent, ejus praesertim cathedrae, in qua Petrum vivere adhuc, et praesidere norant; cujusque adeo vocem in successorum suorum rescriptis audiendam sibi, ac sequendam ducebant.

Nec propterea judicum sibi personam abrogabant, quod certum ipsis apostolicae Sedis judicium praeluceret. In apostolico hierosolymitano concilio Petrus sententiam primus dixit; ut post eum nihilominus, ejusdemque sententiam secutus Jacobus, vere adhuc judicavit. Jam vero notum est, quod Petro pro suo principatu conveniebat, extraordinario id privilegio caeteris quoque Apostolis tributum fuisse; ut quidquid ipsi de causa fidei decrevissent, omni erroris periculo vacaret. Non ergo ignorabat Jacobus immunem ab omni errore Petri sententiam, qui non solum Apostolus, sed et Apostolorum Princeps esset; vero tamen judicavit, hoc ipso, quod suum judicium Petri judicio, tametsi ra-

to, et certo adjunxerit (1). Non desunt exempla haeresum, quae primum ab Ecclesia dispersa irrevocabili judicio damnatae; dein propter sectatorum pertinaciam novam rursus in synodis provincialibus, vel etiam generalibus damnationem subiere: in hac nova damnatione Patres judicum personam sustinebant, nec tamen ignorabant, revocari amplius non posse, quod Ecclesiae dispersae irrevocabili judicio de illis erroribus praejudicatum jam fuisset, ac definitum. Minime proinde repugnat, ut, etiamsi praecesserit judicium certum, et irrevocabile; istud nihilominus sive ad compescendam obirecientium pervicaciam, sive ad prioris judicii aequitatem clarius manifestandam, sive alia de caussa post novam recognitionem novo judicio confirmetur. Quod tamen praestari non potest nisi ab eo, qui judicandi potestate praeditus sit, et legitimi judicis in eo munere personam sustineat.

Sed jam promenda traditionis monumenta, quae paulo ante polliciti sumus. 1. Celebris est Irenaei auctoritas l. 3, c. 3, ubi, posteaquam docuit, profectam ab Apostolis traditionem continua episcoporum successione in omni Ecclesia conspicuam se praebere, subdit: » Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine » omnium ecclesiarum enumerare successiones; » maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundatae, et constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus » fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per » sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per » caecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc » est eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est » ea, quae est ab Apostolis, traditio » (2).

Perspicue docet, pro asserenda fide adversus haereses minime opus esse singularium omnium ecclesiarum successiones adire, quas vel nimis longum foret percensere numerando; sed ad confundendos quoquo modo errantes satis esse indicasse traditionem, et fidem, quam ecclesiarum omnium maxima Romae constituta, et omnibus nota, a gloriosissimis Apostolis accepit; quae traditio in ea conservata per successiones episcoporum ad nos usque pervenit; ad quam propterea Ecclesiam pro sua potiore principalitate caeteras ecclesias, et eos, qui undique sunt fideles, necesse est convenire.

Hanc Irenaei auctoritatem adversus nonnullorum haereticorum revera ineptas cavillationes egregie vindicat Renatus Massuet; cujus docti viri interpretationem *Dissert.* 3, *art.* 4, *num.* 31, in hunc locum haud abs re fuerit saltem ex parte in medium proferre: » In iis verbis, *inquit*, plura notanda sunt: 1. Romanam Ecclesiam jam Irenaei saeculo omnium maximam » existimatam fuisse longe minus fidelium numero, de quo tunc temporis cum ea contendere » potuissent aliae quaedam ecclesiae; quam » auctoritatis amplitudine. 2. Omnium antiquissimam: quod si ad fundationis tempus referatur, falsissimum erit. Dudum enim antea » hierosolymitanam, antiochenam, et alias fundaverant Apostoli: ad dignitatem igitur necessario referendum est, ut ideo omnium antiquissima dicatur romana Ecclesia, quia omnium princeps, et praecipua... 3. Omnibus cognitam asserit Irenaeus, utpote quam » caeteris sublimiorem, ac excellentiorem aliae » omnes ut caput, et primam suspicerent, ac » venerarentur... 4. Ad hanc Ecclesiam necesse esse, omnem ecclesiam, seu omnes omnino fideles per totum orbem dispersos convenire: non quod illuc proficisci tenerentur » ii, qui erant undique fideles; id vel cogitare » absurdissimum fuisset; sed quod, ut fateri » coactus est ipse Salmasius, necesse esset *convenire, et concordare in rebus fidei cum Ecclesia romana*... Sed alterutrum scripserit » auctor noster; significare voluit, ideo omnes » ecclesias cum romana consentire teneri, quia, » licet caeterae in suis quaeque finibus principatus in sibi subditos fideles jure gaudeant, » longe tamen potior est is, quem obtinet romana, utpote quae principatus, ac primatus jure omnibus dominetur, omnibus praesit, omnesque sibi subditas habeat. 5. Denique in ea Ecclesia semper ab his, qui sunt » undique, conservatam esse eam, quae est ab » Apostolis, traditionem ».

Tertullianus lib. *de Praescript.* c. 21 ad revincendas quasque haereses, veritatis ab Apostolis traditae testimonium non a singulis per orbem dissitis, sed ab apostolicis ecclesiis petendum docet: » Si haec ita sint, constat proinde » omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis » matricibus, et originalibus fidei conspiret, » veritati deputandam, id sine dubio tenentem, » quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit » .... Et in-

(1) In eamdem sententiam Patres oecumenici concilii V, collat. 8: » Licet enim Sancti Spiritus gratia et circa singulos Apostolos abundaret, ut non » indigerent alieno consilio ad ea, quae agenda erant; » non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, » si oporteret gentes circumcidi, definire prius, quam » communiter congregati divinorum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt ».

(2) Ineptam explosimus in *Confutat.* part. III, (vedi il tomo precedente) interpretationem, qua Irenaei auctoritati illudere voluisse videtur auctor libelli inscripti *Riflessioni sopra il Breve*, etc. dum fidei perpetuitatem in Ecclesia romana, quam Irenaeus ex Pontificum successione repetit, maluit ille ex turba repetere cujusque generis hominum, Romam pro suis utilitatibus undique confluentium.

fra : » Communicamus cum ecclesiis apostoli» cis, quod nulla doctrina diversa ». Catholicae veritatis testimonium Tertullianus agnoscit positum in communicatione cum ecclesiis apostolicis; communicationem vero ex hoc pendere, *quod nulla doctrina diversa ;* ut adeo quisquis hanc communicationem teneat, hoc ipso comprobetur id tenere, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Porro inter apostolicas ecclesias romanam potissimum Tertullianus extollit, ac celebrat c. 36 : » Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde » nobis quoque auctoritas praesto est ». Scilicet censebat promtum, ac paratum Africae adversus quasque haereses praesidium in ejus Ecclesiae auctoritate, a qua illa fidem acceperat. Pergit vero: » ista quam felix Ecclesia! » Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine » profuderunt: ubi Petrus Passioni Dominicae » adaequatur: ubi Paulus Joannis exitu coro» natur : ubi Apostolus Joannes posteaquam in » oleum igneum demersus nihil passus est, in » insulam relegatur. Videamus, quid didicerit, » quid docuerit, quid cum africanis quoque » ecclesiis contesserarit ». Colectam in romana Ecclesia doctrinae plenitudinem commendat, ut proinde non aliud indagandum remaneat, quam quod ipsa didicerit, docuerit; quamque fidei formulam, veiut communionis tesseram tradiderit. Atque hanc quidem singularem cathedrae romanae auctoritatem ex primatu Petri prodire satis innuit c. 22: » Latuit aliquid Petrum aedi» ficandae Ecclesiae petram dictum, claves regni » Coelorum consequutum, et solvendi, et alligan» di in Coelis, et in terris potestatem » (1)? ·

Quantum vero excellenti romanae Sedis praestantiae tribueret Augustinus, quum ex aliis locis multis intelligi potest, tum ex Epist. 186, alias 106, num. 28, ubi obstinatam pelagianorum pervicaciam in perversa sententiae evangelicae interpretatione hoc potissimum ex capite revincit, quod eam tueri persisterent *contra apostolicae Sedis auctoritatem, ubi de hac ipsa re quum ageretur, hoc testimonium adhibitum est evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere credantur.* Appellat scilicet Innocentii I epistolam (182 inter Augustini epistolas), qua concilii milevitani acta contra pelagianos comprobantur; qua in epistola sic ejus concilii Patres Innocentius alloquitur num. 2 : » Diligenter ergo, et congrue apo» stolici consulitis honoris arcana (honoris, in» quam, illius, quem praeter illa, quae sunt » extrinsecus, sollicitudo manet omnium eccle» siarum) super auxiis rebus, quae sit tenen» da sententia; antiquae scilicet regulae for» mam sequuti, quam toto semper ab orbe » mecum nostis esse servatam. Verum haec mis» sa facio; neque enim hoc vestram credo latere » prudentiam: qui id enim actione firmastis, nisi » scientes, quod per omnes provincias de apo» stolico fonte petentibus responsa semper ema» nent? Praesertim quoties fidei ratio ventila» tur, arbitror, omnes fratres, et coepiscopos » nostros nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, » et honoris auctorem referre debere, velut » nunc retulit vestra dilectio, quod per totum » mundum possit omnibus ecclesiis in commu» ne prodesse ». Hoc ipsum non minus expresse tradit Innocentius Epist. superiore 181, ad Aurelium, caeterosque carthaginensis concilii Patres num. 1 : » in requirendo de his rebus, » quas omni cum sollicitudine decet a sacer» dotibus, maximeque a vero, justoque, et » catholico tractari concilio, antiquae traditio» nis exempla servantes, et ecclesiasticae me» mores disciplinae, nostrae religionis vigorem » non minus nunc in consulendo, quam antea, » quum pronuntiaretis, vera ratione firmastis; » qui ad nostrum referendum approbastis esse » judicium; scientes, quid apostolicae Sedi, quum » omnes hoc loco positi ipsum sequi deside» mus Apostolum, debeatur, a quo ipse epi» scopatus, et tota auctoritas nominis hujus » emersit ». Atqui haec Patres africani audiunt, legunt, suscipiunt: in his *antiquae traditionis exempla, in his antiquae regulae formam* agnoscunt, eademque suis actionibus firmant. Quo sane patet, quam praeclare illi de apostolicae Sedis auctoritate sentirent, ut minime mirum sit, vehementer ea de caussa Augustinum pelagianos erroris coarguisse, quod post allatum Innocentii documentum cedere romanae Sedi renuerent, quam unam per antonomasticam appellationem apostolicae Sedis nomine designat (2).

(1) Quam subdole, ac fallaciter auctor *Analysis lib. Praescript.* a Tertulliani sensu in alienum plane sententiam illius detorqueat de petenda ex apostolicis ecclesiis fidei regula, liquido est a nobis *in Append. part. II, Confut.* (vedi il tomo precedente), demonstratum. Quo ex loco nonnihil etiam lucis iis forte affulserit, quae hic disseruntur adversus opinionem, quam verius errorem ex communi theologorum sensu *de notis theologicis* dici oportuit, eorum, qui statuunt, veritatem sic interdum in Ecclesia obscurari, ut in paucis tantum resideat: manifestum, inquam, errorem, utpote qui aperte pugnet cum catholico dogmate de perpetuo aspectabili Ecclesiae statu a Christo constituto.

(2) Quam probata Patribus africanis fuerit Innocentii I sententia de firmo, rato, stabilique judicio romanae Sedis in causis fidei, patet ex Epist. Augustini (186) suo, et Alypii nomine ad Paulinum data, qua de Pontificis rescripto ad litteras carthaginensis, et milevitanae synodi sic loquitur: » Ad » omnia nobis ille rescripsit eo modo, quo fas erat, » atque oportebat apostolicae Sedis antistitem ». In eo rescripto dixerat Pontifex divinu decretum sententia, quod sancte servatum fuerat a Patribus » ut » quidquid (epist. 181 ad Carthag.), quamvis in » disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non » prius ducerent *finiendum*, nisi ad hujus (aposto» licae) Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus au» ctoritate justa quae fuerit, pronuntiatio firmaretur ». Ad haec rescripti verba, *non prius finiendum*, quam Sedis apostolicae auctoritate *firmaretur*, manifeste se

Quaerit Jovenlnus Dissert. 4, de loc. Theolog. quaest. 2, c. 3: » Quid facto opus sit, » quum in aliquibus ecclesiis alicujus dogma» tis traditio non reperitur, quae tamen repe» ritur in aliis »? Quod si omnis in causa fidei definitio ex singularum omnium ecclesiarum unanimi consensu emergeret, ac peti deberet; profecto desperandum foret de asserenda divini cujuscumque dogmatis firmitate, cujus traditio non in omnibus ecclesiis reperiretur. At id quam absonum sit, quis non intelligat? An vero, quia singulares nonnullae per orbem ecclesiae aut ignorabunt, aut silebunt, propterea lucerna sub modio retinebitur, sive obstruetur Ecclesiae universae, quin credita sibi eloquia, qua jussa est, auctoritate promulgare, ac super tecta praedicare valeat? Probe idcirco laudatus scriptor respondet, jamdudum Irenaeum, et Tertullianum propositae quaestioni occurrisse; qui » nempe ajunt, eo » in casu judicandum esse, eam traditionem » esse divinam, quae reperitur in praecipuis » et apostolicis ecclesiis, in quibus interrupta » non fuit episcoporum successio ». Horum illa testimonia recitat, quae sunt a nobis prolata, monetque inter has ecclesias ex eorumdem sententia romanam Ecclesiam tenere principem locum, *cujus ordinatione*, *ac successione* ea, quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio, et veritatis praeconizatio pervenit usque ad nos.

Eodem ex capite, seu immunitate ab omni errore, primatus dignitatem potissimum Theodoretus repetit *Epist.* 116 ad Renatum, dum ait, romanam Ecclesiam *habere ecclesiarum*, *quae in toto orbe sunt*, *principatum multis nominibus*: *atque hoc ante omnia*, *quod ab haeretica tabe mansit immunis*. Nec mirum, siquidem in ea, ut ait Chrysologus *Epist. ad Eutychem*, quae refertur 1. *p. Concil. Calcedon.*: » Beatus Petrus, ut in propria Sede et vivit, et » praesidet, praestatque quaerentibus fidei ve» ritatem ». Quod quum aliis multis, tum Agathonis luculentissima auctoritate inferius proferenda confirmatur.

Ad apostolicas etiam ecclesias Thusciae episcopos revocat Pelagius I. apud Baron. ad an. 556, n. 31: » Beatus Augustinus, *inquit*, do» minicae sententiae memor, quae fundamen» tum Ecclesiae in apostolicis sedibus colloca» vit, in schismate esse dixit quicumque se a » praesulis earumdem sedium auctoritate, et » communione suspenderit; nec aliam mani» festat esse Ecclesiam, nisi quae in Pontifici» bus apostolicarum sedium est solidata radi» cibus ». Omnium porro istarum radicum, ut animadvertit Christianus Lupus tom. 9, p. 88, radix est romana Ecclesia, ac ejus episcopus de quibus idem *Augustinus* scribit ad quosdam *donatistas*, *in romana Ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus*.

Rursum de istis apostolicis ecclesiis idem scriptor pag. 89: » Omnes, *inquit*, sunt commu» nionis radices, nempe sibi subditis ecclesiis, » ac populis. Hinc et ipsae habent altiorem ra» dicem, apostolicam Sedem, romanam Eccle» siam, . . . quod ipsam Dominus super unum » sanctum Petrum fundaverit, atque ita in ipsa » catholicae unitatis originem, et rationem po» suerit: ejus episcopatum omnibus episcopa» tibus, atque ecclesiis fecerit esse, ut solem » radiis, ut rivis fontem, ut radicem ramis » supra nobis dixit sanctus Cyprianus ». Pergit idipsum confirmare Sanctorum aliorum auctoritatibus; ac demum notat, hoc ipsum sic et donatistis ipsis notum fuisse » ut paucis suis » Romae ob negotia morantibus Afris crearint » episcopum, ipsumque illic in (nescio quo) » monte, aut rupe latitantem appellarint Pon» tificem romanum. Sciebant sine romani Pon» tificis communione esse non posse veram Ec» clesiam. At istud Pontificis spectrum fideles » romani per jocum appellabant episcopum » montensem, aut rupitanum. Hinc et omnes » donatistae ab eadem fideli urbe appellati fue» runt montenses, ac rupitani ».

Innumera alia proferri possent in eamdem sententiam veterum testimonia; nec pauca ipsi, prout se dedit opportunitas, identidem in hujus lucubrationis decursu protulimus. Hoc loco unum nobis propositum fuit, ut oculis aequi cujusque aestimatoris subjiceremus. I. Quantum a priscae traditionis auctoritate recedat nova haec opinandi ratio, quae in causis fidei non alias propemodum Pontifici romano partes concedit, quam ut ecclesiarum sensum roget, ac ferat. II. Quam secum ipsi pugnent opinionis ejusdem auctores, vel suffragatores, qui ad fidei judicium singularum omnium, vel fere omnium ecclesiarum suffragia expetant, dum ex alia parte fidei veritates in plerisque interdum ecclesiis sic turpiter deformari, obscurarique contendunt, ut ab illis ipsis ecclesiis veritas non solum non teneatur, sed potius acriter oppugnetur. III. Quam parum congruenter agant, qui, dum se ostentant episcopalis dignitatis acerrimos vindices, eam sic deprimunt, ut episcopos haberi veliut suarum quosque plebium sensus spectatores, ac testes; ut quos Christus magistros posuit, eos ipsi faciant ecclesiarum aliquo pacto discipulos.

refert Augustinus (serm. 131 de Verbis Evang. Jesu. Edit. Maur.), quum memoratis rescriptis, quae de causa Pelagii Roma venerant, ostendit, causam eam *finitam* esse, posteaquam quod non prius *finiendum* erat, quam Sedis apostolicae judicio *firmaretur*, per ea rescripta tum demum firmatum, atque adeo finitum esset. Sic locorum collatione sponte sua emergit, lucetque per se se Augustini mens in ea celebri sententia, eademque clarissima, cui quaesitis undique contortis interpretationibus tenebras offundere perperam nituntur supremae pontificiae auctoritatis oppugnatores.

POSITIO XV.

» Haeresis Lutheri jam ante concilium tri-
» dentinum praeeunte Leone X, Pontifice ma-
» ximo, ab Ecclesia irrevocabiliter damnata
» fuit ».

ANIMAD. Cavere imprimis videtur Febronius, ne irrevocabilis haec Lutheri damnatio uni apostolicae Sedis judicio accepta referatur. Notat, Lutherum an. 1520 a Leone X damnatum fuisse: ei damnationi eodem anno universitates coloniensem, et lovaniensem, sequenti vero etiam parisiensem subscripsisse; agnitum quidem sive ab hac academia, sive a parisiensi synodo an. 1528, per Lutherum *extinctarum quondam haereseon cineres exsuscitari*; attamen additum ab utraque: » Negandum non » esse, Lutherum ex prono suo, et fertili ad » novitates ingenio etiam plures novas ante » inauditas haereses produxisse ». Sed jam quod attinet ad academiarum sententias, quamvis illae pro praestanti, qua florent, doctrinae laude magnum auctoritatis pondus afferant, non ideo tamen judicium proprie dogmaticum constituere, facile Febronius ipse consentiet, qui hoc proprium episcopalis ordinis tuetur.

Refert deinceps, Edicto Caroli V, an. 1521, quo Bullae Leonis Papae doctrinas Lutheri damnantis insistitur, eam Bullam per varios Germaniae locos, signanter Lovanii, Coloniae, Treviris, et Moguntiae publicatam esse.

Et continuo: » Taceo, *inquit*, dioecesanas » synodos trevirensem, et augustanam an. 1548, » argentinensem an. 1549, coloniensem, et ca» meracensem an. 1550, quibus errores Lutheri » proscripti sunt; sed non praeteribo *provin-* » *ciales* anno 1549, moguntinam, trevirensem, » et coloniensem, quippe quae provinciae to» tam pene Germaniam sacram complectuntur, » quae omnes cum prioribus de eodem argu» mento sunt, scilicet de damnatione doctri» narum Lutheri ».

Tum concludit: » Sic Germania est theatrum, » in quo orta, et propagata est haeresis Lu» theri: eadem est theatrum, quo illa pro» scripta fuit adhaesione corporis suorum episco» porum judicio, et damnationi per romanum » Pontificem factae, aliis episcopis saltem taci» te assentientibus; quae adhaesio una cum » tacito reliquorum consensu consiliuit verum » et finale judicium Ecclesiae dispersae ».

Itaque adhaesionem episcoporum Germaniae repetit praecipue Febronius ex tribus illis provinciarum synodis, quae totam pene Germaniam sacram complectuntur. Quod si ita est, sponte sua consequitur, ante illas synodos adhaesionem, qua *finale* judicium continetur, aut nondum habitam fuisse, aut saltem non satis idoneo, firmove argumento patefactam: quo posito et istud aliud consequitur, ante an. 1549, quo illae synodi habitae sunt, ad Lutheri errores irrevocabiliter damnandos nullum adhuc *finale* judicium prodiisse.

Atqui haec consectaria, tametsi expositioni Febronii plane consentanea, non potuere Febronio ipsi non absurda videri. Sic itaque pergit disserere: » Manet proinde fixum, etiam » novas Lutheri haereses (ut de recoctis, jam » ante Lutherum proscriptis, non loquar) ante » concilium tridentinum serius convocatum ir» revocabiliter damnatas fuisse; quamvis prae» cisum, et fixum tempus aegre determinari » valeat, quo moralis illa unanimitas corporis » germanici adhaerentis Bullae Leonis X per» fecta fuerit: quandoquidem eam in annum » 1549, idest epocham praedictarum provin» cialium synodorum differri nollem; neque » enim potuere catholicae Ecclesiae totam il» lam errorum massam ocius non perhorre» scere ».

Jam videat quisque paullo aequus rerum aestimator, quam bene ista conveniant. Corporis germanici adhaesionem potissimum repetit Febronius ex illis synodis provincialibus, nec certius ejusdem, aut luculentius monumentum proferre valet. Hic vero adhaesionem ipsam in id usque tempus differri noliet. Ergo eam extitisse oportebit, antequam ea existerent, per quae illam existere oportebat. Cujus rei argumento est, quod ab ea epocha discedens Febronius nullum amplius praecisum tempus reperire valet, quo moralis unanimitas perfecta fuerit. Quod si vir bene doctus, qui nunc totam rerum tunc gestarum seriem pacato, quietoque animo revolvere, ac perpendere valet, non tamen in longo eo intervallo tempus ullum notare potest, quo moralis unanimitas aut perfecta sit, aut saltem certis notis, et indiciis patescere potuerit; quid de illis existimandum, quos contigit turbulentissimis illis temporibus in medio disputationum aestu versari? Ergo donec certo ipsis constare potuerit de morali unanimitate, qua finale judicium continetur, incerti, ac fluctuantes haerere debuerunt; nec habere certum quidquam, et fixum, in quo tamquam in constanti, et irrevocabili fidei regula conquiescerent. Donec enim non prorsus constaret, an irrevocabiliter damnatae essent doctrinae Lutheri; suspicio semper aliqua suboriri poterat, num forte finale judicium latis ante judiciis omni ex parte responderet: qua manente suspicione firmus consistere haud poterat assensus ille fidei, qui contrariis veritatibus debebatur. Quis porro catholicus ferre possit, eum aliquando statum Ecclesiae fuisse, ut ancipites potuerint esse fideles (quod vel scribere horret calamus), num pontificiis decretis, an potius lutheranis doctrinis audientes esse deberent?

Sed frustra laborat Febronius in exquirenda epocha, qua de finali adversus Lutheri errores judicio plane constiterit. Nullus de hac post Leonis X Bullam dubitandi locus fuit. Pontificio decreto

catholicae Ecclesiae, nulla suscepta ulterioris unanimitatis pervestigatione, acquieverunt. De corporis germanici adhaesione minime solliciti fuere Patres lugdunensis provincialis concilii an. 1527, quum de lutheranae haeresis impietate gravissime conquesti, omni ope sibi enitendum ducerent, ne a propinquis regionibus in Gallias pervaderet; juberentque adeo, ne quis Lutheri, ejusque sequacium dogmata, aut alias perversas, reprobatasque doctrinas docere, aut defendere quoquo modo auderet. Concilium provinciale biturtcense, an. 1528, Lutheri dogma reprobat, seu potius pro reprobato habere se testatur: quo fundamento? Quod fuerat *a sacrosancta Sede apostolica jampridem reprobatum*. Synodus augustensis, an. 1548, praecipit, ac mandat universo clero, ac populo: » Ut in sancta fide catholica, quam divina clementia, et » sanctissimorum hominum praedicatione secundum praedictae sanctae Sedis (cujus primatum paullo ante asseruerat) puram, et incorruptam traditionem majores nostri acceperunt, constantes, firmique permaneant ». Non aliam sibi quaerendam veritatis regulam putavit haec synodus, nisi puram, et incorruptam sanctae Sedis traditionem. Consentit decretum, num 5 editum: » Ut catholica doctrina, » atque disciplina ecclesiastica melius conservetur, statuimus, atque ordinamus, ut ordinandi super haeresibus hoc tempore jactatis, » quid de illis, et contra quid de romana catholica, et apostolica Ecclesia sentiant, diligenti examinatione explorentur ». Eo scilicet spectabant Patres, ut eorum subditi » orthodoxam fidem, Sedisque apostolicae, a qua (inquiunt n. 31) fidei christianae incunabula traximus, auctoritatem, ut hactenus factum ab » eis fuit, ad gloriam Omnipotentis Dei tueantur ».

Quid plura? Edicto ipso Caroli V, ann. 1521, quo, ut fatetur Febronius, Bullae Leonis X insistitur, Lutherus pro haeretico habetur. Qua de re Natalis Alexander *Hist. Eccl. Sec.* XV *et* XVI, *c.* 2, *art.* 11, §. 4, *num.* 4: » Caesar edictum edidit de consensu septemvirum, et » omnium sacri imperii principum, ordinum, » et statuum, quo Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ut obstinatum schismaticum, et notorium haereticum » habendum decernit ».

At nec silentio praetereundae, quas praecipue commemorandas censuit Febronius, provinciales synodi, an. 1549, moguntina, trevirensis, coloniensis. In his nullum dubitationis indicium, quin velut damnatae jam, ac reprobatae habendae essent, haberenturque lutheranorum doctrinae. Specialim vero insigne prorsus, maximeque ad hanc rem, causamque pertinens decretum edidit Trevirensis, e quo non abs re fuerit pauca haec descripsisse. » Inconfesso est, » testantibus nimirum sanctae Ecclesiae Patribus, ac re ipsa clamante, Christi Apostolos » Petrum, et Paulum Dei sanctum Evangelium, » in sanguine quoque ipsorum signatum, romanae Ecclesiae reliquisse; atque in illius fidem » ecclesias omnes, quae ubique sunt, fideles in » toto orbe terrarum religiose conspirasse, atque societate Sacramenti confoederatas, et » conjunctas esse. Itaque quum ad nos per episcoporum successionem perpetuo continuata ea fides pervenerit; non dubitamus, hanc » unam, eamdemque esse, atque adeo veram fidem, quae ab Apostolis ipsis in veritate est » tradita, et usque nunc religiose semper custodita, et in catholica Ecclesia semper conservata. Nihil proinde aliud credendum, tenendum, aut docendum est, nisi quod sancta romana tenet, et docet Ecclesia, omnium » consentientium ecclesiarum mater, et magistra. Eum vero, qui a fide catholicae, et romanae Ecclesiae recedit, necesse est a veritate, et capite deficere ».

Atque id quidem antiquae suae, ac per multam episcoporum successionem continuatae traditionis, praeclarissima trevirensis ecclesia velut hereditarium monumentum posteris reliquit; istudque, si quem alium, praesertim decet, episcopum myriophitanum pro amplissimo dignitatis gradu, quem in ea ecclesia obtinet, non solum non defugere, sed velut sacrum depositum sibi a majoribus commendatum sancte custodire, ac pro viribus sartum, tectumque tueri, ac defendere.

POSITIO XVI.

» Ecclesia a Christo habet auctoritatem judicandi de sensu, seu doctrina propositionum, » librorum, et auctorum; nec non fideles compellendi ad subscribendum suae sententiae ».

ANIMAD. Docet, hanc auctoritatem *in corpore pastorali residere, seu penes eos, quibus incumbit munus, et obligatio regendi, et docendi fideles in iis, quae ad salutem pertinent, idest pastores Ecclesiae*. Usumque hujus auctoritatis multis ex antiquitate petitis exemplis confirmat.

Perspicue adstruit, teneri fideles jure conscientiae judicio Ecclesiae acquiescere, nec religiosum, quod vocant, silentium sufficere: *Etenim verum, ac internum assensum Ecclesia postulat, non dolosam, et mendacem subscriptionem*. Addit tamen, *non deesse theologos plane catholicos, qui Ecclesiae tributam esse infallibilitatem in factis dogmaticis, negant*. Quod sane sine multa reprehensione praetereundum non erat; nec omnino conciliari potest cum jure, quod Ecclesiae palam Febronius attribuit, veri, ac tuleral assensus exigendi.

Demum celebris Muratorii de hac re sententiam profert in hunc modum: » Jansenii factum (verba sunt Febronii) *ad fidem* non pertinere, probat etiam sub nomine Lamindi » Pritanii celebris Muratorius de ingeniorum » moderat. l. 1, c. 20 Dicit tamen, debere o-

» mnes, et singulos fideles judicio Sedis aposto- » licae acquiescere corde, et ore, quia hoc de- » finire pertinet ad auctoritatem Ecclesiae *cir-* » *ca disciplinam* ».

Quod ait Lamindus Pritanius, debere fideles omnes judicio Sedis apostolicae corde, et ore acquiescere, rectissime ab eo dictum est. Quod merae disciplinae sit judicium, quod in factis dogmaticis fertur ab Ecclesia, id vero perspicue refellit Febronius ipse hac sua sapienti observatione p. 97: » Ex ista rei serio apparet, » decisionem controversiae Cyrilli cum Nesto- » rio, *quae erat controversia fidei*, factam ab » ephesina generali synodo, totam esse funda- » tam in collatione epistolarum Cyrilli, et Ne- » storii cum nicaeno symbolo; atque synodum » non aliter controversiam hanc decidisse,quam » interpretando utramque epistolam, et illam » quidem symbolo consonam, hanc dissonam » pronuntiando ». Videat jam Febronius, num satis catholicum se doctorem probet, quisquis ab Ecclesia conetur auctoritatem illam depellere, de factis dogmaticis certo nec errori obnoxio judicio decernendi, quam adeo illustri facto, et exemplo oecumenica synodus ephesina comprobavit.

POSITIO XVII.

» Constitutioni *Unigenitus*, ut dogmatico san- » ctae Sedis, et universalis Ecclesiae decreto, » omnimoda ab omnibus obedientia debetur ».

ANIMAD. Agnoscit,Ecclesiae jus esse adigendi fideles, ut suae sententiae subscribant, » non » solum quum singulae propositiones damnan- » tur *ut haereticae*, sed etiam dum plures sub » diversis, et indeterminatis qualificationibus » configuntur,et probibentur,ut ajunt,in globo... » Itaque per talem Ecclesiae definitionem fir- » mum stat, eas propositiones quocumque titu- » lo, seu rubrica damnatas, esse rejiciendas; » quippe quod ex eisdem quaedam sint *haere-* » *ticae*, quaedam *erroneae*, quaedam *scandalosae*, » etc. atque in id fertur assensus auctoritati de- » bitus. Quaenam vero censurae nota singulis » conveniat, doctoribus inquirendum et assi- » gnandum relinquitur, donec ab Ecclesia spe- » cialius id fuerit determinatum ». Recte huc usque. Verum subjungit: » Posterior haec ob- » servatio omnino necessaria impedit, quomi- » nus laudata constitutio pro *regula fidei* habe- » ri hactenus valeat, sed *morum* tantum ».

Fatetur tamen Febronius, constitutionem *U-* » *nigenitus*, prout est a clero ipso gallicano declaratum, *esse revera, et agnosci pro dogmatico universalis Ecclesiae decreto*. In decreto porro dogmatico non sola vis inest regulae morum; siquidem hujusmodi judicio propositiones sic proscribuntur, ut quamvis non plane constet, quae cuique censura conveniat; unusquisque tamen intelligere possit, ac debeat, nullam esse, quae non alicui ex inflictis notis subjaceat; omnesque proinde aliquid continere, quod catholicae, sanaeve doctrinae adversetur. Quumque id judicium non tantum ad componendos mores, sed etiam ad tuendam fidem spectet, atque ad ea rejicienda, ex quibus fidei, catholicaeque doctrinae periculum, ac detrimentum imminet;non satis vim ejusmodi exprimit, qui non aliud in eo, quam simplicem regulam morum agnoscit.

Nec sequitur, constitutionem *Unigenitus* nonnisi ut simplicem regulam morum ab illis haberi, quos laudat Febronius, qui eam *judicium Ecclesiae dogmaticum*, *et irreformabile* potius, quam *regulam fidei* appellare maluerunt. Haud quippe alienum est, illos existimasse, nomen hoc *regulae fidei*, quum strictissimo sensu accipitur, eis tantum definitionibus convenire, quibus aliqua propositio singillatim, ac expresse damnatur velut *haeretica* adeo, ut opposita enuntiatio dogma contineat, fide divina determinate credendum; reque sic definita nullus ulteriori judicio locus relinquatur. Porro ubi propositiones *in globo*, ut ajunt, damnantur, nondum habetur ultimum illud judicium, quod Ecclesia ferre de illis queat: quo nimirum ipsa definiat insuper, ac declaret, qua speciatim nota unaquaeque propositio sit afficienda. Quo non tollitur, quin regulae fidei appellatio paullo latiore sensu jure, ac merito transferatur in ea judicia, quae ad fidem tuendam pertinere, nec Febronius ipse diffitetur. Quocirca minus haerendum hoc loco censeo in iis persequendis, quibus cum recentis memoriae scriptore evincere nititur, regulae fidei appellationem in concilii provincialis romani acta irrepsisse, quod aliunde longiorem disputationem flagitaret, quam praesentis instituti ratio patiatur (1).

Ad extremum testatur Febronius, quae de constitutione *Unigenitus* scripsit, ea ut privatum hominem *in reverentiam summae Sedis, et constitutionum ejus scripsisse; quin damnare audeat ea supremorum magistratuum mandata, quibus ad asserendam regnorum tranquillitatem de his, et similibus controversiis in publico abstinendum jubetur:* subjungitque: » Verum haec ad » ea pertinent, quae de jure placiti seculari- » bus principibus in spiritualibus quoad cer- » tum modum, certosque fines competente, a » jurisconsultis traduntur ». Qua de re pauca se inferius dicturum pollicetur (2).

(1) Quamquam apud aequos rerum aestimatores ambigendi locus superesse nullus deinceps potuit, posteaquam S. M. Benedictus XIII, qui acta hujusce sui concilii summa cura, et diligentia recognovit, ea ipsa de re rogatus ab archiepiscopo ebreduuensi expressis verbis rescripsit: Decreto, quale typis editum est, fidem prorsus habendam; cui nimirum et ipse Pontifex, et caeteri Patres concilii subscripsissent. Quam epistolam manu Pontificis ad se praescriptam, datamque die 8 junii 1726, archiepiscopus eo ipso tempore cum aliis praesulibus communicavit, ac deinde, an. 1731, publica pastorali sua institutione ad omnem futuri temporis memoriam commendavit.

(2) Paucis tota res absolvi potest, Extat (Act, 15)

Unum igitur interea hic animadvertemus, constitutionem *Unigenitus* a Febronio propugnari tamquam dogmaticum sanctae Sedis, et universalis Ecclesiae decretum. Quo fit, ut in ejus auctoritate asserenda ratio ei habenda fuerit reverentiae non solum, quae summae Sedi, sed et quae universali Ecclesiae ab omnibus debetur. Quid porro debitum hujus reverentiae officium ab homine catholico in spiritualibus postulet, melius, ac tutius a conciliis, et Patribus, quam a privatis auctoribus Febronius intelligere poterit. Verum de his et nos pauca subjungemus, ubi pauca illa ea recurrent, quae ille pollicetur.

POSITIO XVIII.

» Quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid » dubitationis fuerit obortum, ad romanum Pon- » tificem referendum est ».

ANIMAD. Hujusmodi relationum exempla profert ex remotissima antiquitate, atque jus Pontificis esse, ut *ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes*, evincit non auctoritate tantum sardicensis concilii, sed facto ipso Cypriani, *quem*, ait, *forte hic nonnulli opponent;* tum epistola Coelestini ad episcopos Illyrici, quin et ipsiusmet Justiniani ad Epiphanium Constantinopolitanum l. 7, *C. de Sum. Trinit.*

Deinceps incipit aliquantum tergiversari, eoque spectare, ut auctoritatis vim, quae in Pontificum responsis eminet, imminuat, seu potius infringat. Scilicet descriptis ex Innocentii I epistola ad Victricium Rotbomagensem paucis hisce verbis, quibus » Pontifex responsa dare se » ait, *non quo nova praecepta aliqua imperen-* » *tur, sed ea, quae per desidiam aliquorum ne-* » *glecta sunt, ab omnibus observari cupiamus;* » *quae tamen apostolica, et Patrum traditione sunt* » *constituta* ». Ex hoc peculiari rescripto ad peculiaria Victricii quaesita, minus attentis dialecticae regulis, in hanc generalem conclusionem descendit, seu verius praecipitat, » responsa » ea fuisse veluti instructiones ad directionem » quaerentium, seu referentium ad normam » canonum, et antiquae traditionis ». Atque id quidem ex auctoritate *Petri de Marca l.* 7, *c.* 13, *n.* 4. Simul tamen non dissimulat, pius quidam a D. Rautenstrauch Pontificum responsis tributum fuisse, nimirum » ea responsa non » simplicis tantum *consilii* vicem subiisse, sed » veluti *decisiones* ex canonibus, et traditione » petitas accipiendas esse, ad quarum etiam » observationem adstricti essent episcopi ». Qua de re pollicetur Febronius, dicturum se Positione sequenti.

Nonnulla interim hic animadvertenda. Quod Pontificum responsa non consilii tantum, aut merae institutionis, ut innuit Febronius, sed praecepti, ac decisionis vim haberent, adeo perspicuum fit cuique rescripta inspicienti, ut D. Rautenstrauch minime dubitaverit idipsum palam, aperteque fateri. Quod vero decisiones istae Pontificum sic ex canonibus, et traditione petitae innuantur, ut inde tota vis penderet, qua episcopi ad earum observationem adstricti tenerentur: id porro non sine aliqua aut explicatione, aut etiam reprehensione praetereundum.

Equidem ex epistolis Innocentii I facile intelligimus, quanta cura, et diligentia in id incumberet Sedes apostolica, ut ecclesiastica instituta sancte, ac religiose ubique servarentur; simul vero docent, unde petenda esset origo, forma, norma ecclesiasticae disciplinae. Perspicua sunt verba Innocentii, quae haud par fuisset a Febronio sileri, utpote quae proxime antecedunt, explicantque pauca illa, quae superius sunt ab eo recitata: » Propter eos igi- » tur (inquit Innocentius, Victricium alloquens), » qui vel ignorantia, vel desidia non tenent » ecclesiasticam disciplinam, recte postulasti, » ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet » Ecclesia romana, forma servetur, non quo » nova praecepta aliqua imperentur » etc. Latius vero idem Pontifex *Epist. ad Decentium*: » Quis enim, *inquit*, nesciat, aut non adver- » tat id, quod a Principe Apostolorum Petro » romanae Ecclesiae traditum est, ac nunc usque » custoditur, ab omnibus debere servari; nec » superinduci, aut introduci aliquid, quod aut » auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere » videatur exemplum? » . . . . Et post pauca: » Oportet, eos hoc sequi, quod Ecclesia romana » custodit, a qua eos principium accepisse non » dubium est; ne, dum peregrinis assertioni- » bus student, caput institutionum videantur » amittere ».

Quibus ex epistolis merito sic *Severinus Binius* concludendum censuit: » Unde constat, pios, » et doctrina spectatos sanctissimos episcopos,

Apostolorum decretum, quo Divino afflante Spiritu definita quaestio est de legalibus, Antiochiae suborta. Decreti nullo saecularis potestatis interventu facta est promulgatio. Peto: juste ne, an injuste? Injustam si dixeris, reum te facis detestabilis, execrandae contumeliae in Spiritum Sanctum, quo auctore apostolicum editum est, promulgatumque decretum: quippe scriptum est: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*. Sin justam fateri cogeris, simul et cogeris legitimam in Apostolis ejus decreti, nulla aliunde petita venia, ferendi, ac promulgandi potestatem fateri. Quam potestatem Apostolis divinitus traditam, in successores eodem jure propagatam plane demonstrat vel a primis Ecclesiae saeculis multiplex illa series, et continuatio decretorum de omni re spirituali, et ecclesiastica, quae a conciliis, Pontificibusve nativa, nec aliunde, quam a Christo quaesita auctoritate prodierunt. De hac Ecclesiae potestate, nulli alteri potestati obnoxia, plenius in *Confutatione* (vedi il tomo prec.): et in ea, quae subsequuta est, *Apologia compendiaria* (ivi). Quin et a Febronio plures in rem eandem auctoritates extremis Positionibus prolatas vidimus, quas tamen solitis artibus eludere postmodum, at frustra eludere nititur.

» quantumvis ad informandam plebem ecclesia-» sticis institutis ipsi sibi sufficere videri pos-» sent, ex fonte tamen originario aquas haurire » solitos esse; quod nimirum scirent, majoris » roboris, et auctoritatis esse id, quod ab apo-» stolica Sede petitum constaret .... eosdemque » ad Sedis apostolicae doctrinam, tamquam ad » divinum semper in Petro loquens oraculum, » convenire solitos esse; illud firmum, solidum-» que existimantes, quod tantae Sedis auctori-» tate comprobatum intelligerent ».

Hinc si Febronius ex hoc jam loco innuere vellet, vim, quam habent rescripta Pontificum, non tam ex auctoritate pontificia pendere, quam ex canonibus, quorum observatio rescriptis illis commendatur; magnum incautis errandi periculum crearet. Contrarium quippe constat Siricii auctoritate, quam ex P. Coustant superius hanc in rem protulimus: cui adjungenda Hilari etiam auctoritas in concilio romano: » Nullis » fas sit sine status sui periculo vel divinas con-» stitutiones, vel apostolicae Sedis decreta te-» merare ». Sed de his Febronius iterum dicturus est Posit. sequ.

» Alium adhuc finem habebant, inquit p. 110, » episcoporum, et synodorum ad romanum Pon-» tificem relationes; ne scilicet Pontifex ipse, » aut qui in ejus communione persistunt, igno-» ranter communicent iis, qui ab aliis episco-» pis, aut synodis excommunicati sunt ». Quod sic explicare pergit, ut innuere videatur, non alias ea in re Pontificis partes fuisse, nisi quod ad evitandam subreptionem synodi, et episcopi, quos excommunicaverant, Sedi romanae denuntiabant, ut hoc medio ab omnibus devitarentur. At aequum non erat dissimulare, qua in ejusmodi synodorum, episcoporumve judiciis auctoritate uterentur, ac pollerent romani Pontifices: quae auctoritas a concilio sardicensi sic sancita est, ut non ab eo primum instituta, sed agnita, et confirmata fuerit, prout latius *a Natali Alexandro* explicatur, et invicte comprobatur *Dissert. in Conc. Sardic.* Verum, quia de his Febronius aliis adhuc locis dicturus est, nobis quoque ad ea loca necesse est nonnulla reservare.

Demum p. 113 vehementer cupere se ostendit, ut concilia provincialia singulis trienniis ex Tridentini praescripto celebranda restituerentur. Cur vero ad id optandum moveatur, non dissimulat: quod nimirum » tum demum ad Se-» dem apostolicam relationi locus esset, si il-» lic (causae) finiri non possent, uti ad epi-» scopos illirici scripsit Sixtus III apud Coustant, » col. 1272 ». Quo posito magna spes ostenderetur fore, ut hoc relationum onere aliquando tandem Ecclesiae, et episcopi levarentur: etenim » quis credat (utitur hic Febronius » verbis Benedicti Oberhauser) unicuique pro-» vinciae gratiam Sancti Spiritus defuturam, » qua aequitas a Christi sacerdotibus et pru-» denter videatur, et constantissime teneatur, » ut romanis relationibus infinitus locus de-» tur » (1)?

Mirum, viris alioquin nec incautis, nec indoctis talia quandoque excidere! Quid? Num forte Sancti Spiritus gratia priorum aetatum synodis, episcopisve defuisse censebitur; qua et ipsi quid aequum esset, et prudenter viderent, et constanter tenerent? Attamen frequentissimum iliis aetatibus romanarum relationum usum agnoscit Febronius p. 115. Censet forte Oberhauser, et cum eo Febronius, Spiritus Sancti gratia caruisse sanctissimos illos sacerdotes, quos paullo ante laudavimus, Decentium, Victricium, Exuperium, Himerium, quos vel ipsa miraculorum gratia illustrabat; quibus tamen nihil antiquius erat, quam ut in omni dubitatione ad apostolicae Sedis, idest ad divinum Petri oraculum confugerent? Isti scilicet interiori Sancti Spiritus unctione edocti non sciebant modo, verum et sentiebant, nihil hierarchico Ecclesiae statui a Christo constituto congruentius esse, quam ut arctissimo semper vinculo Ecclesiae per orbem diffusae cum centro unitatis cohaererent; isque nexus perenni, nec unquam interrupta communicatione firmus, indivulsusque teneretur. Id ipsum ex Irenaeo, Cypriano, Athanasio, Chrysostomo, Cyrillo didicerant, quorum sunt hac de re luculenta non minus, quam notissima testimonia.

POSITIO XIX.

» Decretales romanorum Pontificum reveren-» ter suscipiendae, et sancte custodiendae sunt ».

ANIMAD. Videtur (saltem in speciem) Febronius agnoscere in summo Pontifice potestatem ferendi leges disciplinae universales. Et hoc quidem necessario ei dicendum erat, nisi videri vellet catholicam sentiendi rationem prorsus abjicere. Verum hanc potestatem ex uno capite depromit, quod, quum ad canonum observantiam aut conservandam aut instaurandam iteratis subinde legibus, ac decretis opus sit, nec semper cogi concilia hoc nomine oporteat; ea potestas ad primatem Ecclesiae jure divino pertineat. Quae verba, si proprie accipiuntur, significant, non alia legifera potestate Pontificem pollere, quam quae in vindicandis cano-

(1) Deprompta ex parte videntur haec verba ex epistola concilii africani ad Papam Caelestinum, quae extat ap. Labb. tom. 2, col. 1364, edit. Ven. Sed, quae ibi dicuntur de appellationibus, detorquet scriptor ad relationes, de quibus nulla ibi mentio. Quamquam nec in ea epistola jus impugnatur appellationum, sed in eis recipiendis rogant Patres, modum quemdam institui. De appellationibus plura quidem in operis decursu congessimus.. Verum nunc demum totum id juris in praeclarissima Pii VI *Responsione super nuntiaturis* luculenter adeo explicatum est; tot invictis ex omni saeculorum memoria collectis auctoritatibus, et monumentis comprobatum; ut vel pertinacissimis obtrectatoribus omnem deinceps calumniandi aditum praecluserit.

ulbus versetur: ex quo illud consequens foret, autequam concilia cogerentur, et canones editi essent, nulla ferendarum legum potestate Pontifices praeditos fuisse.

Pontificii porro juris (quod tamen ad meram tuitionem canonum paullo ante coercuit) usum probat pluribus exemplis, nimirum Siricii, Zosimi, Caelestini. Tum concludit: » Hae decre- » tales partim ex se ipsis, et propria consti- » tuentium auctoritate vim legis habent, quales » sunt illae, quas jam memoravimus, et aliae » eis similes; partim etiam ex usu, et rece- » ptione nactae sunt ».

Ait itaque, decretales vim legis habere partim ex seipsis, et propria constituentium auctoritate; partim ex usu, et receptione. Illud primum ambigue dictum; nec enim apparet, an constituentium nomine Pontifices intelligat, an concilia, e quibus canones prodierunt, ad quorum tuitionem videtur superius totam adstrinxisse legiferam potestatem Pontificum. Istud alterum minus etiam congruenter dictum: usus quidem, seu consuetudo vim quandoque habet legis inducendae, aut abrogandae; at vim banc non babet consuetudo ex sese, aut ex fluxu temporis, verum ex tacito, vel praesumto consensu legislatoris. Tantum proinde abest, ut legislatoris imperium vires trahat ex consuetudine;quin potius totam, quam habet vim consuetudo, eam ex legislatoris nutu, seu consensu mutuetur. Neque satis vere, ac prudenter dicitur, legis a superiori potestate manantis vim ex subjectorum *receptione* pendere. Nam si populi acceptatio in republica necessaria fuit, ubi populus erat rex; id valere nequit ubicumque populus regem habet, seu principem, a quo suprema auctoritate regatur: ut proinde regnorum tranquillitati, ac paci merito infesta judicetur a sapientibus eorum opinio, quibus placet, multitudinis acceptationem accedere oportere, ut lata lex a principe obligandi vim nanciscatur. At de bis in praesentia satis.

Verum ut appareat, quam parum in bac tota sermonis ambiguitate sibi constet Febronius;quo loco legiferam potestatem Pontificum contrahit ad eum modum, quem paullo ante vidimus, eo ipso praecipit generatim tenendum Gelasii decretum, quo baec potestatis contractio piane convellitur. Quippe sic decernit *Gelasius, can.* 3, *dist.* 17: » Decretales epistolas, quas beatissimi » Papae diversis temporibus ab urbe romana » pro diversorum Patrum consultatione dede- » runt, venerabiliter suscipiendas esse ». Nulla hic *receptionis*, aut *usus* mentio. Consultationes generatim memorantur. Non ergo illae tantum, quae pro tuendis canonibus ad apostolicam Sedem referrentur; sed et quae novas emergentes difficultates continerent, quibus nova quadam ratione, et consilio prospiciendum esset. Laudat etiam *epistolam Innocentii I ad episcopos carthaginensis concilii apud Coustant, col.* 888, qua nil proferri potest luculentius ad asserendam Sedis Petri auctoritatem, *a quo ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit.* De qua Sede Patrum instituta *non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret*, etc. Quod plane confirmant afri Patres *epist. ad Theodorum Papam*, cujus exordium ibidem a P. Coustant describitur. Utinam Febronius remotis ambagibus eam aliquando viam insistat, quam sic plane tritam majores nostri reliquerunt!

Pag.116. Legum proprietates recenset depromtas *ex canon.* 2, *dist.* 4, quae quidem apud omnes sive theologos, sive jurisconsultos vulgatissimae sunt; nec minus civilibus, quam ecclesiasticis legibus conveniunt. Deinde sic statuit: » Quis autem in tanta hominum, et ter- » rarum diversitate, et subinde contrarietate » de his omnibus, eorumque applicatione me- » lius judicabit, quam episcopi singuli pro suis » respective ecclesiis, seu dioecesibus? *Quis di-* » *scernet, an nova lex pontificia sit secundum* » *naturam, et patriae consuetudinem utilis, loco,* » *temporique conveniens, nemini praejudicans?* » Certe episcopus, cui Deus regendam suam » particularem ecclesiam commisit ».

Deinceps Febronius, qui *duce canone* in omnibus velle se progredi pollicetur, jam non dubitat hic palam profiteri, modum quemdam adhibendum esse canonibus, qui de Pontificum decretalibus reverenter suscipiendis loquuntur. Pergit enim vero: » Et quamquam canon, ex » concilio triburiensi (*dist.* 19, *can.* 3) desum- » tus duriorem, videatur episcopali huic examini » praescribere modum, haud tamen, si usibus » provinciarum obfutura sint decreta romana, » ea repudiare simpliciter prohibetur, inquit » *Rautenstrauch sect.* 2, *c.* 1, §. 146 ». Num id est canonem ducem sequi, an non potius duce Rautenstrauch a canone deflectere?

At primo quod veretur Febronius, ne decretum aliquod pontificium utilitatibus peculiaris cujusquam ecclesiae minus congruat; idipsum quoque de concilii generalis decreto evenire posse, nemo diffitebitur. An propterea singulari cuique episcopo hanc facultatem tribuet Febronius, ut generalis concilii decreta examini suo subjiciat; et, si quidem minus ea sibi, suaeve ecclesiae convenire judicaverit, jure suo repudiare illa simpliciter valeat? Quam sententiam auctoritati conciliorum generalium adeo infestam, si animo imbibit Febronius; non eam ex antiquitate, non ex canonibus, aut ex Ecclesiae constitutione, sed ex novis tantum magistris haurire potuit. Sane tota caussa, ob quam legis pontificiae repudiandae facultatem singularibus episcopis attribuit, haec est, quod episcopo Deus regendam suam particularem ecclesiam commisit, ad eumque propterea spectet de applicanda lege judicare. Atqui hoc in conciliaria non minus, quam in pontificia decreta

torqueri potest; semper enim urgere poterit episcopus, ecclesiam se regere, sibi a Deo commissam; ex quo si consequens est, ut pontificia decreta, etiam consequetur, ut conciliaria, quandocumque minus illa ecclesiae suae consentanea judicaverit, repudiare simpliciter valeat. Sed profecto haec ratio nec de conciliaribus, nec de pontificiis decretis valet. Nam, ut hic omittamus inquirere, num *mediate*, an *immediate* suam a Deo jurisdictionem episcopi accipiant, fatetur Febronius, non divino, sed ecclesiastico tantum jure suam cuique episcopo gregis portionem attributam fuisse; eamque regendam accipere cum potestate alteri superiori potestati subjecta: in quo catholici omnes conveniunt.

Praeterea non diffitetur Febronius, episcopalis auctoritatis usum, exercitiumque canonibus coarctari potuisse. Si ergo in Ecclesia potestas est aliqua, cui episcopi subjici omnino debeant; repugnat certe, cuivis episcopo liberum esse pro suo judicio, et arbitrio legem repudiare, qua, qui superiori ea potestate pollent, eos adstringere et volunt, et possunt. Insuper tali facultate constante, cui bono jam futura essent provincialia concilia, quae aliquando restitui vehementer Febronius exoptat? Et sane merito; siquidem ea mente, qua tridentini Patres haberi ea statis temporibus exoptarunt, videlicet non ad scindendam, sed ad confirmandam unitatem, et disciplinam. Etenim, posteaquam conciliare decretum latum fuerit; adhuc episcopo cuilibet, utpote utilitatum suae dioecesis cognitori, et arbitro integrum erit dispicere, utrum decretum ecclesiae suae conveniat, necne: quo casu, quum nonnisi episcopo probante admittendum sit, quid vetat, quominus episcopus proprio jure statuat, quidquid conciliari decreto statui posset?

Atque istic etiam meminisse oportebat, quod superius ex Barthelio Febronius descripsit, inter episcopos, qui late per orbem ecclesiis praesunt, *citius reperiri contentiosos, pertinaces, scientia inflatos, aut aedificantis scientiae expertes*, a quibus et fidei, et disciplinae totius perturbatio metuenda sit, nisi unius supremi capitis efficaci auctoritate in ordine, et officio contineantur. Jam vero si *varietas* illa, et *contrarietas* terrarum, et hominum justam auctore Febronio excusationem affert, ne superioris ejus auctoritatis decreta recipiantur; jam patens, et expedita via paratur episcopis istis, si qui sunt *contentiosi*, ac *pertinaces*, qua jactare in omnem se partem valeant; et quae minus placeant, quantumvis aequa, et salutaria legitimae auctoritatis jussa, detrectare. Quin potius, etsi nulli sint, quod libenter, ac facile credam, quales depingit Barthelius, pertinaces episcopi; tamen quis nescit, quam frequenter pro ingeniorum varietate contingat, ut in una, eademque Sede successori displiceant, quae praedecessori placuere; et quae ab uno tamquam utilia, et propemodum necessaria judicata sint, ab alio nihil immutata rerum conditione velut noxia tamen, aut inutilia reprobentur? Ut prolude, si singulorum judicio superiorum decretorum receptio, vel repudiatio permittatur, necesse sit, omnem formam, ac speciem communis, constantisve disciplinae interire. An forte persuasum est Febronio, nusquam episcopo cuilibet instinctum *Spiritus Sancti deesse*, ubicumque de repudiandis romanis decretis agatur?

At forte inquiet, quis negaverit, evenire aliquando posse, ut romanum aliquod decretum utilitatibus peculiaris cujuspiam ecclesiae minus conveniat, aut etiam officiat? Nullum igitur suppetet remedium ad avertendum tam grave incommodum? Atqui paratum extat remedium, idque promtum, et saluberrimum. « Si » cui vero (inquit Pius IV, ad Tridentini mentem, » cujus haec verba recitantur a Febronio p. 112) » in iis aliquid obscurius dictum, aut statutum » fuisse; eamque ob caussam interpretatione, aut » decisione aliqua egere visum fuerit; ascendat » ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta » synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, et controversias, si quae ex iis decretis ortae fuerint, nobis declarandas, et decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta » synodus decrevit, reservamus; parati, sicut ea » de nobis merito confisa est, provinciarum necessitatibus ea ratione, quae commodior nobis visa fuerit, consulere » (1).

Vere testari ego possum, quam diligenter, quam cautè Sacra Congregatio Concilii occurrentibus ecclesiarum necessitatibus prospiciat; in id semper intenta, ne quid de episcoporum juribus decedat, et salutaribus concilii decretis constituta disciplina sancte, fideliterque servetur.

Atque ex dictis intelligitur, parum prodesse quod ad extremum subjungit Febronius: » His » positis, Pontificum constitutiones, non tantum » quae vetera renovant, sed etiam quae nova » constituunt, nisi gravis obstet caussa, ab episcopis reverenter suscipiendae, publicandae, » et sancte custodiendae sunt », quandoquidem ea praemisit, quibus positis obedientia, quae commendatur, quandocumque libuerit, eludi, ac detractari valeat. Sed in hac tamen confessione hoc saltem inest boni, quod testimonio minime suspecto magis, magisque confirmatur, a nemine, qui catholicus audire velit, negari posse, quin *decretales romanorum Pontificum et reverenter suscipiendas sint, et sancte custodiendas.*

Sed nec istud omnino praetereundum, legis

(1) Hoc ipsum argumentum copiose pertractat Benedictus XIV, de Syn. Dioeces. l. 9, c. 8, cujus inscriptio: » Quomodo, se gerere debeant episcopi erga apostolicam Sedem, si quam forte pontificiam » constitutionem de aliquo disciplinae capite pro suis » dioecesibus minus opportunam esse censeant ».

proprietates, quas recenset Febronius, non minus civilibus, quam ecclesiasticis legibus convenire; hanc vero praesertim, quod lex sit subjectorum utilitatibus accommodata. Id quippe et naturalis aequitas suadet, et omnium cum publici, tum privati juris interpretum summa consensione traditur. Jam in ampla ditione, quae principi longe, lateque dominanti pareat, *in multa illa terrarum, hominumve varietate, et subinde contrarietate*, quam Febronius supra memorabat; quis melius locorum, ac temporum opportunitates perspectas habere potest, quam incolae praecipui, aut magistratus, seu praefecti, qui singulis provinciis, aut etiam civitatibus, oppidis, et pagis praesunt, atque in publicarum, privatarumque rerum administratione versantur? Si ergo, quia cujuslibet singularis dioecesis utilitates nemini magis exploratae sunt, quam proprio episcopo, jus habet episcopus superioris legis repudiandae, siquidem eam suae dioecesi minus convenientem censuerit: ex hoc eodem principio idem quoque jus in quolibet aut provinciae, aut pagi praefecto enascetur, ut sui principis universales leges accurate inspicere debeat, easdemque aut recipere, aut repudiare, prout eas publicae utilitati convenire, aut non convenire judicaverit. Quod quantum publicae tranquillitati consentaneum sit, Febronius ipse viderit.

POSITIO XX.

» Summo Pontifici jure divino competit jus » indicendi, dirigendi, et confirmandi universalia concilia ».

ANIMAD. Vix opus admonere, hac quoque explanatione Febronium ei parti favere, quae concilii auctoritatem prae pontificia extollit; eaque libenter argumenta praeterire, quibus pontificiae auctoritatis praestantia nititur. Sed haec in praesentia mittimus, quippe ille ad ulteriora progreditur.

Scilicet haec habet p. 122: » Porro duplex » auctoritas ad hanc conciliorum congregatio» nem concurrere potest, et solet; ecclesiastica » velut judex, et arbitra fidei, et religionis; » civilis, ut decreta fidei, et morum in forensi » etiam judicio vim legis publicae obtineat, et » per omnes imperii provincias exequutioni da» ri valeant ».

Haud scio, an Febronius certum hoc dogma in dubium vocare velit, decretis fidei, ac morum fideles omnes, quam late patet orbis christianus, ipsosque magistratus civiles adstringi; adeoque in Ecclesia vigere, quemadmodum ab apostolicis temporibus viguit, potestatem non solum edendi ejusmodi decreta, sed ita etiam promulgandi, ut statim, atque in fidelium notitiam venerint, nemo eisdem sine fidei detrimento repugnare, vel obsistere valeat. Num ergo, posteaquam decretum prodiit, quo propositio aliqua velut haeretica damnatur, et opposita veritas tamquam revelata, et fide divina credenda proponitur, adhuc suspensus haerebit vir catholicus, aut ei expectanda erit venia magistratus, antequam Verbo Dei ab Ecclesia proposito assensum praestare audeat? Atqui nec ipse magistratus vel punctum temporis haesitare valet, quin se dubium in fide, atque adeo infidelem profiteatur. Quae Apostoli ediderunt decreta fidei, et morum, eo ipso nullo civilis potestatis interventu plenam vim legis apud fideles omnes, atque in omni christiano judicio habuerunt. Quam porro potestatem a Christo Apostoli habuere in rebus ad fidem, religionemque pertinentibus, haec fatente Febronio in successores omni aevo duratura pertransiit. Sic ergo a Christo Ecclesiae suae perennitati prospectum fuit, ut quod Apostolis satis fuit ad plenam exequutionem decretorum fidei, et morum inter fideles; id in omne posterum tempus satis esse deberet.

Atque hic porro longe abest a Febronii mente mens, et sententia *Natalis Alexandri, dissert.* 28, *in 4 secul. prop.* 3, ubi objectionem expendens ductam ex epistola Constantii ad concilium ariminense, respondere non dubitat, » Veterem Ecclesiae disciplinam ex illa episto» la colligi nec posse, nec debere, in qua Con» stantius Ecclesiae decreta, absque sua appro» batione edita, prorsus irrita esse jubet: *Non » enim*, inquit, *illa vires habere poterit definitio, » cui nostra statuta testantur, jam nunc robur, » et copiam denegari*. Et certe longe a Constan» tini mente verba illa absunt, qui de causis » episcoporum in concilio nicaeno ait: *Mihi » vero non est fas, quum homo sim, ejusmodi cau» sarum cognitionem arrogare, praesertim quum, » et qui accusant, et qui accusantur, sacerdotes » sint, ut refert Sozom. l.* 1, *c.* 16. Longe etiam » dissimilia sunt verba illa Constantii verbis Va» lentiniani imperatoris, qui contestatus est, *in » causa fidei, vel ecclesiastici alicujus ordinis » eum judicare debere, qui nec munere impar » sit, nec jure dissimili*, hoc est sacerdotes de » sacerdotibus judicare, teste *s. Ambrosio Epist.*32.

De antiquarum synodorum convocatione haec tradit p. 122: » Quod antiquae synodi gene» rales fuerint indictae ab imperatoribus, quo» rum ditione olim suberant omnes fere to» tius Ecclesiae partes, id non praetendebant » facere ex jure proprio *clavium Ecclesiae*, quae » illis non fuerunt a Christo traditae; sed vel » ex intentione sopiendi motus publicos, reipu» blicae noxios, vel ex zelo religionis, quo con» sulere volebant Ecclesiae, ac fidei adversus » exortas haereses, consopire dissensiones, et au» ctoritate conciliorum scandalis occurrere, prae» stito etiam, ubi opus fuerit, sumtuum sub» sidio; cui indictioni, atque consilio summi » Pontifices annuentes praebuerunt assensum » jam antecedentem, jam concomitantem, jam » subsequentem, et legatos ad synodos direxe» runt ». Sed haec planius, copiosius, et ac-

curatius explicantur *a venerabili Bellarmino lib.* 2, *de Concil. c.* 13 *et seq.*, quae loca omnino videnda.

Aliqua porro etiam explicatione indiget, quod subjungit Febronius pag. 143: » Interim actus con- » vocationis se solo spectatus nihil natura sua » spirituale involvere videtur; proinde nihil » prohibet, quin etsi Pontifici jus convocandarum » synodorum ex jure regiminis ecclesiastici com- » petat, nihilominus ministerium, et auctoritas » potestatis civilis ad illius exequutionem adhi- » beatur ». Nimirum actus convocationis non ita se solo spectari potest, quin ad aliquem finem referri intelligatur. Porro quemadmodum convocatio procerum regni ad celebranda comitia actus est publicae potestatis, sic convocatio praesulum Ecclesiae ad ea tractanda, quae ad religionis statum pertinent, actus est ecclesiasticae potestatis; atque adeo spectato fine, ad quem refertur, omnino est in spiritualium actionum genere ponenda. Sed quum multis externis adjumentis plerumque opus habeat ejusmodi convocatio, in his quidem suppeditandis, ac praesidio suo muniendis laudabiliter auctoritatem suam civilis potestas adhibebit.

Subinde agit Febronius de causis convocandi concilii extraordinariis etiam absque interventu Pontificis, valdeque inhaeret sententiae, quam supra indicavimus (1). Quam disputationem, ut jam dictum est, ea de caussa praeterimus, quod et longiorem sermonem postularet, et aliunde a doctissimis viris tota haec causa copiose, ac diligenter est pertractata. Videndus Bellarminus, *loc. cit.*

Sed quod propius causam nostram attingit, minime praetereunda, quae scribit Alliacensi consentiens *Natalis Alexander Hist. Eccles. tom.* 8, *Diss.* 12: » Sedem apostolicam excludere » ab examine, summoque judicio quaestionum » fidei, haereticum est ». Quippe jam sic statuerat Alliacensis: » Ad sanctam Sedem aposto- » licam pertinet auctoritate judiciali suprema » circa ea, quae sunt fidei, judicialiter defi- » nire ». Cujus assertionis hanc affert probationem: » Ad illius tamquam ad supremi judi- » cis auctoritatem pertinet in fide judicialiter » definire, cujus fides nunquam deficit: sed san- » ctae Sedis apostolicae fides nunquam deficit »... etc. Ad quae haec subjungit *Natalis Alexander:* » Paullo aliter *s. Cyprianus* habet *lib. de Unit.* ... Qui cathedram Petri, super quam fun- » data est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse » confidit?... ».

POSITIO XXI.

» Generalia concilia sortiuntur firmitatem in- » dependenter a quacumque alia acceptatione ».

ANIMAD. Proposita quaestione, quanam certa, et clara regula concilia rite celebrata discerni ab aliis valeant, refert primum recentioris religiosi theologi responsum hisce verbis: » Si quaedam sint, de quibus prudenter » dubitari queat, rite, necne, ac legitime ce- » lebrata sint, *tunc Ecclesiae judicium atten- » dendum est* ».

Recte porro monet Febronius, ad illud Ecclesiae judicium, quod in tali dubio desiderat laudatus theologus, a Bossuetio superaddi: *Cum Sedis apostolicae confirmatione*, cui necessario clarissimi praesulis addito subscriptorem se praebet Febronius: » Bene utique, *inquit*; si » enim juxta tradita praecedenti Positione in » constituendo generali concilio omnino desi- » deratur consensus Pontificis; ille non minus » requiretur ad explicandum dubium, num » illud revera generale sit ». Quamquam et existimo, laudatum theologum, dum ad Ecclesiae judicium provocat, in eo Ecclesiae judicio apostolicae Sedis confirmationem potissimum spectasse.

Monet ad extremum: » Porro, dum dicimus, » concilia generalia suam sortiri firmitatem in- » dependenter a quacumque alia acceptatione, » id intelligimus *de decretis fidei, et morum* ». Quid ergo sibi vult Febronius, quum loquens ut supra vidimus, de ipsismet decretis fidei, et morum potestatis civilis assensum desiderat, ut in forensi judicio vim legis obtineant, et exequutioni dari valeant (2)?

POSITIO XXII.

» Concilium tridentinum etiam in rebus di- » sciplinae liberum fuit ».

(1) Inter caussas extraordinarias convocandi concilii absque interventu Papae hanc etiam recenset Febronius p. 124.: *Si de eo judicando agatur.* Quo loco minime praetereundum est, excepto casu haeresis, quae tamen in Pontificem nonnisi ut privatum hominem cadere potest, quo de casu venerabilis Bellarminus de *Rom. Pont.* l. 2, c. 30, nullo alio eventu, nullave de caussa Pontificem, saltem non dubium, nullius plane sive concilii, sive cujusvis alterius potestatis judicio subjacere posse. Quod late probat, et exequitur idem Bellarminus lib. cit. c. 26, et post Bellarminum Natalis Alexander Hist. Eccles. saec. 6, dissert. 1, tum et clarissimi ejus editores *Animadversione subjecta* §. *unico* sic inscripto: » Quae in romana synodo gesta sunt in causa Sym- » machi, quaeque refert (Nat.) ex Ennodio, et » Avito, plene demonstrant, romanum Pontificem nec » synodi oecumenicae judicio subesse. Alia etiam in » eamdem rem adnectuntur ». Plura et nos in explanationum decursu statuimus, plenius etiam in *Confutatione*, vol. praec.

(2) Ecclesiam constituendae disciplinae potestatem habere, nulli alii potestati obnoxiam, manifeste patet vel ex ipso Apostolorum decreto (act. 5.) in Adnotatione ad Position. XVII, p. 272 memorato. In hoc ipso Commentario potestatis hujusce immunitatem Febronius nonnullis locis asseruit, singulariter Posit. I, quod attinet ad electiones, ordinationes, deputationes sacrorum ministrorum: ut jam ei integrum non sit ab ea sententia discedere, quin a se ipse dissentiat.

ANIMAD. Ad caetera momenta, quibus hanc probat concilii libertatem, addit Racinii testimonium, quem ait, scriptorem esse in hac parte minime suspectum; quo in testimonio legitur judicium, quod de Paulo Sarpio ferebat interpres ejus Courayerius, vocans eum (prout verbis gallicis expressum refertur a Febronio) *Catholique en gros, Protestant en detail.* Itemque non omittitur a Febronio judicium, quod ipse idem Racinius de Pauli famosa historia protulit, quam dicere non dubitat multis partibus vitiosissimam.

POSITIO XXIII.

» Causae criminales episcoporum per concilium tridentinum romano Pontifici merito reservatae sunt ».

ANIMAD. Adstipulatorem se praebet hoc loco Febronius Petro De Marca opinanti, sardicensibus canonibus *ansam, et originem juris romanae Sedis ad canonica episcoporum judicia deberi*: quos ille proinde sic interpretatur, ut velit, per eos » episcopis in provinciali synodo damnatis permitti recursum ad romanum » Pontificem, qui quidem de causa non judicialiter cognoscat, sed indaget solum, an causa talis sit, quae novum examen deposcat; » hoc si Pontifex deprehenderit, concedere illi » sacram synodum *in honorem, et memoriam* » *beati Petri*, ut praeter episcopos provinciae, » in qua causa judicata est, ex finitimis provinciis cognitores tribuat, qui una cum prioribus judicibus causam denuo, non quidem » Romae, sed in partibus excutiant » etc. Ita pag. 144.

At facile Febronius animadvertere poterat, longe ante canones sardicenses hunc morem in Ecclesia viguisse, ut episcopi conciliorum judicio, ac sententia damnati ad apostolicam Sedem confugerent; quod cum permultis aliis, tum celebri Athanasii facto comprobatur, quod ille ipse innuit hujusce explanationis initio (1). Quo exemplo eo magis Febronium commoveri decebat, quod, ut refert doctissimus Christianus Lupus (*de gallicanae ecclesiae romanis appellationibus cap.* 4) » gloriosus Trevirensium antistes Maximinus Papae Julio auctor fuit non dumtaxat, ut sanctum Athanasium statim revestiret, sed etiam ut ejus damnatores citaret Romam; et hanc vetustam romanae appellationis disciplinam curavit innovari, atque firmari per sardicenses canones ». Cujus moris, ac disciplinae plura mox profert, eademque luculentissima documenta, ibidem videnda.

Praeterea jus appellationum ad romanam Sedem non esse a sardicensi concilio institutum, sed ex primatu divinitus ei Sedi collato sponte profluere, invicte demonstrat Natalis Alexander *Dissert.* 18, *in* IV *sec.*, planeque diluit commentitiam interpretationem, a Petro de Marca in hunc locum invectam, qua revisionis dumtaxat decernendae, non judicandarum appellationum potestatem a sardicensi concilio agnitam, vel tributam contendit: praeterquam quod et istud addi potest, praestantissimum munus, quo sese jurisdictio explicat, in dandis potissimum judicibus eminere: qua potestate qui pollet, ei judiciariam potestatem denegare prorsus absonum est.

Nimis longum foret argumenta promere omnia, quae in hanc rem faciunt, quaeque jam diligenter collecta reperiuntur cum apud Christianum Lupum, tum in laudata dissertatione Natalis Alexandri, atque in notis, et animadversionibus, quas doctus praesul Joannes Dominicus Mansi eidem adjunxit.

Non tamen praetereundum, si constare sibi voluisset Febronius, nullo cum in pretio novam illam Petri De Marca distinctiunculam habiturum fuisse. Quid enim auctoritatis in novitale potest esse apud eum, qui se antiquitatis retinentissimum profitetur? Atqui se hujus distinctionis primum inventorem palam praedicat Petrus De Marca, nec parum de hoc novo invento plaudere sibi videtur: » Haec, *inquit*, interpretatio mea est; quam quum aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio suo » comprobarunt ». In quae verba laudatus praesul Mansi: » Ex hoc solum, *inquit*, quod interpretatio D. De Marca per tot saecula latuerit, omnesque usque ad illum in canone » sardicensi legerint illud jus, quod et ipse » Natalis romano vindicat Pontifici; satis innotescit, De Marca veritatem non esse assequutum; quod et mirum est non cognovisse, quum » ad suam intrudendam explicationem coactus » fuerit discedere a germana intelligentia illarum vocum *appellandi*, seu provocandi, quae » in canone continentur ».

Fatetur tamen De Marca, assentiente quoque Febronio, causas fidei, et regulas generales Ecclesiae universae a conciliis istis absque interventu auctoritatis episcopi romani tractari non potuisse. Quin addit: » Summi Pontifices » non solum cognoscebant de appellationibus » Orientalium, quando agebatur *de fide*, sed » etiam primam causae cognitionem ad se trahebant, si de haeresi ageretur: etenim materia fidei est causa communis Hoc jure usus » est Caelestinus adversus Nestorium ».

Recte id quidem, sed plane discrepans, et alienum, quod hic rursum Febronius inculcat in commentitiam illam Petri De Marca opinationem, quam superius jam exposuit *Posit.* 12;

(1) De Athanasii restitutione per Sedem apostolicam facta, veluti de re nota, et perspecta loquitur s. Caelestinus I (Epist. ad Clerum et populum constantinopolitanum apud Labb. tom. 3, edit. Ven. col. 922): » Denique hinc ei (Athanasio) redintegratus est status, et in hac Sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subveniretur ».

qua non aliae partes Pontifici relinqui videntur, saltem in disponendis patriarchis, quam ut exequutorem se praebeat latae sententiae adversus haeresis auctores, eorumque complices: quod vel solo Caelestini facto abunde refellitur. Qua de re, si non satis pro dignitate, plusquam satis pro refutando errore supra etiam dictum est. Verum Petrus De Marca, cujus verba exscribit Febronius, praesidium sententiae suae comparare studuit ab auctoritate Gelasii, qui scilicet » commonitorio ad Faustum respondet, » decessorem suum Felicem, qui Acacium da» mnaverat, *exequutorem fuisse veteris consti» tuti, non novae constitutionis auctorem* ».

At profecto De Marca, dum haec scriberet, aut Gelasii commonitorium sub oculis non habuit, aut in eo referendo minus accuratum se praebuit. Objecerat Euphemius, *Acacium ab uno non potuisse damnari*. Redarguit Gelasius hominis inscitiam, ac primo loco eum facti errore labi ostendit. *Itane*, inquit, *non perspicit secundum formam synodi calcedonensis Acacium fuisse damnatum?* Ex quo merito infert Gelasius id, quod est a De Marca notatum, Felicem decessorem suum in Acacio damnando *exequutorem fuisse veteris constituti, non novae constitutionis auctorem*. At forte putabimus, hoc uno *exequendi* munere Gelasium pontificiae potestatis in exercendis judiciis amplitudinem circumscripsisse? Immo quod a romano Pontifice factum adversus Acacium querebatur Euphemius, illud ipsum a quovis alio antistite fieri potuisse, Gelasius declarat his verbis, quae proxime sequuntur: » Quod non solum praesuli apostolico facere li» cet, sed cuicumque Pontifici, ut quoslibet, » et quemlibet locum secundum regulam hae» reseos ante damnatae a catholica communio» ne discernant ». Et sane nemo est catholicus antistes, qui non debeat velut a catholica communione alienum repellere, qui sese damnatae haeresis sectatorem profiteatur.

Posteaquam vero ineptias Euphemii criminationes Gelasius diluit, inscitiam hominis *ad hominem*, ut ajunt, convincendo; mox accedit ad apostolicae Sedis jura explicanda, atque ad eorum temeritatem revincendam, qui canones jactare non verebantur, ut supremae Sedis auctoritatem, non canonico tantum, sed et divino jure constitutam lacesserent. Pergit itaque: » Nobis » opponunt canones, dum nesciunt quid loquan» tur; contra quos hoc ipso venire se produnt, » quod primae Sedi sana, rectaque suadenti pa» rere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appella» tiones totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen » voluere deferri; ab ipsa vero nusquam pror» sus appellari debere sanxerunt, ac per hoc » illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nul» lius commeare judicium; nec de ejus unquam » praeceperunt judicio judicari, sententiamque » illius constituerunt non oportere dissolvi, cu» jus potius decreta sequenda mandarunt ».

Et post pauca: » Nobis ausi sunt facere ca» nonum mentionem, contra quos semper am» bitionibus illicitis fecisse monstrantur ».

Ac deinceps: » Ineptias itaque suas sibi ser» vent; nisi resipiscant potius cogitantes, Chri» sti vocem non esse superfluam, quae confes» sioni beati Petri Apostoli inferni portas num» quam praevalituras asseruit. Qua propter non » veremur, ne apostolica sententia resolvatur, » quam et vox Christi, et majorum traditio, et » canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ec» clesiam ipsa semper dijudicet ».

Hoc vero laudandum, quod Febronius non praetermiserit innuero plura, et varia, quae De Marca collegit judicia episcoporum a divo Gregorio celebrata, et quidem Romae; nec solum in causis episcoporum Italiae, sed etiam aliarum provinciarum. Non tacet, in concilio francofurtano, an. 794, conflato ex episcopis Germaniae, Galliae, et Aquitaniae nonnullas causas ad romanae Sedis decisionem ablegatas fuisse his verbis: » De Tarentasia vero, et Ebreduno, » sive Aquis legatio facta est ad Sedem aposto» licam; et quidquid per Pontificem romanae » Ecclesiae definitum fuerit, hoc teneatur ». Sed nec praetereundum erat, caeteras causas idem concilium ex decretis Pontificum Innocentii, Zosimi, etc. definivisse.

Notat porro, bis velut initiis gradum factum esse ad novum ordinem judiciorum, qui post isidorianam collectionem latius invaluit. Non jam ergo ex isidoriana collectione novus ordo, sed potius ex ordine jam recepto isidoriana collectio prodiit, ut inter caeteros doctus Ballerinius probe animadvertit.

Subinde post nonnullas disquisitiones de caussis majoribus et minoribus exceptiones quasdam memorat in *tridentino concilio* allegatas adversus dispositionem *sess. 24, c. 5, de Reform.*, quas velut peculiaribus caussis innixas non improbat quidem, sed hac tamen cautione, scilicet: » Subsistente de caetero universitate legis » conciliaris, fundatae in eminentia ordinis epi» scopalis, suprematu romani Pontificis,.... et » nexu, quo omnes episcopi sub uno capite colligantur » etc.... Hanc demum disciplinam, quam agnoscit nunc universalis concilii decreto firmatam, fatetur, *antiquiori etiam, et ante isidoriano aevo non incognitam fuisse*. Verum de isidoriana collectione nonnulla deinceps dicenda occurrent.

ADDITIO

Longe ante isidorianam collectionem s. Gregorius Magnus scribens (l. 9, epist. 59) ad Johannem Syracusanum de causa primatis byzaceni narrat, quemadmodum illum, quum in quodam crimine accusatus fuisset, *piissimus imperator juxta statuta canonica per nos* (sic Pontifex) *voluit judicari*. Jam ergo statutis canonicis sancitum erat, ut episcopus, qui esset in crimine, apud Sedem apostolicam judicaretur. Nec alias partes hac in re piissimus imperator sibi

sumserat, quam ut vis sua canonibus constaret. Byzacenus tamen, persolutis Theodoro magistro militum decem auri libris, ei se judicio subduxit. Postmodum mutare consilium visus est: verum utrumne sincere dubitabat Pontifex; an, ut pergit dicere, *quia a coepiscopis suis impetitur*, *nobis modo talia loquatur.* Ac demum subjungit: *Nam quod se dicit Sedi apostolicae subjici; si qua culpa in episcopis invenitur, nescio, quis ei episcopus subjectus non sit.* Usque adeo itaque certum erat, episcopum de crimine accusatum apud Sedem apostolicam esse judicandum, ut Byzacenus palam a suis coepiscopis impeteretur, quod contra statuta canonica quaereret ei se judicio subducere. Quod vero addit Gregorius, si qua in culpa episcopus invenitur, hoc ipso illum apostolicae Sedi subjici, satis ostendit, episcopi rei judicium ad apostolicam Sedem nativo, proprioque jure pertinere.

Quod postremis verbis recitat Febronius ex Lamindo Pritanio depromtum: *Non admodum necessarium hominibus fidei*, *et Ecclesiae esse cultum novi alicujus Sancti*, *fidemque de illius beatitudine coelesti*: praeterquam quod religiosis auribus minus dignum est; in eo non satis Lamindus attendisse videtur, voluisse Christum, in perpetua ista sanctitatis continuatione, ad finem usque saeculi proroganda, perpetuam suae divinae praesentiae nusquam in Ecclesia defuturae notam extare splendidissimam. Fuit hoc nimirum, plenum divinae sapientiae, Christi consilium, et institutum, ut quum vellet Ecclesiam velut civitatem in monte positam lucere in oculis gentium omnium, et nationum, nunquam in ea splendescere desinerent praeclara illa cum sanctitatis, tum aliarum gratiarum dona, quae missus a se Spiritus Sanctus cumulatissime in discipulos primitus effudit. Liquet porro ad invictam divini hujusce instituti, ac promissi fidem, et constantiam declarandam nihil magis pertinere, quam ut perpetuo adsint in Ecclesia, qui praeclaris maximarum virtutum ornamentis; qui signis, et prodigiis, quibus manifesta se prodit ostensio divinae virtutis, admirabilem illam referant, ac repraesenteut sanctitatis formam, et speciem, quae in majorum documentis, et exemplis haereditaria quadam, nec unquam interrupta successione praeluxerit. Tanti interest sartum, tectumque servari pium istum inveteratum morem, quo per cultum sanctis viris aetatis cujusque delatum mirifica haec sanctitatis continuatio, quae propria dos est Ecclesiae, solemnibus decretis testata, ad omnem futuri temporis memoriam consecratur: ut proinde, qui de sacra istiusmodi actorum auctoritate secus, quam par est, existimant, nae illi videantur non solum beatis hisce regni haeredibus, ac domesticis Dei coelestes honores coelesti vita partos invidere, sed et non parum detrahere de significatione permanentis ejus in Ecclesia Christi praesentiae, qua per afflatum Divini Spiritus perennis ei vis indita est pariendi filios, in quibus vita Christi omnium virtutum splendore omni tempore manifestata cernatur.

Certe, quod minime praetereundum est, in hac singulari sanctitatis nota tantus, tamque unius Ecclesiae catholicae proprius inest splendor virtutis, ut vel infensissimi ejus hostes fateri cogantur, nulli alteri societati, nulli sectae contigisse, ut ad hanc laudis praestantiam aspirare unquam licuerit. Hanc sane confessionem vis veritatis ex ore expressit contumeliosissimi, si quis unquam fuit catholici nominis obtrectatoris, qui nempe recensens praeclara charitatis officia, quae ex instituto s. Vincentii a Paulo (1) delicatae, ac nobiles puellae sublevandis aegrotantium miseriis impendunt, in hanc vocem erumpit: Fatendum nullibi praeterquam inter catholicos tantum prodere sese admirabilitatem virtutis. Qui si paullum in se rediisset, id quoque sibi fatendum esse perspexisset, nonnisi munere prorsus divino insigne hoc decus Ecclesiae catholicae obvenire potuisse, ut amplissimarum, quae supra humanam conditionem eminent virtutum, una Sedes esset, unum, perpetuumque constitutum domicilium.

Quae, ut graviore, seu potius rata certaque auctoritate firmentur, praestat illustre documentum adscribere, idque honoris caussa, ex iis praesertim litteris, ac decretis depromtum, quibus patriae nostrae singulare decus, et ornamentum Franciscum Salesium S. M. Pontifex Max. Alexander VII, in Beatorum primum, deinde in Sanctorum numerum retulit. » Spiritus Sanctus (inquit ille prioribus tabulis Bullar. tom. 6, p. 184) quum in divinis Scripturis viros » gloriosos, nimirum sanctos laudari praecipit, » eorumque sapientiam, et laudem narrari a » populis, et nuntiari ab Ecclesia; docet nos, » atque illuminat, quid nostris etiam temporibus agere debeamus. Quapropter apostolicae » gubernationis curam, et cogitationes in id sollicite intendimus, ut non modo eorum, qui » priscis, sed et qui proximis aetati nostrae seculis sanctitate, ac virtutibus eximie claruerunt, nomen, et gloria ubique gentium innotescat, pioque fidelium cultu, et honore palam veneretur ».

Posterioribus vero: » Quae quum ita se habeant, antecessores nostri Spiritu Sancto instructi laudabilem in Ecclesia morem induxere, nempe in excelso loco sanctitatem constituendi, ut veluti lumen illius lucis vicarium, » quae de se dixit: Ego sum lux mundi, et qui » sequitur me, non ambulat in tenebris: non » sub modio absconditum, sed in candelabro

(1) Consulatur, si placet, opusculum gallico sermone inscriptum: *Discours sur la Divinité de la Religion Chrétienne*, etc. De quo jam in vita beati Alexandri Sauli edita Romae 1806. E. R. Noi daremo, se Dio consente, questo *Discorso* nell' ultimo tomo. D. A. M.

» elatum luceat coram hominibus, eosdemque » a veneratione ad imitationem via strata ad » coelestis, et triumphantis Hierosolymae nunquam interituras delicias dirigat, inferatque. » Et sane viros de christiana republica morum » sanctimonia, et fidei praedicatione bene meritos debitis, hoc est divinis honoribus non » prosequi, quicquid sibi velit impietas, indecorum, ac justitiae absonum haberetur ».... Quibus de caussis, pergit: » Inter nomina ca» tholicae Ecclesiae veneranda Franciscum de » Sales episcopum genevensem, doctrina celebrem, sanctitate admirabilem, aetatique huic » nostrae contra haereses medicamen, praesidiumque referro Numine inspirante decrevimus ».

In eamdem sententiam Benedictus XIV: » Benignitatem Dei nostri, et divitias bonitatis » ejus in servi Dei Alexandri Saulii, primum » Aleriae, deinde Papiae antistitis virtutibus, » ac meritis extollere, et praedicare, non religionis modo debitum esse ducimus officium; » sed nihil etiam intelligimus in hac temporum » conditione esse opportunius, quam ut univer» sis christifidelibus, et animarum maxime pa» storibus uberiora suppetant ad imitationem » exempla, atque in ejusdem patrocinio factis» que admirandis praesidia ad pacem, tranquil» litatem, et salutem tam inter christianos o» mnes,quam inter eos potissimum populos pro» procurandam, quos ab illo per viginti, et am» plius annos non tamquam solius Aleriae epi» scopo, sed totius Corsicae apostolo olim salu» taribus monitis, ac legibus instructos, et mo» ribus correctis, extinctis odiis, conciliatis ani» mis, reformatisque clericis viam mandatorum » Dei currere edoctos, ipsa rerum humanarum, » divinarumque perturbatio jam dudum inibi » exoria a tradita sanctissima disciplina alienos » tenet ». Quo loco fas sit et hoc subjicere, s. Franciscum Salesium, quum de christianae doctrinae, ac disciplinae institutionibus edendis rogaretur, respondisse, id operis Alexandri Saulii Catechismo sic praestitum esse, ut nil plus in eo genere sibi elaborandum superesset.

POSITIO XXIV.

» Pro suprema potestate Pontifici in univer» sa Ecclesia collata ille sibi, suoque judicio » quaedam graviora peccata jure reservat ».

ANIMAD. Non potuit Febronius non agnoscere in Pontifice jus istud ab oecumenica tridentina synodo tam aperte, tam expresse agnitum, declaratum, ac sancitum. At postea serpere incepit more suo, quo id juris velut pedetentim imminuat, ac fere tandem in nihilum redigat.

Profert decretum synodi lemovicensis, an. 1031, quo splendide jus istud demonstratur his verbis: *Judicium enim totius Ecclesiae maxime in apostolica romana Sede constat.* Sed, uo pontificio juri nimium favere videretur gravissima haec auctoritas, continuo subjungit: » Huic » regulae, ne nimium generalis, et indefinita » videatur, Patres ejusdem concilii deinde le» gitimam restrictionem, seu verius interpre» tationem addidere his verbis: Apostolici ro» mani episcoporum omnium sententiam con» firmare, non dissolvere debent; quia sicut » membra caput suum sequi, ita caput mem» bra sua necesse est non contristari ». Verum satis patet, hisce verbis Patres spectasse ad moderationem quamdam in usu potestatis insinuandam, non ad potestatem coercendam ejus Sedis, in qua totius Ecclesiae judicium maxime constare expresse agnoverant.

Similiter, quod ille profert ex concilio salegunstadiensi anni 1022: » Decrevit quoque san» cta synodus, ut nullus (poenitentiae caussa) » Romam eat, nisi cum licentia sui episcopi, » vel ejus vicarii »; ad praecavendas potius falso poenitentium fraudes, quam ad minuendam Pontificis potestatem spectare, agnosit *Thomassinus p. 1, l. 1, c. 6, n. 9.* » Poenitentium, *inquit*, » aut impoenitentium potius fraudibus obviam » tum ibant episcopi, non Papae potestati exi» miae ». Quod luculenter ille probat consimili decreto lemovicensis synodi per ea tempora, scilicet an. 1032, habitae; quae synodus cassas, et inutiles pronuntiabat nonnullas istiusmodi absolutiones, non quod tantae potestatis expers esset is, a quo extortae fuerant, sed quod eas vere extorsissent ii, qui obrepserant Pontifici. » Quum ergo, *inquiunt Patres*, tales de» ceperint apostolicum, ut fraudulenter absol» vantur ab eo, irrita est illa absolutio ». Irrita, inquam, ob vitium obreptionis, non ob defectum potestatis.

Jam videndum, quid ex citatis a se decretis concludi posse Febronius censuerit. » Ita est, » *inquit* p. 157, Papa potest condere leges, et » constitutiones; potest facere reservationes, » sed non debet contristari episcopos, hoc est » impedire in exercitio officii sui pastoralis. Epi» scopi per se sunt ministri sacramenti poeni» tentiae sine ulla reservatione cujuscumque » tribunalis superioris ».

Vel hic Febronius loquitur de potestate ordinis, et haec ad propositum non facit. Quippe et hac pollent inferiores sacerdotes, quos tamen fatetur Febronius, semper subjectos fuisse reservationibus episcoporum adeo, » ut absolutio pre» sbyteri esset invalida, nisi esset conformis » intentioni episcoporum, sibi ejusmodi gravio» rum scelerum disciplinam per canones poeni» tentiales reservantium » p. 153.

Vel loquitur de potestate jurisdictionis, tumque aut eam negat, quoad exercitium superiori auctoritate constringi posse, atque hoc ipso necesse est, eum et secum ipso, et cum canonibus aperte pugnaro; aut si fatetur, concedat etiam, oportet, eisdem restrictionibus pastorale officium in episcopis obnoxium esse. Et quemadmodum canones, quibus casibus episcopalis

jurisdictionis exercitium contraxerunt, non propterea censentur pastorali officio impedimentum aliquod attulisse; sic Pontifex, dum pro suprema potestate, qua, ut loquuntur tridentini Patres, pollet in universa Ecclesia, nonnullorum scelerum judicium sibi reservat, non magis censendus est pastorale officium episcoporum impedire; quum id officium vi ecclesiasticae hierarchiae a Christo institutae semper, ac necessario exigi debeat ad praescriptum regularum, quae legitima canonum, pontificiarumve constitutionum auctoritate firmantur.

Pergit Febronius: » Episcopis ipsis subinde » visum bonum, et utile esse pro foro poenitentiali, ut ad majorem terrorem injiciendum » graviora quaedam crimina romanae Sedi pro » obtinenda absolutione reservarentur. Fecit hoc » sua auctoritate Pontifex; nihil hic, quod epi- » scopos in exercitio sui ministerii aut turbet, » aut arctet, quin immo sic in eodem adjuvan- » tur: *Magnopere*, inquiunt Tridentini Patres, » *ad christiani populi disciplinam pertinere san-* » *ctissimis Patribus nostris visum est, ut atro-* » *ciora quaedam crimina non a quibusvis, sed* » *a summis sacerdotibus absolverentur* ». Ita Febr. p. 157.

Quod utilitas, quae ad graviora crimina comprimenda oritur ex eo, quod ea *romanae Sedi pro obtinenda absolutione reserventur*, occasionem aliquando praebuerit ejus explicandae potestatis, qua in reservationum causa pollet romana Sedes, id vero ab aliis etiam dictum comperio: quod autem ad hanc explicandam potestatem praecedere debuerit episcoporum suffragatio adeo, ut in reservandis delictis Pontifices delata potius, quam nativa auctoritate usi sint (prout ex paullo ambiguis Febronii verbis suspicari forte quis posset), id prorsus alienum foret a tridentinorum Patrum sanctione, qui hanc potestatem non aliunde repetunt, quam ex suprema auctoritate, qua Pontifices pollent in Ecclesia. Tridentinae sententiae plane consentiunt *collationes andegavenses*, quas laudat Febronius p. 155, dum notant, tametsi minus antiquus foret harum reservationum usus, non minus certum futuram de illis sanciendis jus romanorum Pontificum; quod nimirum illorum primatus, et auctoritas paris sit cum Ecclesia antiquitatis, et divina institutione nitatur. Nec ipse Febronius palam dissentire videri voluit, quippe in ea orationis ambiguitate sic reservationes innuit ab episcopis delatas ad Pontifices, ut tamen dicat, factum id esse auctoritate Pontificum.

Deinceps vero animum suum paullo apertius expromit: » Sed non possumus non hic repetere, » quod jam a nobis *Pos.* 7 *et* 19 dictum est: » Si novae constitutiones apostolicae emanent, » quibus hactenus non usitatae, seu nec dum re- » ceptae reservationes continentur, episcoporum » tamquam a Spiritu Sancto ad regendas suas ec- » clesias positorum esse, ut videant, et indagent, » si eae suis ecclesiis conveniant ». De hac facultate, quam episcopis tribuit Febronius, nonnulla superius dicta sunt; alia porro etiam infra subjicientur, quae nullo negotio in hunc locum transferri poterunt.

POSITIO XXV.

» Papa habet potestatem dispensandi ex legi- » tima caussa in lege, a generali concilio lata ».

ANIMAD. Auctore Bossuetto vindicat Febronius Sedis apostolicae dispensationes, *quas nemo catholicus negaverit*; quae ab ipsa basileensi synodo luculenter asseruntur, planeque confirmantur a tridentina. In antiquissimis Pontificum epistolis a P. Coustant collectis non infrequentem jam ab illis temporibus juris istius usum inveniri animadvertit, et auctore *Thomassino p.* 2, *l.* 3, *c.* 4, » quamdiu Ecclesia orientalis » occidentali unita fuit, eam hanc in Sede roma- » na, ejusque praesule, tamquam capite univer- » salis Ecclesiae, auctoritatem agnovisse.

Sed non facile patitur Febronius, aliquam in capite dignitatem eminere, quam non aliqua ratione aut detrahere, aut imminuere, aut saltem cum aliis communem facere contendat. Sic itaque agnoscit in Pontifice dispensandi potestatem, ut » neque tamen eapropter existimandum » sit, episcopis aliquid pro re nata favore suo- » rum dioecesanorum de rigore canonis relaxan- » di facultatem ademtam esse ». Et id quidem vi ejus auctoritatis, qua pollere illos dicit *tamquam a Deo cum indefinita potestate ligandi, atque solvendi positos*. Atque hinc consequens esse putat, pro regula tenendum, episcopos ea facultate pollere, nisi specialim fuerit eis ademta.

Multa hic notanda. 1. Videndum, quemadmodum *indefinita* dici valeat potestas, quam alteri superiori potestati subjectam esse, constet.

2. Fatetur Febronius, episcopos ea potestate carere, ubicumque specialim ademta sit. Porro, si cum indefinita potestate a Deo positi sunt episcopi, quis jam potestatem adimere queat, quam Deus contulerit? Quod si Deus eam sic contulit, ut superioris potestatis legibus teneretur, nihil ex potestate sic collata momenti suppetit ad indefinitam dispensandi facultatem singulis episcopis asserendam.

3. Regulae, quam tenendam proponit Febronius, contrariam regulam communi canonici juris interpretum consensu probatam opponit *Thomassinus p.* 1, *l.* 2, *c.* 13, *num.* 8. Eo, *inquit*, fundamento nititur illa canonistarum di- » stinctio, quando docent, eo differre dispen- » sationes ab absolutionibus; quod dispensare » non possint episcopi, nisi ubi illa eis expres- » se in jure potestas conceditur; at absolvere » a quibuscumque possint criminibus, nisi ubi » expresse Pontifici summo reservata fuerit. » Quippe ordo episcopalis plenissimam comple- » ctitur potestatem remittendorum peccatorum, » non relaxandarum legum ».

4. Superior illa regula refellitur vel ipsa sy-

nodi basileensis sententia, quae hic refertur a Febronio. Profitetur synodus, statutis suis nullo pacto derogari Pontificis potestati, quin pro tempore, loco, caussisque, et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari, dispensareque possit, atque uti summi principis epikeja, quae ab eo auferri nequit. Non dicit synodus, hanc se potestatem Pontifici tribuere; sed eam in Pontifice agnoscit velut insigne quoddam auctoritatis, quod ejus ita proprium sit, ut ab eo divelli nequeat. Quid porro foret in Pontifice praecipuum, si quilibet episcopus ejusdem epikejae utendae jus, facultatemque haberet, possetque in sua quisque dioecesi *pro re nata*, idest cum sibi utilitas, aut necessitas exposcere videretur, non secus, ac Pontifex canonum rigorem relaxare?

5. Pugnat haec eadem regula cum universali Ecclesiae disciplina, nimirum cum decretalibus, quibus commune canonicum jus conflatur; quodque vim legis universalis habere nec Ipse Van-Espen diffitetur: ex multis unum proferre satis fuerit, *Cap. Dilectus* 15, *de temp. Ord.* Episcopus arguitur, qui uno, eodemque die plures sacros ordines contulerat, atque ad facti excusationem archiepiscopi sui mandatum (licet falso) afferebat. Declarat porro Pontifex, etiamsi de archiepiscopi mandato constitisset, non debuisse episcopum hac in parte ipsi obtemperare: quum illi (archiepiscopo) *dispensatio a canone minime sit permissa* (1). Ex quo patet, jus canonicum, quo praesens Ecclesiae disciplina continetur, nullam in episcopis facultatem agnoscere veniae hujus indulgendae, nisi prout ea facultas jure ipso concessa sit: ut proinde non minus scite, quam vere dicere potuerit eximius canonici juris interpres *Emmanuel Gonzalez in Cap. Dilectus* post insignem theologum Basilium Poncium: *Dispensationem non esse ex his, quae competunt, si non prohibeantur; sed ex his, quae non competunt, nisi concedantur.* Quod etiam paullo superius eisdem fere verbis expressum a Thomassino vidimus.

Frustra vero inquit Febronius p. 163: *Tridentinam synodum* illi suae regulae favere *sess.* 24, *c.* 6, quin potius ex eo capite contraria elicitur. Ibi Tridentinum potestatem facit episcopis in irregularitatibus dispensandi, quae ex occulto delicto proveniunt. Ex quo merito quisque inferat, concilium eam potestatem concedendo pro casibus occultis, non eam tribuere voluisse pro publicis; illaque ipsa concessione Patres ipsos manifeste ostendisse, nec pro casibus occultis ullam facultatem episcopos jure suo habituros fuisse, nisi expresse illis tribueretur.

6. Nec tamen existimandum, praesentem disciplinam veteris disciplinae menti quidquam hac in parte detraxisse; quod praedicare non desinunt, quibus mos est vetera jactare, ut nova moliantur: non secus, atque facere solent cives illi, de quibus *Cic. Acad. Quaest. l.* 2, qui, quum rempublicam bene constitutam perturbare volunt, aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Nihil tam a veritate alienum, quam quod isti nostri perturbatores jactare solent, episcopos olim plenam, atque indefinitam quamdam potestatem suis in regendis dioecesibus exercuisse; quo fit, ut non pauci etiam boni homines, at non satis intelligentes, invidia quadam moventur adversus leges, quibus velut totidem adjectis vinculis praeter antiquum jus constrictam fuisse pristinam episcoporum auctoritatem, arbitrantur. Atqui tamen eam certis, ac circumscriptis terminis definitam jam ab initio fuisse ex ipsismet vetustissimis canonibus apostolicis perspicitur; quibus, ut paullo ante animadvertimus, antiquae disciplinae lineamenta continentur; quae consequentibus aetatibus pro rerum, ac temporum opportunitate nova identidem incrementa cepit.

Atque ut ad dispensationes singillatim orationem revocemus, vel ipsis exemplis, quae hoc loco a Febronio proferuntur, sumta plerumque ex P. Coustant, novae, ac veteris disciplinae consensio elucet; illo imprimis, quo s Anastasius » Papa ab episcopis Africae interpellatur, ut cle» rici a partibus donatistarum ad sinum catholi» cae Ecclesiae reversuri, iis in ordinibus relin» quantur, quibus apud suos fruuntur eo, quod hac » ratione plures ad reunionem valeant allici ». Ejus proinde capiendi consilii necessitatem, seu opportunitatem suadebat non unius tantum, sed perspecta, et evidens universalis Ecclesiae utilitas. Quia tamen transmarini concilii decretum adversari videbatur, *afri episcopi sine apostolicae Sedis consensu sumere sibi ausi non sunt*, ait Constant p. 734, ut ejus decreti vim, et

(1) Equidem quod attinet ad probationis vim, quae ex hoc capite duci solet, dubitationem aliquam movere posset, quod animadvertit Benedictus XIV de Syn. Dioeces. l. 9, c. 1, n. 7: » In ea decretali, » quae refertur a Gonzalez post verbum *permissa*, » haec alia subduntur: *Quam ad solum romanum* » *Pontificem non est dubium pertinere*: ex quibus » posset quis conjicere, potestatem relaxandi legem, » de qua agebatur, fuisse a jure episcopis ademtam, » unique romano Pontifici reservatam ». At simul probe idem notat, nulli cavillationi obnoxios esse textus alios, quos refert; primum in *Clement. Ne Romani* 2, *De Elect.*; alterum in *Cap. Sancta Romana De Religiosis Domibus* inter Extravag. Joannis XXII, quae non secus atque decretalis *Dilectus* plenam vim habent juris communis fatente ipsomet Van-Espen in prolegom. §. 5. » Itaque quae ex decreta» libus Gregorii IX, aut sexto decretalium Bonifacii » VIII, vel Clementinis, vel Extravagantibus in hoc » opere referuntur, pro jure communi recipienda » sunt, et pro jure servanda; quousque ostendatur, » jure scripto, vel consuetudinario, seu generali, » seu particulari ab hoc jure communi recessum ». Quin insuper notat, juris hujusce communis auctoritatem ubique vel ipso praeterito saeculo ita firmiter stabilitam extitisse, » ut, ut licet plures pro» vinciae auctoritatem romani Pontificis excusserint, » nihilominus hoc jus canonicum pro jure communi ». constanter retinuerint ».

auctoritatem temperarent. Atqui tamen, ut habet *Thomassinus p. 2, l. 3, c. 24*, » erat car» thaginensis archiepiscopi eminentissima quae» dam honoris, et potestatis praerogativa supra » episcopos omnes africanos, primatesque, sive » metropolitanos. Quidquid patriarchis, et con» ciliis eorum dioecesanis, sive universalibus » juris inerat, et auctoritatis, inerat et car» thaginensi. Non alia suae libertatis, et anti» quae auctoritatis amantior, et retinentior fuit » Ecclesia, quam africana »: *at nihilominus* » universa haec Ecclesia ad Anastasium Papam » confugit, ut dispensationem eliceret ».

Extant apud Labb., tom. 5, epistolae tarraconensium episcoporum ad Hilarum Papam, quibus de ordinatione episcopi per Silvanum Calaguritanum, contra Patrum regulas, et nicaenos canones facta, conquerunturi; eumque consulunt, quid facto sit opus. Has porro epistolas duo memoratu digna continere, rite observat *Severinus Binius*: » Unum, quod ad romanam Sedem tan» tum pertineat dispensare in iis, quae contra » canones praesumpta sunt: alterum, quod nul» lius concilii provincialis tanta est auctoritas, » ut inconsulta Sede apostolica id praestare po» tuerit ».

Aliud exemplum suppeditat *Leonis Magni Epistola* 54, quae est *ad Morcionum*. Depositus fuerat in latrocinio ephesino Domnus Antiochenus, in ejusque locum suffectus, seu potius intrusus Maximus, quem juribus invitis Anatolius Constantinopolitanus ordinaverat. Sed quum Ecclesiae pax postulare videretur, ut suffectus Antiochenus, qui rectam fidem professus fuerat, in ea Sede remaneret,non aliter id consequi potuit, quam venia, et indulgentia romani Pontificis.

Consentit gravissima Symmachi Papae sententia in celebri sexta romana synodo, frequentissimorum ex omni regione Patrum suffragio, crebrisque acclamationibus comprobata. *Apud Labb. Edit. Ven. tom. 5, col.* 509. » Nos enim (praefa» tus Pontifex), et apostolicae Sedis moderami» ne compellimur, et ecclesiasticarum rerum di» spositione constringimur sic canonum pater» norum decreta librare, et retro praesulum, » antecessorumque nostrorum decreta metiri, » ut quae praesentium necessitas temporum re» staurandis ecclesiis relaxanda exposcit, adhi» bita diligenti consideratione, quantum fieri » potest, auxiliante Domino temperemus ».

Claruit luculentissime haec eadem pontificiae auctoritatis praestantia in dispensationibus,quas oecumenicam synodum octavam ab uno Pontifice petendas censuisse memorat *Natalis Alexander Dissert. de Photiano Schismate* §. 22: » Scripserunt etiam ad eumdem Pontificem (Ha» drianum II) Basilius augustus, et Ignatius » patriarcha ejus sacitatem rogantes, ut de » lectoribus plurimis, ordinatis a Photio, sen» tentiam diceret, de quibus non judicarat sy» nodus, an a sacerdotii ordinatione in perpe» tuum removendi essent, eisve gratiam face» ret ob ecclesiae necessitatem. Rogabant etiam, » ut cum Theodoro metropolita Cariae dispen» saret, eique restitueret episcopatum, quia » multa pro Ignatio passus fuerat; nec defece» rat ad Photium, nisi tormentis compulsus. » Intercedebant denique pro Paulo Cartophyla» ce, ut concessa ipsi venia posset ad episco» patum promoveri. Magnificum sane pro ro» mani Pontificis primatu testimonium, quod » synodus oecumenica dispensationes a summo » Pontifice roget; eique, non aliis patriar» chis potestatem a Christo concreditam agno» scat temperandi severitatem canonum,qui ab » Ecclesia recepti sunt universa ».

Demum, ut alia praeteream, ex responso Innocentii III ad archiepiscopum bracarensem *c. Consilium* 2, *de observ. Jejun.* intelligitur, censuisse archiepiscopum, haud sibi licere, ut cum singulis etiam suis subditis iu lege quadragesimalis jejunii vel ipsa premente inopia dispensaret. Quam in rem refert Gonzalez, auctore Balsamone, in ecclesia orientali aegrotis ipsis non aliter usum carnium concessum fuisse, nisi licentia synodice petita. Non ergo censebantur singuli episcopi in universali Ecclesiae lege posse propria auctoritate dispensare. Sive ergo praesentem disciplinam tenemus canonico universali jure sancitam, totque saeculorum usu firmatam; sive pristinae, et jam ab apostolicis temporibus ductae disciplinae vestigia relegere volumus, nusquam reperiemus in singularum ecclesiarum episcopis aguilam facultatem jure suo adversus universales Ecclesiae leges, canonum statuta, et Pontificum decreta dispensandi, nisi prout vel ipso jure, vel inducta legitima consuetudine id ipsis concessum fuerit; aut extraordinaria quaedam necessitas ad grave,idemque praesens periculum avertendum impulerit: atque hoc ipsum juxta regulas superioribus decretis constitutas.

Quod si rectam ipsam rationem consulimus, quid tam perspicuum, quam nullum jus inferiori esse legis relaxandae, quae a superiore lata sit, nisi prout superior eam facultatem indulserit? *Quod* nempe, ut ferunt etiam Institutiones theologicae, recens Lugduni editae, *tom.* 6, *p.* 102, *Dispensatio sit actus jurisdictionis: nullam vero habeat inferior in leges a superiore conditas.* Recte omnino: nam ut sapienter *Augustinus de ver. Relig. c.* 31; » Leges quum » fuerint institutae, et firmatae, non licebit ju» dici de ipsis judicare,sed secundum ipsas ». Sapienter etiam animadvertit fidelissimus Augustini discipulus *Angelicus Praeceptor* 1, 2, *q.* 97, *art.* 4, contingere aliquando, ut praeceptum, quod est in commodum multitudinis ut plurimum, non sit conveniens huic personae, vel loco, quia vel aliquid melius impediretur, vel etiam malum aliquod importaretur: periculosum autem foret, si hoc cujuslibet judicio committatur, nisi forte propter subitum, et evidens pericu-

lum. » Ideo, *inquit*, ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur ». Et ibid. ad 3: » In lege humana publica non » potest dispensare nisi ille, a quo lex auctoritatem habet; vel is cui ipse commiserit ».

Ex his apparet, parum considerate dictum esse *a Zegero Van-Espen Dissert. de Dispens.c.* 1,§.7, quem hic sequitur Febronius, ex eo, quod episcopi praecipuas in Ecclesiae regimine partes sustineant, singulisque ex Cypriano sua portio gregis adscita sit, consequens esse, quod seposita omni positiva reservatione, episcopali auctoritati cohaereat plenaria canonum relaxandorum potestas, quoties necessitas, aut utilitas gregis sibi crediti relaxationem poposcerit (1). Sane Van-Espen inficias non iverit, quin per canones episcopis, eorumque gregibus leges imponi potuerint, ac saepius impositae fuerint, quibus et antistites, et subditi ex aequo tenerentur. Haec autem vis legis est, ut subjectos adstringat etiam nolentes; ipsosque adeo facultate omni privet, ac libertate quidquam contra moliendi. Legi proprie dictae, quam superior sanxerit, respondet in subjectis obligatio proprie dicta parendi. Repugnat autem, ut quis et obligatus sit, et solvere se obligatione valeat. Proinde lex omnis a legitimo superiore condita, sicut omnem in inferioribus transgrediendi, aut exolvendi sese libertatem excludit, sic omnem natura sua dispensandi facultatem adimit; quam proinde inferior proprio jure arrogare sibi nequit, nec ea potiere, nisi a superiore concedatur.

Qua in re mirum est, Zegerum ad suum dictum confirmandum ea exempla, seu argumenta proferre, quae ad id evertendum valere potius videntur: » Quis, *inquit*, vel parum in hi- » storia, actisque Patrum versatus ignorat, e- » piscopos in bigamia, defectu natalium, aliisque » irregularitatibus dispensasse? Quin et translationes et cessiones episcoporum (quae omni aetate inter gravissima ecclesiasticae disciplinae » puncta reposita fuerunt) plurimis saeculis sy- » nodali auctoritate factas non tantum exempla, » sed et canones loquuntur. Episcopus, ait ma- » gna *Synodus Carthaginensis*, *can.* 37, *caus.* » 7, *q.* 1, de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat.... Sane si utilitas Ec- » clesiae poposcerit, decreto pro eo clericorum » et populi episcopis porrecto, in praesentia sy- » nodi transferatur ».

Primum quis non intelligat, ea, quae synodali auctoritate fiant, non fieri auctoritate, quae episcopis ut singulis competat? Decretum carthaginense, memoratum a Zegero, nullam praesefert expressam reservationem: num propterea, si duobus episcopis e re visum esset de sedium suarum commutatione inter se pacisci, id eis facere proprio jure licuisset? Num cuivis episcopo clericum sibi non subditum promovere, tametsi Ecclesiae suae utilem illum fore judicaret? Num alia ejus generis permulta, quae nulla expressa reservatione interdicuntur?

Concedatur etiam, nonnullas olim dispensationes ab episcopis factas esse, a quibus nunc eis est praesenti disciplina interdictum. At quo pacto evincet Zegerus, illa eos facultate proprio jure usos esse potius, quam auctoritate a conciliis, vel Pontificibus in ipsos collata?

Deinde, quod valde notandum est, ipsamet, quae in synodis vigebat auctoritas, ex ipsa Pontificis auctoritate vim suam mutuabatur. Audiatur *Natalis Alexander*, *dissert.* 4, *in Sec. I*, §. 2, *n. XI:* » Idem probatur ex eo, quod con- » cilia Orientis irrita haberentur, nisi romani » episcopi auctoritate firmarentur; quod conci- » lii antiocheni ab arianis habiti occasione So- » crates, et Sozomenus notarunt ». Socrates porro, et Sozomenus de conciliorum decretis, ac actis generatim pronuntiant, ea irrita esse, quae praeter sententiam romani Pontificis statuuntur, aut geruntur. Luculenta sunt eorum testimonia, *Socratis quidem l.* 2, *c.* 8 *et* 17, ubi eamdem in rem profert Julii Pontificis auctoritatem, longe graviorem: *Sozomeni l.* 3, *c.* 10 (1).

Addit Natalis n. 12: » Idem probatur ex iis,

(1) Zegeri dicto refragatur illustre documentum ex Augustino petitum. Hunc sibi non successorem modo, verum et collegam in episcopatu dari vehementer exoptabat bonus Valerius hipponensis episcopus; idque ut fieret, primatis sui Aurelii carthaginensis episcopi rescripto impetraverat. Haec nihilominus ordinatio, quantumvis pro eximia Augustini pietate, ac doctrina plurimum profutura crederetur, quia tamen facta contra nicaenae synodi praescriptum, reprehensione non caruit. Fatetur Augustinus, immo testatur, tum temporis nondum nec sibi, nec Valerio notum fuisse nicaenum decretum: quo demum cognito et ipsum facti poenituit, et ne deinceps accideret, diligentissime providit. Verba haec sunt Augustini Epist. 213, al. 110, n. 4: » Adhuc in corpore posito beatae memoriae patre, et episcopo meo sene » Valerio episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo: » quod nicaeno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse » sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo » reprehendi in filio meo ». Profecto si aetas illa tulisset, cuivis episcopo, ac praesertim provinciae primati fas esse contra generalis concilii praescriptum propter utilitatem Ecclesiae veniam indulgere; nullus reprehensioni locus fuisset in ea ordinatione, de qua dubitari non poterat, quin spectata Ecclesiae conditione, et ordinandi dignitate plurimum utilitatis esset allatura; quamque in propria ecclesia Valerius fieri curaverat, suoque suffragio carthaginensis primas comprobaverat.

(1) Consulendae in ea loca docti editoris Henrici Valesii notae. Quamquam vero dictum Socratis, et Sozomeni de regulis intelligi placeat, quae ad universalem Ecclesiam spectant; constat adhuc eadem vis sententiae, in idque recidit, quod sapienter docet Benedictus XIV, episcopis, et episcopalibus synodis fas quidem esse leges condere praeter jus commune, quas utiles, et opportunas censuerint; verum contra jus commune nil posse; nil, inquam, quo laedatur disciplina universalibus Ecclesiae legibus, pontificiaque auctoritate constituta; quae profecto labefactatur, si episcopo cuique, vel synodo liceret hujusmodi leges propria auctoritate relaxare.

» quae gessit Julius romanus Pontifex in causa » s. Athanasii .... Hic tantum advertere sufficiat, subjectionem illam orientalium ecclesiarum romanae, et in judiciis ferendis dependentiam, s. Athanasii tempore, longo jam » usu fuisse firmatam, ut colligitur *ex Epist.* » *Julii*, quam refert *sanctus Athanasius, Apol.* » 2 ». Ex his, aliisve, quae et ibidem ab Alexandro, et a nobis etiam alio loco collecta sunt, conficitur, quacumque potestate usi fuerint episcopi in disciplina aut sanciends, aut relaxanda, in condendis statutis, in judiciis ferendis, aut retractandis, eam semper illius auctoritati obnoxiam fuisse, *cui dominica voce totius Ecclesiae cura commissa est*, ut ait *Gregorius Magnus l. 4, epist.* 32, et qui, ut habet *s. Coelestinus Epist.* 4, *in speculis est a Deo constitutus, ut quae coercenda sunt, resecet; quae observanda sunt, sanciat.*

Repetere itaque juverit: quod superius innuit Febronius, episcopos primitus indefinitae cujusdam potestatis ubivis exercendae facultatem habuisse, a veritate perinde, atque ab hierarchiae ecclesiasticae constitutione plurimum abhorrere. Neque illis, qui perperam ita sentiunt, favet, quod dictum est, episcopos a Spiritu Sancto positos esse regere Ecclesiam Dei. Pronum quippe est animadvertere, non idem eo loco singulis episcopis tribui, quod generatim episcopali ordini tribuitur. Equidem positi sunt episcopi regere Ecclesiam Dei, non ut singuli toti Ecclesiae regendae incumberent; omniaque munia, quae ad Ecclesiae regimen pertinent, singuli obirent, quod sine perturbatissima confusione fieri non posset; sed ut singuli eam portionem regerent, quae sibi cuique obtigisset; idque non privato cujusque judicio, et arbitrio, quod nunquam licuit, sed ex legibus, quibus ecclesiastica disciplina continetur, atque ex ejus supremi capitis auctoritate, quam ad continendos in ordine, et officio episcopos, atque ad unitatis vinculum constringendum prorsus necessariam Barthelius agnovit. Aliud profecto est, quod episcopi in suscipienda ordinatione capaces fiant cujusvis functionis infra primatum in Ecclesia obeundae; aliud quod omnis muneris ubivis, et quomodolibet gerendi facultas ipsis tradatur. Non ex sola ordinatione legitimam episcopalis auctoritatis exercendae facultatem nanciscuntur episcopi, secus vel ipsi schismatici legitime illa uterentur; sed ex missione, quam a legitimis pastoribus per continuatam ab Apostolis successionem accipere debent; qua missione suus cuique gregi pastor addicitur, cujus curam, non utcumque libuerit, sed ex praescriptis legibus gerere debeat.

Demum p. 163. » *Ad noscendam*, inquit Febronius, *modernam hujus juris disciplinam ad-* » *dimus sequentia ex Zegeri Van-Espen Jur. Eccl.* » *univ. p. 2, sect. 1, tit. 14*, §. 13. Quibus vero » dispensandi auctoritas super impedimentis ma- » trimonii competat, nec in canonibus, immo » nec in decretalibus Gregorii IX determinatur; » neque legitur aliquo Decreto generali auctoritas haec episcopis adempta, et Pontifici reservata; *at consuetudine tandem invaluit, et* » *moderna habet disciplina*, ut, si agatur de impedimentis dirimentibus, et de matrimonio » cum tali impedimento contrahendo, soli Pontifici dispensatio competat; nisi episcopi ostendant, speciali consuetudine, aut privilegio dispensandi auctoritatem sibi competere ».

Sed primum quisquis Zegerum cum Zegero contulerit facile intelliget, minus considerate dicta esse, quae hoc loco ex eo depromta sunt a Febronio. Ait, nullum extare vetus decretum, canonem nullum, quo dispensandi facultas, etiam ubi agitur de matrimonio cum impedimento dirimente contrahendo, episcopis ademta reperiatur. Haud sane mirum. Qui enim adimi poterat facultas, quae nullibi adhuc sese ostentaverat? Equidem vulgaris est error, qui jam velut proverbio increbuit, hac olim facultate passim episcopos pleno jure potitos esse. At vulgarem hunc errorem depellit *Zegerus ipse hac p. 2, tit.* 14, *c.* 1, *n.* 5, ubi Christiano Lupo duce observat, praevias ad matrimonium dispensationes nullas tota antiquitate reperiri; primumque illarum exemplum non altius repetit, quam ab Innocentio III, qui Othoni IV imperatori veniam fecit, ut cum Philippi filia, quarto consanguinitatis gradu sibi conjuncta justas nuptias contraheret. Falsum proinde, quod vulgo quidem, sed imperite jactatur, episcopos prisco more, ac jure in hujusmodi impedimentis ultro dispensasse.

Quid? Si nec id sibi fas esse, suspicari ullo modo potersnt? Atqui hoc ipsum concedat Zegerus, oportet, si quidem vult secum ipse constare. In caussam nimirum inquirit *num.* 4, cur dispensationes istae, antea inauditae, sequiori demum aetate a summis Pontificibus coeptae sint primum quidem parcius, dein largius effundi. Hanc porro affert, nempe » postquam » saeculis posterioribus invaluit quorumdam » jurisperitorum opinio, romanum Pontificem » canonibus, aut decretis ecclesiasticis etiam » conciliorum generalium non ligari, nec constringi posse; hacque tandem opinione a romanis Pontificibus probata, et recepta; mirum quanta facilitate coeptum sit a praescripto canonum recedi, et contra eos dispensationes a romanis Pontificibus impetrari »! Ergo si Zegerum audimus, pontificiis istis dispensationibus initium, caussamque praebuit increbrescens illa jurisperitorum quorumdam opinio, romanum Pontificem canonum decretis constringi non posse. Jam vero nusquam invaluit opinio, quae talem a canonum decretis immunitatem episcopis indulgeret. Nullo igitur tempore potuit in episcopis facultas agnosci, quae hac immunitate, seu immunitatis opinione niteretur. Caeterum quod romanus Pontifex in conciliorum etiam generalium statutis jure suo

dispensare valeat, cum a nemine catholico, fatente Bossuetio, in dubium vocatur, tum ipsa evincitur, Zegero minime suspecta auctoritate synodi basileensis, quae hujus epikejae facultatem primatui divinitus constituto sic haerere agnovit, ut a romano Pontifice auferri nequeat: ut paullo superius animadvertimus.

Minime vero hic praetereundum longe antiquius, ac plane insigne pontificiae auctoritatis quoad matrimoniales dispensationes monumentum. Extat id in registro epistolarum *dici Gregorii Magni, l. 11, epist. 64 ad Augustinum Anglorum episcopum, et lib. 14, epist. 17 ad Felicem messanensem episcopum*, in qua haec scribit sanctus Pontifex: » Incestuosos vero nullo » conjugii nomine deputandos a sanctis Patri» bus dudum statutum esse, legimus. Ideo no» lumus nos in hac re a vobis, sive a caeteris » fidelibus reprehendi: quia quod In his An» glorum genti indulsimus, non formam dando, » sed considerando, ne christianitatis bonum, » quod coeperant, imperfectum dimitterent, » egimus ». Scilicet indulserat Pontifex, ut Angli recens ad fidem conversi, qui matrimonium cum impedimento ex consanguinitatis gradu paullo jam remotiore contraxerant, in conjugio permanerent.

Hoc porro testimonio perspicue intelligitur: 1. Consanguinitatis impedimentum, ut dirimens ecclesiastica fuisse lege constitutum: *A sanctis Patribus dudum statutum esse legimus;* 2. Adeo parum episcopos de dispensationibus hujusmodi tribuendis cogitasse, ut potius admirationi fuerit, quod eam Anglis Pontifex concessisset: *Nolumus nos in hac re a vobis, sive a caeteris fidelibus reprehendi;* 3. Hanc veniam vel ex remotissima gente ab uno Pontifice implorandam fuisse; 4. Sic a Pontifice indultam, ut de caetero vellet, antiqui statuti formam integram, inviolatamque retineri.

Eadem indulgentia etiam quoad contrahenda matrimonia usus est deinceps Gregorius II erga Germanos. Rogatus ille fuerat a s. Bonifacio, quousque porrigeretur impedimentum ex consanguinitate proveniens. Respondet Pontifex (*Epist. 13 ad Bonifacium Episcopum apud Labb.*), oportuisse quidem eos, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugii non accedere societatem: verum spectata temporum conditione placere sibi temperantia magis uti; adeoque concedere, ut post quartam generationem jungantur. Hac porro sua rogatione satis ostendebat Bonifacius, nec sibi, nec aliis episcopis licuisse hujusmodi veniam indulgere.

Quum ergo tot saeculis ne levis quidem suspicio adhuc suborta esset, episcopalis juris esse praevias matrimonio ineundo dispensationes impertiri, aut generalim impedimenta, generali Ecclesiae lege constituta (nisi prout ipsis concessum esset) relaxare; haud mirum, de hac constringenda potestate nunquam etiam saeculis illis cogitatum fuisse: ut hoc ipso, quod non ablata legatur, splendidius argumentum eluceat, nusquam id juris ab Ecclesia in episcopis agnitum esse, nec unquam adeo in illis extitisse.

Ad extremum fateatur saltem Zegerus, consuetudine invaluisse, ac modernam disciplinam habere, ut in impedimentis dirimentibus dispensatio soli Pontifici competat, nisi qui episcopi hanc vel consuetudine, vel privilegio sibi competere ostendant. Porro recens disciplina, universali Ecclesiae usu recepta, non minorem vim habet in praesentia, quam olim vetus habuerit, dum vigeret. Nam, quae potestas condendae disciplinae de principio in Ecclesia fuit, ea desinere nunquam potuit. Quum ergo per hodiernam disciplinam, longo jam usu in Ecclesia firmatam, dispensatio super impedimentis dirimentibus soli Pontifici competat; inutiliter agerent episcopi, si qui, nulla *speciali* facultate instructi, dispensare attentarent; ex quo consequens est, irritum prorsus fore matrimonium cum impedimento dirimente attentatum, nisi venia Pontificis accesserit. Qua de re videnda, quae habet Benedictus XIV de Syn. Dioec.

Et quamquam probaretur, hac aliquando facultate episcopos praeditos fuisse, quod secus esse, paullo ante vidimus, non inde sequeretur, eam denuo ab ipsis vindicari posse. Nam quod superiori auctoritate ademtum est, nonnisi superiori auctoritate restitui potest. Sane, ut tradunt etiam Institutiones theologicae, Lugduni editae, dispensatio est actus jurisdictionis, quam nullam habet inferior in legem superioris. Notum est, in regnis, quae uni supremo imperanti parent, nonnulla olim optimatibus ex vigente tum temporis constitutione licuisse, quae commutatis temporibus, alia subeunte constitutione, licere desierunt. Quis porro istis optimatibus concesserit, ut sua auctoritate ad pristinam constitutionem, posteriore abjecta vel contempta, referre se valeant? An probandum in christiana, quod seditiosum foret in civili republica?...

POSITIO XXVI.

» Primis jam tum Ecclesiae temporibus ii » censebantur spurii, adulterinique episcopi, » quorum ordinationem romanus Pontifex re» spuebat, veluti modo Ultrajectinorum ».

ANIMAD. Agit initio de litteris pacificis, seu communicatoriis; deque iis praesertim, quas electi romani Pontifices mittere solebant eo fine » ut oves pastoris sui vocem audirent, et » sequerentur: ut Ecclesiae unitas, cujus vin» culum est fides, ac membrorum capitisque » consensio, integra servaretur; nam litteris » et pastor oves, quum darentur, et oves pa» storem, quum reciperentur, agnoscebant ».

Addit, communicatorias litteras, ipsamque communionis unitatem aliquando fuisse negatam intacta fide ob laesum aliquod caput me-

rae disciplinae: hunc porro casum esse, has circumstantias episcoporum provinciae Ultrajectinae in foederato Belgio.

Sed quum mox confirmet, constitutionem *Unigenitus* dogmaticum esse sanctae Sedis, et universalis Ecclesiae decretum, cui omnimoda ab omnibus debetur obedientia; quumque obedientia, quae decreto dogmatico debetur, non religiosum tantum silentium, sed et mentis, ac judicii obsequium cum vero et interno assensu postulet, ipso fatente (p. 98): non patet, quemadmodum in contemptu dogmatici decreti merae disciplinae caput violatum existimari queat.

POSITIO XXVII.

» Confirmatio, translatio, et depositio episcoporum non potest provincialibus synodis » restitui, nisi de libero summi Pontificis con- » sensu ».

ANIMAD. De varietatibus, quibus disciplina obnoxia fuit, assentiri videtur *Petro de Marca*, cujus verba describit *ex* l. 3, c. 6, *num.* 4, deprompta. Agnoscit porro Petrus De Marca, » summum caput, in quo jus novum ab » antiquo differt, in eo jam constitui, quod » suprema potestas, quam in plerisque causis judicandis synodi provinciales obtinebant, » penitus extincta sit, et ad solum summum » Pontificem revocata ».

Quod plures causae olim synodorum provincialium auctoritate finirentur, minime id quidem inficiandum; nec tamen inde inferri potest, supremam fuisse auctoritatem illam, quam alunde constat superiori primatus auctoritate subjici debuisse. 1. Descriptio provinciarum, jura metropoleon, ordo in synodorum judiciis servandus, omnia haec decretalibus nitebantur Siricii, Innocentii, Zosimi, etc. Testatur *Petrus de Marca lib.* 1, *c.* 8, *n.* 5, Innocentium decretis suis Occidentis ecclesias ornavisse; immo et ipsam antiochenam ecclesiam, quae caput est orientalis dioeceseos constitutis suis disposuisse: eumdem Alexandro Antiocheno jus ordinationum restituisse: a Juvenali Hierosolymorum episcopo dictum in concilio ephesino morem invaluisse, ut sedes antiochena ex apostolica consuetudine a romano episcopo disponeretur, et judicium acciperet. 2. Quae synodi praescriberent, ea se ad normam apostolicorum decretorum praescribere testatae sunt: sic Aurelianensis III, Turonensis II, Tricassina, etc. 3. Saepe Pontifices ab initio per se ipsi jure suo praestiterunt, quae alioquin assentiente Pontifice in synodis tractabantur, et quae deinceps ipsi Pontifices judicio suo reservanda duxerunt. Patet id luculenter *ex Epist. s. Cypriani ad s. Stephanum Papam*, qua eum rogat, ut abstento Marciano alium jubeat in ejus locum substitui. Notat hic etiam De Marca (*l.* 7, *c.* 1) nulla industria novatores hoc Cypriani testimonium elevare posse. » Futilis est enim, » *inquit*, et Cypriani verbis adversa responsio illa, non deponi a Stephano Marcianum, » sed ad plebem Arelate consistentem scribi, » aequum sibi videri, ut deponatur ». 4. Hincmaros ipse Rhemensis praedicare saepe non dubitat, metropolitica jura ab apostolicae Sedis auctoritate derivare; privilegiumque metropolitanae sedis Rhemorum in summo privilegio sanctae Sedis romanae manere. Quae quidem breviter hic attingimus, quod alio scripto copiosius sunt a nobis pertractata. (Vedi sopra nel tomo preced.).

Fatetur tamen De Marca, in novo jure (prout jam est constitutum) prorsus esse insistendum, ut si quis de antiqui juris restitutione contendat, » periode agat, ac si imperiorum inve- » terarorum administrationem ad eam formam » revocare velit, quae in ipsis regnorum initiis obtinebat ».

Praeterea videtur assentiri Febronius sententiae Giraldi; ajentis, posito etiam, plura esse hodiernae disciplinae capita, quae originem suam debeant suppositis Isidori Mercatoris decretalibus, non propterea movenda esse, quae in exercitio ecclesiasticae jurisdictionis secundum eas decretales constituta fuerunt; et quae a multis jam saeculis servantur adeo, ut in ipsis legitimae praescriptionis conditiones deprehendantur.

Verum, quod attinet ad Isidorianam collectionem, minime praetermittenda sunt, quae de illa docte more suo disserit *Petrus Ballerinius Vindiciar. c.* 5. Ostendit, toto Coelo errasse, qui putarunt, pseudo-Isidorum amplificandae romanorum Pontificum auctoritatis studio ad falsas decretales procudendas excitatum fuisse; quin potius in id spectasse, ut accusationibus, quae adversus episcopos intentabantur, modus adhiberetur: deinde illorum inscitiam coarguit, qui de pseudo-Isidoro conqueruntur perinde, ac si ejus imposturis disciplina vetus abolita, et nova introducta sit, quum potius haec duo animadvertenda fuerint: 1. Pleraque pseudo-epistolarum Isidori excerpta esse ex sententiis sanctorum Patrum, ex sinceris constitutionibus romanorum Pontificum post Siricium, ex canonibus conciliorum, ac ex romanis legibus; 2. Caetera eam disciplinam plerumque exhibere, quae jamdiu inoleverat, vel jam ante aliquantu induci coeperat (1); 3. Imposturam demum in eo sitam esse, quod pseudo-Isidorus eas sententias iis auctoribus imposuerit, quorum non sunt; et posterioris aevi disciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioribus ecclesiae saeculis haec viguisset. Hactenus Ballerinius, cujus opus omnino videndum.

(1) Id sane quoad aliqua saltem disciplinae capita ipsemet Febronius agnoscit, ut superius notatum est.

Adhuc etiam ad novi juris firmitatem constabiliendam haec uffert Febronius p. 174: » Sed » nec illud praetermittendum, quod legibus » etiam regnorum Corpus juris canonici roma» ni, quo noviora haec jura asseruntur, civi» tate donatum, et in jus commune receptum » sit ». Id certis monumentis probat de Germania, et etiam de Gallia. Tum concludit: » Porro quod tanto consensu in Ecclesia uni» versim receptum, tot saeculorum non inter» rupto usu, subinde etiam *concordatis* fir» matum est, atque adeo in jus commune tran» siit, et hodie dum lex est, non poterit mu» tari, nisi de consensu eorum, penes quos » legum in, et pro *universa* Ecclesia ferenda» rum jus est, inter quos post concilium oe» cumenicum est romanus Pontifex ».

Hujus proinde immutandae disciplinae nulla, auctore Febronio, penes laicum magistratum auctoritas residere potest. Quippe nulla est laica potestas, cui jus sit legum *in*, et *pro* universa *Ecclesia* ferendarum. Hanc potestatem non in alio sitam expresse hoc loco agnoscit, praeterquam in concilio oecumenico, et post ipsum in romano Pontifice. Verum quum et in concilio oecumenico nemo catholicus dissentiat, primas, ac praecipuas partes esse romani Pontificis; semper illud constat, sine ipsius assensu nullam mutationem induci posse in id jus *commune*, seu generalem disciplinam, quae illius potissimum auctoritate constituta fuit.

Opportunius proinde Febronius doctrina uti poterat, quam in responsione ad *notas*, praemissa operi suo *de disciplina*, *Thomassinus* exponit: nimirum cum dicitur, concilia provinciatia potestatem aliquam exercuisse, quam deinceps solus romanus Pontifex exercere coepit, non propterea significari, eam potestatem a conciliis provincialibus in romanum Pontificem translatam esse, eique velut jus novum accrevisse, quo antea careret; sed » quam sem» per alicubi exercuerat, eam supersedentibus » conciliis provincialibus, coepit ubique terra» rum solus exercere ».

Quod ergo specialim memorat Febronius de confirmatione, translatione, depositione episcoporum, eas veluti jure quodam devolutionis in Pontificem translatas esse; non ita est intelligendum, quasi novum jus Pontifici obvenerit, idque ab episcopis *non invitis* acceperit: nam praeter illa, quae superius jam dicta sunt, rectius *Thomassinus* de hoc devolutionis jure ibidem disserit: » Ubi jus ab inferiori ad superiorem de» volvitur . . . non accipit ab inferiori, non » usurpat in inferiorem superior . . . Non » repetere potest a superiori inferior . . . So» lemne enim est, jura omnia ad superiores » ab inferioribus devolvi, et omnium prorsus » potestatum spiritualium jura ad summum » Pontificem devolvi posse, quia summus o» mnium vertex est . . . Si autem haec jura a » conciliis provincialibus ad summum Pontifi» cem devolvuntur, quia summus omnium ver» tex est; perperam ergo inde infertur, quod » ea ex sese non habeat; quod ea usurpet; » quod contrario usu possit amittere ». Antea dixerat: » Nihil devolutioni contrarium; de» volutione semel partum jus, perpetuum est ».

POSITIO XXVIII.

» Canonizationes Beatorum etiam olim fie» bant de consensu saltem tacito romanorum » Pontificum ».

ANIMAD. Agnoscit *Febronius*, p. 178, maximam circumspectionem efflagitare *negotii hujus pondus, quod proximum est fidei;* meritoque proinde Alexandrum III prohibuisse, quempiam *pro Sancto venerari, etsi per eum miracula fierent, sine auctoritate Ecclesiae romanae*, c. 1, *de Reliq. et Ven. Sanct.*

Aliunde, p. 179, huic negotio, quod proximum esse fidei testatus est, non dubitat multae suspicionis nebulam offundere. Nam expositis omnibus, quae ad sanctitatem viri comprobandam pertinent, ait: » At haec ipsa omnia » testibus, instrumentis, aliisque humanis ar» gumentis, quae fallere possunt, nituntur; » itaque processu quamvis accurate instituto » errandi periculum penitus abesse, dici ne» quit ».

Pergit: » His consideratis non possum non » probare, quod scripsit *Muratorius de Ingen.* » *Moderat. in Relig. negot.* c. 17, scilicet: Non » omnem veritatem a Divino Spiritu nobis re» velandam, ex omnium interpretatione per» spectum est; sed omnem tantummodo veri» tatem, quae ad salutem hominum, et ad ve» rae fidei, atque catholicae Ecclesiae integri» tatem, conservationemque necessaria sit. Quo» modo vero dicemus, necessarium hominibus, » fidei, et Ecclesiae esse cultum novi alicujus » Sancti, fidemque de illius beatitudine coele» sti? Utile est, non necessarium ista habere, » ista scire ».

At saltem praeterire non debuisset, quod subjungit *Muratorius*, referturque a *Benedicto XIV*, *de Canoniz.* l. 1, c. 45, n. 28: » Quare » a suspicione haeresis ille non absit, atque » intolerandam, et poenia dignam temeritatem » ac impudentiam praeseferat, qui rite coeli» tum catalogo adscriptos explodat, ac in iis, » ut ajunt, canonizandis Ecclesiam reipsa, et » romanum Pontificem errasse dicat: auspicio» nem haeresis memoravi, non autem haeresim » formalem ». Sane queri non poterit Febronius, suspicionem haeresis memorari in *negotio*, quod ille *proximum fidei* dixerit.

Equidem an de fide sit, Ecclesiam in suo de sanctitate hominis judicio errare non posse, quaestionem esse nondum ab Ecclesia definitam, non diffitetur *Benedictus XIV*, *l.* 1, *c.* 45 *n.* 27: Nemo tamen catholicus, nemo pius dubitat de illo peculiari afflatu Spiritus Sancti, sic

Ecclesiam regentis, ut in decernendis, quae ad pietatem quomodocumque pertinent, eam errare non sinat. Scite *Melchior Canus de Loc. Theol. l.* 5, *c.* 5: » Item multum refert ad com» munes Ecclesiae mores scire, quos debeas re» ligione colere: quare, si in illis erraret Ec» clesia, in moribus quoque graviter falleretur... » Ne igitur tantus error in Ecclesia sit, Deus » peculiariter providere credendus est, ne Ec» clesia, quaelibet hominum testimonia sequa» tur, in Sanctorum canonizatione erret ». Atque, ut probe idem animadvertit, si Ecclesiae judicium de hominis sanctitate foret errori obnoxium, » non esset valde absurdum Divorum » omnium cultum ab Ecclesia explodere, qui » post Clementem consecrati sunt ».

Et, quandoquidem hic agitur cum hominibus, qui antiquitatis amantes imprimis videri volunt; non parum momenti apud ipsos habere debet, quod ex omni saeculorum memoria nusquam auditum fuit, inter christianos ullam dubitationem subortam esse de servorum Dei sanctitate, qui sunt in canonem relati, aut de aliis sive martyribus, sive confessoribus, quos Ecclesia publico cultu veneraretur. Extant homiliae Patrum singularum consequentium aetatum de Sanctis, quos superiores aetates extolerant, quique tunc temporis velut *novi Sancti* haberi poterant; nec tamen hac novitate sanctissimi Patres illi deterrebantur, quin eos novos Sanctos pio, religiosoque cultu sine ulla dubitatione prosequendos censerent. Adeo certum, fixumque habebant Ecclesiae de illorum sanctitate judicium.

Et merito quidem. Si enim sanctitatis spiritus nunquam est in Ecclesia desiturus, profecto non est dubitandum, quin, ut semper fuere, ita semper futuri sint, qui donis Spiritus Sancti abundantius cumulati, divinae promissionis immutabilem constantiam, illamque nunquam in Ecclesia interituram sanctitatis notam singulari admirabilitate vitae testentur, ac veluti aspectabilem faciant. *Sanctitas religionis omnium maxime ex sanctitate pastorum colligitur*, ut docet scriptor *Hist. Treviren. in Prodromo p.* 126. Quia ergo neget, ad religionis Ecclesiaeque bonum pertinere, ae omnino *fidei proximum* esse, ut certa nota discerni valeant, quos ad patefaciendam sanctitatis conservationem in Ecclesia, et ob alias caussas, quae copiose a Benedicto XIV explicantur, ad insignem sanctitatis laudem Deus provexit?

POSITIO XXIX.

» Legitimo usu in quibusvis causis ecclesia» sticis invaluerunt appellationes ad apostoli» cam Sedem ».

ANIMAD. Fatetur Febronius, *Natalem Alexandrum* inter Galios *Dissert.* 28, *in Saec.* IV, *Gregorium Zallavvein* inter Germanos *Princip. Jur. Eccl. tom.* 2, *p.* 201, aliosque utriusque nationis eruditos viros sustinere, jus recipiendarum appellationum primatui connatum esse; at alios non minus celebres refragari, existimantes hoc romanae Sedis privilegium adjectitium esse. Qui sint celebres isti refragantes, non eloquitur, quippe neminem nominatim appellat. Sed quicumque tandem fuerint, aut sint, magno eos in errore versatos esse, aut versari convincit (ut alios praeteream non minoris momenti, eamdem in rem editos libros) laudata Natalis Alexandri dissertatio; qua tanta omnis generis argumentorum copia et perspicuitate jus illud primatui cohaerens demonstratur; sicque Basnagii cavillationes revincuntur; ut veritas liquido appareat, nec jam apud aequos aestimatores ambigendi locus superesse ullus valeat.

Quod autem ambo illi viri graves jus illud primatui connatum velint, cavet Febronius, ne quis putet, ex eorum sententia id ita esse intelligendum, » quasi jus illud appellandi nul» lam admittat restrictionem, seu limitatio» nem, quin per canones, concordata, contra» riam consuetudinem, ex legitima caussa in » bonum ecclesiarum alterari, ac intra certos » limites coarctari possit ».

Rationem porro ipse suppeditat: » Quidquid » enim, *inquit*, juris Christus Pontifici conces» sit, id omne in aedificationem, non in de» structionem, in bonum Ecclesiae concessum » esse existimandum est ».

Egregie sane. Omnis quaecumque potestas in aedificationem concessa est, non in destructionem; idque non in ecclesiastico tantum, sed et in civili regimine. Num ex eo fit consequens, ut superior potestas per inferiorem coerceri valeat? in ditione, quae unius supremi principis dominationi subsit, suprema imperantis potestas tota quoque spectat, referturque vi sua in bonum reipublicae: *minister est enim Dei in bonum*, ut ait Apostolus. Num propterea liberum erit inferioribus superiorem eam potestatem, quibus sibi placuerit, aut aequum existimaverint, limitibus, ac terminis circumscribere? Quod si Febronius aegre nunc ferret, his velut arietibus impeti principatum civilem; tametsi olim dixisse feratur, eum ab arbitrio populorum pendere, multisque adeo modis mutari, laxari, adstringi posse; multo minus idipsum locum habere poterit in ecclesiastica hierarchia, de qua, si audiet *Natalem Alexandrum* hac ipsa *Dissert. Sch.* 1, intelliget, ipsum semper professum esse, ae propugnavisse primatum, et quae ex primatu consequuntur privilegia (inter quae praecipue hoc loco agit de jure appellationum): » Christi ore in beato Petro firmata, in Eccle» sia ipsa disposita, antiquitus observata, a » sanctis et universalibus synodis celebrata, » atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata nul» latenus posse minui, nullatenus infringi, nul» latenus commutari; quoniam fundamentum, » quod Deus posuit, humanus non valet amo» vere conatus, ut scribit *Nicolaus I, epist.* 8 ».

At, inquiet, nonne tamen extant canones, qui-

bus certus appellationum modus praescribitur? Extant illi quidem, sed nil inde adversus Pontificis auctoritatem. Primo enim canones isti, ut vel de ipsis orientalibus conciliis notavit supra *Natalis Alexander*, nisi assentiente Pontifice nullam vim habituri fuissent. Deinde omnis haec canonum praescriptio spectat non ad coercendam Pontificis potestatem, sed ad constituendam judiciorum formam, quae comprimendae improborum audaciae aptissima videretur. Quod quidem maxime patet editis hac de re *in tridentina synodo decretis*, velut *c.* 20, *de Ref. sess.* 24; ubi, praescripto consueto judiciorum ordine, nominatim excipiuntur causae, quas summus romanus Pontifex avocare ad se judicaverit; tum solemni ea testatione, qua quaecumque in eo sacro concilio statuta sunt, *declarat*, *ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicae et sit, et esse intelligatur.* Et quidem quum mens ecclesiasticae disciplinae semper una, eademque constiterit; quae mens fuit tridentinae synodi in suis decretis sanciendis, eadem sane fuit, nec alia Ecclesiae esse potuit in probatis decretis antea conditis, siquidem unus, idemque Divinus Spiritus omnibus ex aequo praefuit.

Parum etiam omnino roboris habet, quod p. 182 Febronius proponit his verbis: » Primis Ecclesiae temporibus, quemadmodum universim » appellationes aeque, ac caeterae ambages fere » ignorabantur in Ecclesiae tribunalibus; ita legalis quidem ad supremam primatis Sedem » appellationis nullum tribus primis Ecclesiae » saeculis extare monumentum observant eru» diti ».

Sed quaeri potest ex Febronio, quid legalis appellationis nomine *eruditi* illi viri significare velint. Si hanc solam legalem appellationem dicunt, quae omnes formas consequentibus temporibus jure positivo adjectas complectatur, ludere in verbo velle illi videntur. Notum est, succedentibus aetatibus novas identidem formas, et cautiones principum constitutionibus praescriptas esse; quibus praetermissis legitima, seu legalis censeri prohiberetur sive venditio, sive donatio, sive testamentum, aut alia quaevis inter homines contrahendi, agendive ratio. Num propterea minus legales, aut legitimi censendi actus omnes ejusmodi, qui formulis illis postmodum invectis caruerint? Si autem legitimus, ac legalis censeri merito debet actus, cui nil desit eorum, quae ad substantiam pertinent, quae et naturale jus, et positae illo tempore leges requiruut; nemo negaverit, legitimas, et legales fuisse appellationes, quae primis Ecclesiae saeculis interpositae fuerunt; quae, etsi carerent formis, quas ad praecavendas fraudes posterior disciplina invexit, omnia tamen complectebantur, quae ad aequitatis normam pro eorum temporum disciplina, et conditione requirebantur. Multas autem ejusmodi factas ad sanctam Sedem primis illis temporibus appellationes evincunt exempla, quae et *Christianus Lupus*, et *Natalis Alexander*, et doctus praesul *Johannes Dominicus Mansi* collegerunt. Dubitationem vero tollit omnem luculentum de moris illius vetustate *Leonis Magni* testimonium *epist.* 89 *ad Episcopos Galliae*, quod nemo sanae mentis recusaverit. Quis enim audeat falsi arguere sanctissimi Pontificis ea in re testimonium, cujus testimonii falsitas tum temporis in omnium oculos incurrisset? falsitatis autem convictio et auctoritatis pondus detraxisset, et infamiae labem inussisset.

» Quin immo, subjungit Febronius, ex s. Cy» priano satis intelligitur, saeculo III multum » improbatos fuisse excursus ad romanam Se» dem pro obtinenda ibidem justitia ».

Primum non fuisse generatim improbatas a s. Cypriano appellationes ad sanctam Sedem probat, immo ex epistolis ipsis sancti antistitis colligit laudata dissertatione *Natalis Alexander*, et ante ipsum *Ven. Bellarminus de rom. Pontif. l.* 2, *c.* 23 ostendens: » Cyprianum aegre tulisse » appellationes eorum, qui de manifestissimis » criminibus convicti, et judicati fuerant; non » autem omnino appellationes sustulisse ». Egregia vero sequens ejusdem Bellarmini Animadversio: » Adde, *inquit*, quod si hoc decreto (sci» licet africano, quod objiciebatur a Cypriano) » prohiberentur appellationes, non solum pro» hiberentur ad romanum Pontificem, sed etiam » ad quemlibet alium judicem, ut *Magdeburgen» ses* fatentur *Centur.* 3, *c.* 7, et verba ipsa in» dicant, quae generalia sunt: at absurdissima, » et ridicula lex esset, quae omnem appellatio» nem prohiberet ». Quo magis confirmatur, verba Cypriani ad causam, de qua tum agebatur, aliasve similes manifestissimorum criminum causas referenda esse.

Revera, si eo tempore celebrata fuisset synodus generalis; existimabit ne Febronius, sanctum Cyprianum concessurum non fuisse, ut ad eam ex provinciali quavis synodo provocari posset? Quod tamen dicendum foret, nisi verba Cypriani aequa interpretatione molienda essent. Quid? Si ex ipso celebri facto Basilidis Asturicensis, et Martialis Emeritensis conficitur, sanctum Cyprianum in romano Pontifice jus recipiendarum appellationum palam agnovisse? Hi nimirum a suis synodis ob gravissima crimina e gradu dejecti, quum ad Stephanum accessissent, causaque subdole exposita, restitui se ab eo impetrassent, hanc quidem Cyprianus restitutionem improbavit; verum hac una de caussa, quod *Basilides post crimina sua detecta Romam pergens Stephanum longe positum, et gestae rei, ac veritatis ignarum fefellisset* Qua in re, pergit Cyprianus, *non tam culpandus ille, cui negligenter obreptum est, quam hic exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit.* Idemque de Martiali statuit, qui eadem fraude usus fuerat. Profecto, nisi Cyprianus hanc in Stephano auctoritatem agnovisset, qua episcopos de synodali judicio

ad se appellantes recipere, eosque, si opus foret, adversus synodalem sententiam restituere valeret, non excusandum Stephanum censuisset, quod sibi obrepi passus esset; sed ob id maxime culpandum, quod indebitam sibi potestatem arrogasset: neque impetratae ab ipso restitutioni vitium dumtaxat obreptionis objecisset; sed hoc ipso nullam, et irritam ostendisset, quod nulla legitima potestate contra legitimam synodorum auctoritatem praeter jus, fasque fuisset indulta. Sane qui sententiam non alio, quam obreptionis nomine improbat, hoc ipso fatetur, eam ipsam, nisi id vitii irrepsisset, ratam se habiturum, atque adeo a legitima potestate profectam. Nec etiam hispanienses illi episcopi, synodali sententia perculsi, Pontificis adeundi consilium cepissent, nisi haec insita fuisset provinciarum illarum persuasio, jus fasque esse a synodali judicio ad romanum Pontificem provocare; ut minime mirum videri debeat, Hosium illum Cordubensem ea persuasione imbutum auctorem fuisse, ut honor iste apostolicae Sedi debitus, sardicensis etiam concilii decreto muniretur.

Pag. 183 fatetur Febronius, post synodum sardicensem an. 347 celebratam minime infrequentes fuisse appellationes, multasque recenset ex Natali Alexandro depromtas; tum addit: » Sol» idis his fundamentis innixae appellationes ro» manae, usu magis magisque firmatae sunt, sa» cerdotio, et imperio minime reluctantibus. » Ad hoc probandum alio fere argumento opus » non est, quam allegatione vix non continuo» rum utriusque potestatis laborum, ac studii » in removendis earumdem abusibus, salva sem» per substantia ».

De hisce, ut loquitur, abusibus, tentatisque remediis satis longum trahit ille sermonem, quem per partes persequi non vacat in praesens. Addit, renovatas ea de re *in synodo tridentina* querimonias; synodum porro hisce abusibus, quoad potuit, aduisam esse mederi cum variis decretis, tum signanter *sess.* 24, *c.* 20, *de Ref.* Demum concludit: » Ex his manifestum » fit, romanarum appellationum constantem in » Ecclesia usum non viguisse solum, sed a con» ciliis, Patribus, episcopis, regibus, princi» pibus, et nationibus per canones, leges, et » concordata probatum esse: attamen et pium » hunc usum ab eisdem pro re nata ab abusi» bus haud raro purgatum fuisse, et adhuc pur» gari posse ».

Nil opus Oedipo, ut pateat, quo spectent postrema verba Febronii. Caeterum haud scio, quid labis *purgandae* supersit in decretis tridentinae synodi de appellationibus. Si quam adhuc labem sibi quisquam videatur deprehendere, videat, ne potius inspicientis oculi vitio, quam inspecto decreto tribui, et affingi ea debeat. An forte sibi adeo blanditur Febronius, ut putet, boni quidquam a se cogitari posse, quod prudentiam effugerit sapientissimorum Patrum, quorum consilia in condendis decretis Divino etiam Spiritu regebantur? Atque hi quidem in id sunt inducti, ut, si quid pro rerum, ac temporum variatione uberius explanandum, aut providendum foret, id totum decernerent ad apostolicam Sedem referendum. Quod autem id, quod est universali Ecclesiae disciplina, Sedis apostolicae auctoritate firmata, constitutum, sine Sedis apostolicae auctoritate mutari queat, satis ex superius dictis refellitur, omninoque a catholicis auribus abhorret.

POSITIO XXX.

» Summi Pontifices omni jure damnarunt ap» pellationes a Papa ad futurum concilium ».

ANIMAD. In hujus Positionis explanatione non sine aliqua tergiversatione progreditur Febronius. Primum exponit Petri De Marca doctrinam ajentis, nunquam quidem in Ecclesiam admissam fuisse provocationem a Papa ad concilium, licet aliquando remedio quodam extraordinario Sedis apostolicae judicium in majori synodo instauratum fuerit: etenim, *inquit*, » vel » privatae erant causae, vel publicae: privatae » in synodorum patriarchalium judicio finieban» tur, ut nullus appellandi superesset locus, l. » 29, *C. de Episcop. Audien.*; item *Novella* 123, » c.22. Aliud dicendum de causis Ecclesiae com» munibus, seu publicis. illo sensu intelligen» dus est *Gelasius apud Gratianum caus.* 9, *q.* » 3, *c.* 16, *scribens*, *ann.* 493, *ad Faustum Le» gatum: Ipsi sunt canones, qui appellationes to» tius Ecclesiae ad hujus sanctae Sedis examen » deferri voluerunt; ab ipsa vero nunquam ap» pellari debere, dixerunt* ».

Volunt itaque isti, ubi Gelasius canones memorat ajentes ab apostolica Sede nunquam appellari debere, id de causis tantum privatis intelligendum esse. Verum commentitia plane est haec interpretatio. I. In hac epistola, seu commonitorio ad Faustum generalis est Gelasii sententia, nec ullum in ea ejus distinctionis inter privatas, et publicas causas vestigium apparet. II. In ea epistola Gelasius Sedis suae praestantiam in omnibus judiciis ecclesiasticis supra omnes alias Sedes, omni divino, ecclesiasticoque jure firmatam demonstrat; atque pro hac singulari praestantia uni romanae Sedi competere, ut ad eam undique appelletur, ab ipsa nusquam. Porro si hoc de causis tantum privatis intellexisset Gelasius, in quibus, ut isti dicunt, neque ab aliis patriarchis appellari poterat, profecto aequo hac in parte jure fuisset romanus Pontifex cum caeteris patriarchis; neque tamquam insigne aliquid, ac proprium romanae Sedis decus afferri potuisset, quod ab ea non appellaretur eis in causis, in quibus neque ab illis appellabatur. III. Sententia Gelasii haec duo complectitur, et undique ad sanctam Sedem appellari, et ab ea nunquam. De iisdem igitur causis in utraque parte sententiae agitur. Si ergo

secunda pars, quae velat a sancla Sede appellari, de causis privatis intelligenda est, etiam de privatis intelligenda erit prima pars, qua ex omni parte appellationes ad romanam Sedem astruuntur. Fatendum ergo erit, etiam in causis privatis ad sanctam Sedem appellari potuisse, quod tamen isti negare non verentur; adeo hac sua commentitia interpretatione non solum cum communi sensu, sed et secum ipsi confligere coguntur. IV. Argumentum ex Novella Justiniani ductum refutatur a *Natali Alexandro Dissert.* 28, *in IV saec.*, ubi ostendit: I. Justiniani Novella prohiberi appellationem a judicio patriarcharum in causis episcoporum profanis, non ecclesiasticis. II. Ipsummet Justinianum in romano Pontifice agnovisse auctoritatem judicandi causas orientalium episcoporum, et ipsorum patriarcharum; ut constat ex iis, quae ipso praesente, et probante gesta sunt ab Agapito Papa contra Anthimum, qui sedem constantinopolitanam invaserat. III. Demum » ex Justiniani constitutionibus colligi non posse, quaenam fuerit Ecclesiae disciplina, quia nulla » fuit earum in Ecclesia auctoritas, nisi quatenus » cum sacris canonibus consentiebant, ut constat » *ex epist. s. Agapiti* Pontificis ad eumdem ».

Quod attinet ad causas communes, primum ait Febronius: » Aliquando ad procurandam Ecclesiae tranquillitatem imperatorum rescripto » apostolicae Sedis judicia in majore synodo instaurari contigisse, in qua per legatos romanus » episcopus intererat. Etenim juxta mores antiquos res Ecclesiae communes sine sententia » summi Pontificis constitui non poterant. Quae » ratio, ait De Marca, differt ab appellatione, » in qua judex prioris instantiae ab omni cognitione excluditur ».

Instaurationis hujusmodi exempla petit Febronius ex concilio ephesino, in quo, si eum audimus, Coelestini epistola ad Nestorium rursum expensa est: ex chalcedonensi, quod iterum discussit quaestionem de duabus in Christo naturis, quam Leo jam decideral: ex concilio generali VI, quod examinavit, et resolvit quaestionem de duabus in Christo voluntatibus, ab Agathone antea definitam.

Si quae facta est in illis conciliis laudatarum epistolarum discussio, eam Febronius non alio consilio institutam diceret, quam ad compescendam, si fieri posset, concordi Patrum consensu dissidentium pervicaciam; nil proferret a veritate, nec adeo a supremae Sedis dignitate alienum. Fallitur vero, si putat, quaestiones de Christi persona contra Nestorium; de duabus naturis contra Eutychen; de duabus voluntatibus contra monothelitas non fuisse per sententias Coelestini, Leonis, Agathonis firmo, et fixo judicio definitas. Haud fert praesentis instituti ratio argumenta describere omnia, quae in hanc rem doctissimi viri protulerunt. Satis fuerit pauca delibasse, quae praesertim ex actis ad memorata concilia pertinentibus petuntur.

Ante concilium ephesinum s. Cyrillus episcopus alexandrinus, ut notat doctus vir *Petrus Ballerinius de primatu* c. 13, §. 11, etsi Nestorii errorem, ac pertinaciam exploratam haberet, noluit tamen se ab ejus communione separare, antequam Coelestini romani Pontificis sententiam audiret, quam non solum sibi, sed et aliis episcopis significari ab eodem postulat, ut omnes *uno animo in una sententia persistant*: ita *s. Cyrillus epist.* 8 *apud Coustant.* Hoc porro judicium Cyrillus expetebat, ut in eo sibi, aliisque omnino conquiescendum existimaret. Quum enim epistolas a Coelestino acceptas ad Johannem Antiochenum dirigeret, hortatur eum, ut sententiae Pontificis in occidentali synodo prolatae acquiescat: *Nos enim*, inquit *apud Labb. concil. ephes.* c. 21, *sequimur, quae ab eo sunt judicata, formidantes, ne tantorum communione labefactemur* (1). » Ex quibus, *inquit Ballerinius*, mirifice confirmatur, quod cap. 12, §. 2, fuse » probavimus, communionis romanae necessitatem ab adversariis non posse adstrui, quin » necessaria simul statuatur unitas fidel romanae; sine qua communio cum romana Sede » haberi non potest, ut s. Cyrillus hoc loco palam insinuat ».

In concilio vero ephesino maxime notanda vir doctus praecipit verba ipsiusmet synodi in sententia depositionis Nestorii, quam se Patres ferre profitentur coacti per sacros canones, et epistolam Coelestini. Porro si, ut probe idem animadvertit, » Coelestini litterae synodum cogebant ad depositionem Nestorii, cogebant etiam » ad damnandum ejus errorem in fide, cujus » caussa ipsius depositio praescripta fuerat ».

» Quod si (*pergit ille*) post Coelestini litteras a Cyrillo exequutioni mandatas ad generalem synodum causa delata est, idque ipso » assentiente Pontifice, qui suos legatos ad eam » synodum direxit; nihil tamen liberum quoad apostolica decreta idem Pontifex esse voluit; unde hos se direxisse ait, *ut iis quae » aguntur, intersint; et quae a nobis ante statuta sunt, exequantur*; jussitque eos, si res

(1) Notanda verba epistolae apud Labb. tom. 3, Edit. Ven. col. 927: » Porro autem lectis in concilio (romano) expositionibus illius (Nestorii), epistolisque lectis, et iis praecipue, in quibus quod » apertam ipsius subscriptionem prae se ferrent, nullus tergiversandi locus reliquus erat; sancta romana synodus disertam statim in illum sententiam tulit. Horum proinde decreto modis omnibus parendum est illis, qui a totius Occidentis communione » excidere noluerint . . . . . . Nos enim sequemur, » quae illi judicaverunt ». Et Epist. sacrae synodi ad religiosissimos imperatores de Nestorii depositione: » Laudavimus Coelestinum sanctissimum, Deoque » dilectissimum magnae Romae episcopum, qui ante nostram sententiam haeretica Nestorii dogmata » condemnarat, nosque in ferenda contra ipsum sententia anteverterat prospiciens securitati ecclesiarum, et piae, salutarique fidei a sanctis Apostolis, Evangelistis, sanctisque Patribus nobis tra» ditae ».

» ab aliquibus in disceptationem vocaretur, *de* » *eorum sententiis judicare, non subire certamen* ».

Ex hoc porro luculentissimo cum Coelestini, tum Cyrilli testimonio liquido apparet, hanc ea aetate traditionem, sensumque fuisse cum romanae, tum alexandrinae ecclesiae, sententiam a romano Pontifice latam, habendam esse velut fixum, ratumque judicium, quod sequi omnes ecclesiae deberent: de quo nullum superesset certamen subeundum; quo uno catholici ab haereticis inlo discernerentur; quod repellere nefas esset, nisi qui vellet a catholica communione excidere.

Quod si tamen adhuc causa Nestorii delata est ad synodum, eo consilio id factum dicemus cum laudato scriptore, » ut decepti ab haere» ticis; aut praejudiciis, atque difficultatum ne» bulis impediti; tot Patrum doctrinis, et ser» monibus instructi, atque convicti ad catho» licum sensum, et unitatem adducerentur; ut » ne tamen liberum, ac licitum crederetur apo» stolicae definitioni, quam semper oecumeni» cae synodi ratam habuerunt, unquam repu» diarunt, contradicere, ac repugnare ».

Neque omittendum, quod (eodem referente scriptore) » auctor capitulorum de Gratia Dei, » quae subjiciuntur epistolae Coelestini ad Ve» nerium, caeterosque galiicanos episcopos, qui» cumque ille sit, sive idem Coelestinus, sive » sanctus Leo, sive, ut scriptor probabilius pu» tat, sanctus Prosper; ita sententias, seu aucto» ritates romanae Sedis credendas proponit, *ut* » *prorsus*, inquit, *non opinemur catholicum*, » *quod apparuerit*, *praefixis sententiis esse con*» *trarium* ».

Quod posteaquam adhuc illustravit *Xysti III* praeclaro testimonio *Epist. ad Johan. Antioch.* ad ipsammet causam Nestorii pertinente, subjicit egregium in ea Coustantii Commentarium: » Ubi, » *inquit*, notanda vis argumenti, quo Xystus ab » Sedis apostolicae doctrina discedendum non » esse probat: quia nimirum haec ipsissima » est doctrina, quam non ex incerta hominum » relatione, aut ex libris obscuris, et ambigue » scriptis, sed ex primario veritatis fonte, hoc » est ex ipso Christi ore accepit Petrus, et ex» inde Ecclesiae suae servandam impertiit. Un» de sequitur, absolutam, simplicem, et con» troversiae expertem esse apostolicae Sedis fi» dem ». Ita vir egregius, nec de nimio in romanam Sedem studio suspectus.

Nunc ut ab ephesina synodo ad chalcedonensem progrediamur, ex actis hujusce concilii clarius adhuc elucet, judicia Sedis apostolicae immutabili per se se firmitate pollere. 1. Hanc firmitatem agnovit Flavianus episcopus constantinopolitanus, qui scribens ad Leonem palam testatur, ad convincendam Eutychis haeresim non concilio esse opus, sed eam totam causam Leonis auctoritate finiri posse. Perspicua sunt verba Flaviani (*apud Labb. tom.* 4, *Edit. Ven. col.* 778, *B.*): » Causa enim, *inquit*, eget so» lummodo vestro solatio, atque defensione, qua » debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, » et pacem cuncta perducere. Sic enim haere» sis, quae surrexit, et turbae, quae propter » eam factae sunt, facillime destruentur, Deo » cooperante per vestras sacratissimas litteras. » Removebitur autem et concilium, quod fieri » divulgatur, quatenus nequaquam ubique san» ctissimae turbentur Ecclesiae ». Sic teste Flaviano sacratissimae Leonis litterae id omne praestare poterant, quod fuisset a synodo generali expectandum.

2. Hanc firmitatem agnovit s. Leo, dum scribens ad Theodosium significat, ex una parte a synodo abstineri potuisse; ex alia parte Marcianum aliis litteris monet (*Epist.* 82, *recens. Baller.*), nec cujusquam procaci, impudentique versutia quasi de incerto quid sentiendum sit, sinerei inquiri: nec, cujusmodi sit fides tenenda, esse tractandum; sed quorum precibus, et qualiter annuendum: scilicet vetabat, ne definita suis litteris fidei regula in dubium revocaretur, aut de illa quomodocumque retractanda ageretur.

3. Agnovit s. Petrus Chrysologus: qui ad Eutychem rescribens hortatur eum, sententiae Pontificis acquiescere: *Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.*

Jam in ipsa synodo absolutis prima actione, quae pertinebant ad acta latrocinii ephesini, actione secunda judices a Patribus postularunt, ut quid de fide tenendum esset, exponerent. Tum Cecropius sebastopolitanus episcopus dixit: » Emerserunt, quae ad Eutychem perti» nebant, ut super his forma data est a san» ctissimo archiepiscopo romanae urbis; et se» quimur eam, et epistolae omnes subscripsi» mus: ita omnes dicimus: sufficiunt, quae » exposita sunt: aliam expositionem non licet » fieri. Reverendissimi episcopi clamaverunt: » Ita omnes dicimus ». Itaque Patres omnes aperte, et palam professi sunt, expositionem sufficere, quae tamquam *forma* data erat a Leone.

Quum autem a judicibus injecta esset mentio de instituenda collatione, ut, si qui constitutae regulae adversarentur, eorum voluntates manifestae fierent; Florentius episcopus Sardium aperte quoque professus est, qui recte sentirent, ampliori discussione non indigere. » Quamvis, » *inquit*, in nostra persona, qui epistolae san» ctissimi Leonis subscripsimus, non indigea» mus correctione ». Quibus liquido constat, nullam ab illis episcopis discussionem postulatam, ut sententiae Leonis tamquam certissimae fidei regulae subscriberent: subinde quum lecta esset celebris illa, nec unquam satis laudata Leonis ad Flavianum epistola; tum illa erupit vox acclamantium Patrum, quam ex ore omnium uno velut impetu catholicus sensus expressit: *Petrus per Leonem loquutus est.*

Hactenus nulla discussio. Sed quum illyriciani, et palaestini episcopi, graece minus docti, de sensu trium locorum ejusdem epistolae dubitationem aliquam movissent, ipsis induciae datae sunt, ut interea docerentur. At » omnes » reverendissimi episcopi clamaverunt: Omnes » ita credimus; sicut Leo, ita credimus. Nostrum » nullus dubitat. Nos jam subscripsimus ».Quae qui aequo animo perpenderit, intelliget sic susceptam a Patribus calcedonensibus Leonis epistolam, ut ei tamquam oraculo Petri per Leonem loquentis sine alia discussione subscribendum censerent: discussionem autem postmodum non alio consilio susceptam, quam ut adversus eos, qui veritati resistunt, consonantia ejus epistolae cum testimoniis Patrum clarius appareret: ut etiam intelligi potest ex alioquutione Patrum ad Marcianum in fine concilii.

Nec minus luculenter ex gestis in sexta oecumenica synodo prodit sese immota firmitas apostolici judicii de rebus ad fidem, religionemque pertinentibus. Jam damnata fuerat monotbelitarum haeresis a Martino I, et Agathone; quum ad frangendam, si fieri posset, errantium contumaciam consilium susceptum est oecumenicae synodi, ope, ac praesidio Constantini Pogonati convocandae. Lecta fuit act. 4 Agathonis epistola dogmatica, quam Patres velut Sanctorum traditioni consentaneam unanimi suffragio, ac plausu comprobarunt. Hinc porro inferri posse censuit scriptor *Defensionis*, quae *Bossuetio* vulgo tribuitur, p. 2, l. 12, c. 24, concilii Patres hac mente Agathonis epistolam suo judicio subjecisse, quod minime necesse putarent, singula romanorum Pontificum decreta etiam de fide indiscussa suscipi. Longe tamen aliam mentem eorum fuisse, acta ipsa synodi evincunt. Jam ex Agathonis litteris *actione* 4 perlectis liquet, Agathoni, et Occidentalibus persuasum fuisse, causam illam totam tam certo jam, ac irrevocabili judicio definitam habendam esse, ut synodi praesulibus non amplius fas esset de iatis in Occidente decretis, apostolica sententia firmatis, contendere, aut ab eis ullo pacto recedere. Scilicet Agatho expressis verbis declarabat, hac mente legatos misisse, qui suo nomine synodo praeessent, *ut nihil de eis, quae regulariter definita sunt, minuatur; nihil mutetur, vel augeatur; sed eadem et verbis, et sensibus illibata custodiantur*. Testabatur, non aliam se licentiam, auctoritatemve legatis dedisse, *nisi simpliciter satisfaciendi, in quantum*, ait, *eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere, vel mutare; sed traditionem hujus apostolicae Sedis, ut a praedecessoribus apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enerrare*. Haud igitur censebat Agatho,cui Occidentales consentiebant, apostolicae Sedis definitiones cum libertate dissensus a synodo discutiendas fore: quin potius praescriptis verbis edicebat, nil in eis immutari posse; et quae jam definita erant, verbis, ac sensibus illibata custodiri debere. Hoc jus nimirum, has partes esse apostolici muneris fidem dictare, quam caeterae Ecclesiae sequerentur, » quod, *inquit*, » annitente beati Petri praesidio, qui spiri- » tuales Ecclesiae oves ab ipso Redemptore o- » mnium terna commendatione pascendas susce- » pit, haec apostolica ejus Ecclesia nunquam a » via veritatis in qualibet erroris parte deflexa » est; cujus auctoritatem, utpote Apostolorum » omnium Principis, semper omnis catholica » Christi Ecclesia, et universales synodi fideli- » ter amplectentes in cunctis sequutae sunt; ... » quoniam (ut deinceps subjungit) Dominus, » et Salvator omnium, cujus fides est; qui fi- » dem Petri non defuturam promisit, confir- » mare eum fratres suos admonuit; quod apo- » stolicos Pontifices meae exiguitatis praedeces- » sores confidenter fecisse semper, cunctis est » cognitum ».

Profecto nemo est, qui non perspiciat, hujus totius orationis contextum eo spectare, ac ducere, ut in dogmaticis apostolicae Sedis judiciis firmam constituat, ac proponat fidei regulam nulli amplius retractationi obnoxiam; hanc esse verborum, quae recitata sunt, planam, obviamque intelligentiam, quam quisquis aliter sentit, necesse habeat plane deserere, et in alienos sensus, quos ipsa littera respuit, contorta interpretatione deflectere. Atqui tamen, fatente laudato *Defensionis* scriptore: » *Haec » concilii Patres audiunt, atque suscipiunt* ». Quid hic dicturi sumus, si quidem verum amamus? An adeo bebetes fuisse Patres, ut, quum verba audirent, quid verbis significaretur, minus intelligerent? Quod si intellexerunt, et susceperunt, omnino et verba, et subjectam verbis sententiam suscepisse censendi sunt. Revera qui nunc hac parte a nobis dissentiunt, dum talia audiunt, non simpliciter suscipiunt, sed ea student conquisitis interpretationibus emollire. Quidni sextae synodi Patres perinde fecissent, si cum adversariis potius, quam cum nobis sensissent?

Quia et ipse auctor Defensionis non potuit non agnoscere, verbis illis Agathonis in sexta synodo *auditis*, et *susceptis* grave admodum de immutabili judiciorum Sedis apostolicae constantia testimonium contineri. *Itaque profitetur, hanc revera constantiam esse omnino agnoscendam; non ita tamen, ut prorsus necesse sit, illam in singulis singillatim decretis agnoscere: sed ita, ut universim sumta, summa ipsa in tota, et integra Petri successione valeant, ut*, inquit, *saepe diximus, et suo loco dicemus ulterius*. Proinde in summa saltem decretorum, quae ab apostolica Sede in tota Petri successione prodeunt, certam, immotamque fidei regulam non invitus ille agnoscit. At, 1. quum summa decretorum ex singulis decretis confletur, quo pacto consiabit summae totius immutabilis firmitas, si singula nutaverint, quae ad illam conflandam colliguntur? Qui porro convenit, aut quae ratio

est, ut haec perpetua Petri successio sic dispensatur, ut in singulis partibus instabilitas, in tota serie immutabilis firmitas prodere sese debeat? 2. Immo quo tandem fundamento nititur, aut unde illa depromitur successionis totius constantia, nisi ex Christi promissis ac verbis, quibus ille primatum, et eum primatu pascendarum ovium, et confirmandorum fratrum curam, potestatemque commendavit? Jam vero qua ratione, quave auctoritate probatur, eam constantiam, quae toti successioni pro summa decretorum tribula conceditur, non fuisse perinde singulis decretis attributam? Quodnam ejus distinctionis vestigium Christi verbis, et promissis apparet? Au ubi agebatur de confirmandis fratribus Christi providentia successionem in summa firmam esse voluit, in partibus imbecillam reliquit? Quis ex Patribus ejus distinctionis meminit? Ipsa ergo se sua novitate refellit.

Se ut ad Patres constantinopolitanos redeamus, quid argumentis opus ad eorum mentem eruendam, quam ipsi produnt apertissime, dum et decreti ab ipsis condendi Agathonem auctorem agnoscunt, ei ejusdem conditi confirmationem ab eo postulant? Atqui utrumque praestant synodicis litteris, quibus de rebus gestis ad eum referunt. Primum quidem in gravissimis malis, quibus conflictabatur Ecclesia, Pontificem ipsum divina sapientia opitulatorem sibi datum gratulantur: tum sic eum pergunt alloqui: » Itaque tibi ut protothrono universalis Ecclesiae τὰ πρακτέα relinquimus, stanti super firmam fidei petram, perlectis verae » confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, » quas ut a summo Apostolorum vertice di» vine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam » sectam depulimus ».

Ac deinceps: » Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestraque institutl doctrina, infesta » dogmata impietatis depulimus ».

Tum: » Orthodoxae fidei splendidam lucem » vobiscum clare praedicavimus: quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem ».

Consonant voces, inlimi sensus indices, quae in prosphonetico, seu sermone acclamatorio eruperunt: *Confessionem a Deo scriptam illa romana antiqua civitas obtulit, ... et per Agathonem Petrus loquebatur*: expressius etiam, si fieri potest, in litteris ad Leonem II, Agathonis successorem, quibus testantur Patres, se in Agathone *ipsum Principem apostolici chori, primaeque cathedrae antistitem, Petrum contuitos esse, ... sacrasque illius litteras, velut ipsum Petrum, ulnis animi suscepisse.*

Nihil igitur est caussae, cur existimemus, Patres sextae synodi aut minus intellexisse, quae de immota judicii apostolici firmitate perspicuis verbis praescriptum ab Agathone audiebant; aut non intimo sensu comprobasse, quae suscipere se, et *ulnis animi* complecti profitebantur. In hac itaque synodo mirum in modum eluxit ea de re Orientalium, Occidentaliumque consensio: quod enim Occidentales id ratum, fixumque censerent, quod esset ab apostolica Sede judicatum; satis patet ex ipsismet Agathonis litteris.

Hujus consensionis luculentum argumentum suppeditat concilium aurelianense V, an. 549, magna Galliae, ac Germaniae praesulum frequentia, et celebritate conspicuum; cui sanctitate insignes episcopi plures interfuere, inter quos sanctus Nicetius Trevirensis, de quo praeclara multa ex trevirensis ecclesiae monumentis ab episcopo myriophitano diligenter collecta proferuntur. Primo scilicet ejus synodi canone, ut refert etiam Natalis Alexander *Hist. Eccl. Saec. IV*, *c. 5*, *art. 18*: » Nestorii, et » Eutychetis sectae cum earum auctoribus, et » sectatoribus anathematizantur secundum Se» dis apostolicae judicium; *quas etiam sectas*, » inquiunt Patres, *Sedes apostolica, et sancta* » *condemnat*. Haereses illas (prout jam supe» rius ex Natali descripsimus) in synodis ephe» sina, et chalcedonensi damnatas non ignora» bant ecclesiae gallicanae Patres: tamen apo» stolicae tantum Sedis in suo decreto memi» nerunt; rati, satis esse, quum de fidei dog» matibus agebatur, si sanciretur constitutio, » quae romanae Sedis niteretur auctoritate, cui » refragari nullus deberet ».

Revera, quod praetermissa omni ephesini, et chalcedonensis concilii mentione gallicani Patres in una Sedis apostolicae sententia conquiescant, magno argumento est, eos fixum, et irrevocabile judicium de fidei dogmatibus ad eam Sedem retulisse, quae decretis illarum synodorum praeluxerat, quidve definiendum esset, diserte praescripserat. Nec dubitandum, quin eo plane sensu inter caeteros aurelianensi concilio subscripserit sanctus Nicetius; quum teste Myriophitano in ecclesia trevirensi constans vigeret sententia, quae in apostolicae Sedis judicio immotam, et irrevocabilem fidei normam constituit. Cujus traditionis ad sua usque tempora productae praeclarum cum aliis multis testimonium exhibet gallicanus praesul, sanctitatis, ac doctrinae laude spectatissimus Ivo Carnotensis his verbis, quae superius etiam ex Natali Alexandro retulimus: » Sedis apostolicae ju» diciis, et constitutionibus obviare, plane est » haereticae pravitatis notam incurrere ».

Sed proferenda in medium de trevirensis ecclesiae traditione laudati Myriophitani auctoritas in historiae suae Prodromo pag. 322, quo loco de doctrina, et disciplina ejus ecclesiae sermonem instituit: » Quod vero, *inquit*, ad » punctum doctrinae attinet, videtur jam sub » Francis apud nos recepta fuisse sententia » de infallibilitate romani Pontificis: intelligi» mus id ex Reginonis nostri Chronico ad an. » 865, ubi Guntharium, et Theutgaudum ar-

» chiepiscopos *stultitiae elogio denotandos* asserit, » *qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fal-* » *lere posse arbitrati sunt, quae nec sese fefellit,* » *nec ab aliqua haeresi unquam falli potuit.* » Quamquam hanc thesim Regino ibidem ad » judicium causae particularis sinistre applicat; » vere tamen inde concinditur, hanc opinio- » nem etiam in gallicana ecclesia antiquiorem » esse, atque nonnullis videri voluit ».

Hinc petenda explicatio, vel emendatio eorum, quae scribit Febronius p. 193 de gestis in causa Lutheri, quae sic ille distinguit: » Sparserat Lutherus haereses. Leo Papa X, eum » propterea in jus vocat. Lutherus ab hac ci- » tatione provocat ad concilium generale. Pon- » tifex hanc provocationem justissime perstrin- » git Bulla sua an. 1520 edita ». Hactenus, *pergit ille*, erat ea privata Lutheri causa nulla convocatione concilii digna. Sed postquam tantos in Germania motus excitasset, ut recessibus imperii ab an. 1524 ad an. 1557, declarata sit concilii generalis necessitas, et Carolus V non destiterit illam convocationem urgere, sicque *communis*, *et publica* ea causa facta esset; » tum ea non solum celebrationi concilii » ansam dedit, sed et errores, a Pontifice da- » mnati, rursus ab integro in eadem synodo di- » scussi sunt, uti manifestum fit ex collatione » Actorum Tridentini cum Bulla Leonis: idque » non attento, quod (uti sonant ejusdem Bul- » lae verba) eadem concepta fuerit post deli- » berationem, tractatum, et discussionem tan- » to negotio parem, exceptaque praevia sen- » tentia cardinalium, et compluriuin aliorum » virorum insignium ».

De caussa convocandi concilii aptius disserit Natalis Alexander *Dissert.* 12, *in Saec. XVI, art.* 1: » Grassante in Germania lutherana haeresi » Clemens VII, Pontifex maximus considerans, » conventus a Carolo V imperatore celebra- » tos, ac praesertim augustanum ad haere- » ticos ab erroribus dimovendos nihil contu- » lisse, de concilii generalis celebratione cum » eodem imperatore, aliisque principibus chri- » stianis consilia agitare coepit: quod post » errorum Lutheri damnationem, a Leone X » factam, unicum illud remedium ad eorum vin- » cendam, seu domandam perfidiam superes- » set, ut scribit idem Pontifex in litteris ad » Franciscum I, regem christianissimum, datis » 2 januar. ann. 1533 ».

Quod ergo memorat Febronius, Lutheri errores rursum ab integro in concilio tridentino discussos fuisse; vel eam discussionem eo refert, ut uberiore quadam explicatione, ac tot conspirantium Patrum consensu haereticorum tandem contumacia molliretur; eoque nil detrahitur firmitati judicii, quo antea Lutheri errores a Leone X damnati fuerant: vel existimat, sic ab integro fuisse discussos, quasi nondum fixo, et immutabili judicio damnati essent; tumque Febronio suscipienda pugna erit et adversus Febronium ipsum, qui antea statuerit, jam ante Tridentinum Lutheri errores *irrevocabiliter fuisse damnatos*, et adversus Carolum V, qui post Bullam Leonis X Lutherum ut haereticum habuit, et adversus tot synodos superius laudatas, quae de iisdem erroribus tamquam de damnatis haeresibus sine ulla haesitatione decreverunt.

Quod ergo in causa Nestorii, et Eutychis Ballerinius probe animadvertit, de his, quae definita sunt, libertatem examinis ad revocandos errantes sine libertate dissensus quoad catholicos consistere posse; id in causam Lutheri, et in disquisitiones de illius erroribus habitas in tridentina synodo, non incommode transferri potest. Et sane, cum fateatur Febronius, statuatque, Lutheri errores ab Ecclesia jam ante Tridentinum irrevocabiliter damnatos fuisse, si aliqua fuisset adhuc in Patribus sine aperto fidei detrimento dissentiendi libertas, sequeretur, a synodo generali retractari posse velut adhuc revocabile, quod jam fuisset ab Ecclesia irrevocabiliter definitum; quo fieret, ut Ecclesia secum ipsa pugnaret, aut saltem de se ipsa diffideret.

Ex doctrina, sub hac Positione tradita, duo consectaria eruit Febronius: primum ut non in privatis quibusque negotiis, aut frivolis, sed tantum in communibus seu summis recursus, seu improprie dicta appellatio a Papa ad concilium locum habeat: quasi vero quisquam adhuc repertus esset, qui pro privatis, frivolisque negotiis ejusmodi, quantumvis improprie dictam, appellationem concederet. Caeterum ad hoc stabiliendum jus appellationis pro causis maximi momenti pertinere censuit, quod an. 1460 dixit Johannes Dauvet, quando, ut ait, *cum reverentia* contradixit Bullae *Execrabilis* Pii II, qua Pontifex generatim omnes ad futurum concilium appellationes sub poena excommunicationis interdixit. Ait autem Dauvet, censendum non esse, Pontificem prohibere voluisse recursum ad concilium, ubi ageretur de causis maximi momenti; velut etiam de gravaminibus, quae per aliquem summorum Pontificum inferri contingeret principibus, aut regionibus. Videat porro Febronius, quanti facienda sit ad elevandam censuram, generali interdicto latam, hujus hominis interpretatio ab antistite, qui non privatas, sed canonicas auctoritates sequi se velle, profiteatur. Aliunde, quod appellationes istae super gravaminibus, quae sequiori tantum aevo audiri coeperunt, minime probent, concilium aliquid potestatis in Pontificem habere, diserte explicat Petrus Ballerinius *de Potest. Eccles.*, *Sum. Pont.*, *et Con. Generalis* c. 5, §. 2, *num.* 19, concluditque: » Ex hac itaque gestorum serie, quam » ex antiquitate deduximus, apparet manifeste, » nihil, vel fere nihil hactenus inter catholi- » cos potuisse obtinere, quod pontificiam au- » ctoritatem cuipiam ecclesiasticae jurisdictio-

» ni subjiceret: sed semper apud ipsos valuis» se principium illud. quod antiqui variis oc» casionibus ingesserunt constanter, judicium » de summis Pontificibus nemini competere ju» re primatus, quo, quum ipsi superiores » sint omnibus, non possunt ab inferioribus » judicari ».

Revera ipsemet de Marca fateri coactus est, appellationes a Papa ad concilium a vetere disciplina alienas esse. Et quamvis notet Febronius p. 192, eum propterea vapulsse a Bossuetio l. 13, c. 23, tamen sive Bossuetius, sive alius quisque scriptor ejus operis nullam in tota antiquitate expressam hujusmodi appellationum factam mentionem profert; eoque redigitur, ut dicat, si novum fortasse sit vocabulum, rem tamen esse antiquissimam. Parum sane firma defensio. Non novum, non inusitatum erat illis temporibus in judiciis ecclesiasticis appellationis vocabulum: mos jam frequens invaluerat, ut ab episcopis ad synodos, a synodis, vel episcopis, aliisve inferioribus ad Pontificem appellaretur; illaeque provocationes nomine suo notabantur, quippe usitatae rei usitatum quoque oportebat esse vocabulum. Quod ergo de appellatione a Papa ad concilium nulla ejusmodi mentio fiat, argumento est, non alia de caussa vocabulum defuisse, nisi quia nec dum cogitatum erat de re, subjecta vocabulo.

Alterum consectarium, quod ex praemissis doctrinis eruit Febronius, istud est: » Ut etiam, » ubi appellatio rite interposita est, jurisdictio » tamen Pontificis in illo negotio non prorsus » suspendatur: praeterquam quod enim, *inquit*, » interposita etiam appellatione sententiae Pon» tificis tamquam provisoriae modeste assur» gendum sit, uti alibi diximus; jus praesiden» di in conciliis oecumenicis ad Pontificem vi » primatus pertinet, a cujus juris exercitio nus» quam exclusus est ab Ecclesia: quum ex Ec» lesiae usu, et praxi id solum obtineat, ut prio» ribus judicibus jungantur alii, et plurimi epi» scopi universae etiam Ecclesiae, qui junctim » in concilio plenissime rem discutiant. Accedit, » quod nec sine Pontifice concilia celebrentur » oecumenica, nisi summa necessitate, ac ipso » renuente. Hactenus, *inquit*, reverendissimus » Rautenstrauch ».

Pergit porro: » Ex dictis apparet, appella» tiones a Papa ad concilium (quatenus eae » jure, et praxi Ecclesiae probantur) illis esse » dissimiles, quae quotidie in foro occurrunt; » et quavis ex caussa, et quolibet in negotio » civili, aut ecclesiastico interponi possunt ».

Multa hic notanda. 1. Qui appellationes a Papa ad concilium sequiori aevo induxerunt, non eas voluere similes illarum, quae quotidie in foro, et quavis de caussa interponuntur. Nihilominus istas generatim appellationes damnarunt Pontifices, et quas damnarunt, omni jure ab ipsis damnatas esse, hac sua Positione adstruit Febronius. Vehementer igitur secum ipse pugnat, dum in Commentario allatam dissimilitudinem valere censet, ut appellationes rite interponi queant velut jure probatae.

2. Quod sententiae Pontificis non aliam vim Febronius tribuat, quam *provisorii judicii*, satis jam ex superius dictis refellitur: quamquam etiam notanda vocabuli novitas, quae opinionis novitatem, atque adeo et vanitatem prodit, et arguit.

3. Quod ait, Pontificem nusquam exclusum esse ab Ecclesia exercitio juris praesidendi conciliis generalibus, suspicionem quamdam injicit, num forte putet, excludi eum potuisse juris ejus exercitio, quod jus, fatente ipso, primatui cohaeret, quodque Pontifex non ab Ecclesia, sed a Christo habet.

4. In eo, quod subjungit ex Rautenstrauch, sine Pontifice non celebrari concilia oecumenica, *nisi summa necessitate, et ipso renuente*, verendum ei profecto est, ne nimiam seditiosis hominibus turbandi licentiam tribuat. Nusquam enim necessitatis praetextus illis defuit, qui turbas sive in Ecclesia, sive in republica excitare voluerunt. At si firmum stat, quod in sua Retractatione Febronius ex Patrum sententia vere dixit » *Ubi Petrus, ibi Ecclesia* »; sane quotiescumque abest legitimus Pontifex, Ecclesia nec esse in ullo coetu, nec ab ullo coetu repraesentari potest, qui eo capite careat, quod ei Christus praeposuit, principalique auctoritate in Ecclesiae administratione insignivit. Qua de re videndus Bellarminus de Concil. l. 1, c. 14, ubi de casibus extraordinariis docte, sapienterque more suo disserit.

5. Quod pro ultima causarum definitione postulat, ut plurimi episcopi ex universa etiam Ecclesia junctim in concilio plenissime rem discutiant, et irretractabiliter definiant; nullo pacto constat, sive ad causas disciplinae, sive ad causas fidei referatur: quae tamen potissimae sunt causae communes, ob quas isti appellationes, ut supra explicatae sunt, a Papa ad concilium concedunt. Nam, si agitur de disciplina, nil vetat, quominus in ea, quae fuerint ab antecedente concilio statuta, mutatio aliqua postmodum legitima auctoritate inducatur. Quo pertinet illud Augustini dictum, priora concilia interdum a posterioribus emendari. Si vero ad causas fidei, falsum est, opus esse, episcopos in concilium convenire, ut irretractabile judicium prodeat. Quippe nemo catholicus dubitat, hanc semper in Ecclesia auctoritatem vigere, ut suborientes haereses irretractabiliter damnentur; prout notum est, plures a primis saeculis absque concilio irretractabiliter damnatas esse.

POSITIO XXXI.

» Beneficiorum reservationes sanae rationi, » et aequitati consonae sunt ».

ANIMAD. Tradit velut statutam a *cardinali*

de Luca regulam, *tom.* 1, *in Sum. Benefic.* §. 2, *num.* 6, *Juris communis dispositione, et primaevo Ecclesiae usu attentis, omnia beneficia quandocumque, et quomodocumque vacantia ad episcopi, seu ordinarii loci collationem pertinere.*

Id autem juris duplici potissimum ex capite repetit Febronius. Primum, quod hoc episcoporum jus portio sit plenariae potestatis, qua illi pollent ad regendas suas ecclesias. Id, quod, *inquit*, etiam confirmat observantia primorum decem saeculorum. Deinde quod, quum beneficia a sacra ordinatione sejuncta non essent, ipsaque ordinum collatio vice collationis beneficiorum esset, per se fluit, collationem ad episcopum pertinuisse.

Verum in banc plenariam potestatem transferri possunt, quae dicta sunt *de indefinita* illa potestate, quam superius Febronius episcopis tribuit. Sane jure divino constat, quam potestatem Christus in episcopos collatam voluit, ita collatam esse, ut primatis Ecclesiae potestati subjecta esset. Constat, ecclesiastico jure jam ab initio inferiores episcopos primarum sedium episcopis subjectos etiam fuisse; atque potestatis, qua pollebant, usum canonum statutis nunquam non fuisse certis limitibus circumscriptum. Certe non obstitit illa episcoporum potestas, quin primarum sedium episcopi multa sibi etiam quoad munerum ecclesiasticorum in subjectis ecclesiis distributionem reservarent. Cujus rei praeclarum documentum praebet ea, » quae invaluerat in ecclesiis afri» canis consuetudo, ut ab archiepiscopo cartha» ginensi peterent episcopos; et quae fuit ejus » in illos potestas, ut quem vellet, cui vellet » Ecclesiae, vel episcopo auferret clericum, ac » peteuti ordinaret Ecclesiae ». Thomassin. p. 1, l. 1, c. 20, num. 8: scilicet Patres africani in concilio carthaginensi III, sic primatem suum Aurelium alloquuntur: » Necesse habes tu » omnes ecclesias suffulcire. Unde tibi non po» testatem damus, sed tuam assignamus, ut li» ceat voluntati tuae semper et tenere, quem » voles, ut praepositos ecclesiis, vel plebibus » constituas, qui postulati fuerint, et unde vo» les ». Testantur episcopi, non hanc potestatem se primati dare, sed, quae ipsi competeret, agnoscere. Ideo vero eam potestatem illi competere, agnoscunt, quod ei necesse sit omnes ecclesias suffulcire. Porro quod carthaginensis episcopus necesse haberet africanas ecclesias suffulcire, id ei non divino, sed ecclesiastico tantum jure tributum fuerat: quod vero Pontifex romanus omnium prorsus ecclesiarum sollicitudinem gerere, omnesque suffulcire debeat, id ei non ecclesiastico, sed divino instituto commendatum est, ac praeceptum. Quis ergo putet, minus juris ex divino instituto in romanum Pontificem quoad universam Ecclesiam, quam in carthaginensem quoad africanas ex instituto ecclesiastico manare debuisse? Quod igitur cardinalis de Luca statuat, episcopos ex dispositione juris antiqui ordinarios esse in suis ecclesiis collatores beneficiorum, esto, si placet; nec enim praesentis est instituti ejus rei disquisitio: quod vero id juris repetat Febronius ex commentitia illa plenaria, et indefinita potestate, qua olim praeditos episcopos fuisse in suis regendis ecclesiis, contendit, fundamentum id videtur nec satis firmum, nec satis considerate positum.

In eo vero, quod subjungit, collationem beneficiorum ex hoc etiam capite ad episcopos pertinuisse, quod olim ordinatio esset vice collationis beneficii, in eo latet aliqua ambiguitas. Num si hoc ita dicit, quasi ordinatio esset vi sua collatio beneficii adeo, ut ex ordinatione in sese spectata jus oriretur ad beneficium; in eo sane falli videtur: jus illud oriebatur ex vocatione, seu missione in beneficium, quam vocationem ut plurimum ordinatio proxime consequebatur. Designabatur scilicet, eligebatur, qui vacanti titulo praeficiendus esset; nec ordinari solebat, nisi qui sic electus, aut designatus esset ad beneficium. Itaque collatio beneficii plerumque quidem conjuncta erat cum ordinatione; nec ideo tamen unum, eumdemque actum constituebat, sed duo actus erant natura diversi, tempore conjuncti. Hinc si ordinatio fieret praeter statuta canonum, clericus ordinationem quidem recipiebat, nec tamen jus ad beneficium consequebatur; quod nimirum legitima missio deesset, sine qua nemo cuiquam ministerio ecclesiastico rite praeficitur.

Atque hujus quidem missionis penes romanum Pontificem summa semper fuit auctoritas. Quod quum aliis multis ex tota antiquitate depromptis monumentis constat, quae partim alibi protulimus contra Slevogtium (Vid. tom. praeced.), tum manifestum fit antiquo illo more, cujus tot insignia exempla edidit S. Gregorius Magnus; quo nimirum Ecclesiae aut pastore viduatae, aut ineptum pastorem nactae alienis episcopis commendabantur, qui a romano Pontifice plenam administrationis potestatem accipiebant. Qua de re videatur Thomassinus p. 2, l. 3, c. 10, et seq. An non tum Pontifex sibi reservabat, ac veluti per sese potestatem exercebat, quam suis visitatoribus committebat? Quod ergo romani Pontifices ocyus serius reservandi jure usi sint, nil id attinet ad potestatem, quam non aliunde quaesitam, sed primatui cohaerentem habent. Nec sane ratio afferri ulla potest, cur non de beneficiis perinde valere debeat, quod de criminum absolutione Tridentinum declaravit, potuisse Pontificem graviora crimina suo judicio reservare, idque potuisse pro suprema, qua summi Pontifices pollent in Ecclesia universa, potestate.

Non ergo legitimo jure caruere primi reservationum auctores, ut innuere videtur Febronius p. 200, sed primi dicendi sunt jus illud explicuisse, quod ipsis pro injuncto divinitus munere sollicitudinis omnium ecclesiarum competebat: quemadmodum in sollicitudine, quam

ecclesiastico instituto gerebat ecclesiarum Africae carthaginensis episcopus, nitebatur jus illud amplissimum, quod in eo carthaginense concilium agnovit. Fatetur Febronius hac Positione, jus reservationum aequitati, et rationi consonum esse. Quid est ergo, quod cuiquam mirum videri debeat, id juris fuisse a Christo primatui collatum, quod sit rationi, et aequitati aptissimum?

Caeterum non diffitetur Febronius, reservationes multis ab hinc saeculis invaluisse. Ex hac porro diuturna possessione alio etiam quovis titulo deficiente (multo magis vero ubi possessio superiori auctoritati adjungitur) certum jus existere, quod nulla ratione convelli queat, planum fit vel ipsa auctoritate, quam ille profert pag. 200, Antonii Hotmanni, quem » Petrus Puteanus sub initium Commentarii Petri Pithaei » de libertatibus gallicanis, earumdem libertatum » scientissimum nominat. Quando (*inquit Hotmannus*) superior quicquam sibi more vindicavit, id ei loco tituli est. Atque id habet superior commodi, quod ea, quae sibi consuetudine asseruit, juribus superioritatis tribuantur. Et hinc subsidia, quae Pontifices ab ecclesiis inferioribus percipiunt, juribus illis » adscribuntur. In prescriptione immemoriali » non opus est ostendere titulum, sed illum allegare sufficit ... Hanc possessionem oportet » esse immemorialem. Quod non tamen sic intelligendum est, quasi oporteat, haec jura ita » esse vetusta, ut credantur a prima Ecclesiae » origine fuisse imposita; sufficit enim impositionis ejus, seu perceptionis jurium initia » esse extra hominum memoriam.... Et quidem » Pontifices multis potiuntur juribus, quae ab » antiquo immemoriali tempore soliti fuerunt » percipere, quae absurdum esset nunc in quaestionem vocare... » etc. An non pacis perturbator merito existimetur, qui jurisprudentiam hac aequitate constitutam commovere nunc nitatur?

POSITIO XXXII.

» Concordata, utpote vim pacti habentia, religiose utrinque servanda sunt ».

ANIMAD. Multa, quae pertinent ad concordata germanica brevi narratione complectitur; nec omittit vias indicare, quibus obsisti possit, si quando *Papae Officiales* in ea peccarent. Nec tamen canonem profert, quo in eas vias ingressus pateat. Sed plane Febronius trepidat timore, ubi non est timor. Summa Pontificum fides in servandis concordatis, suo assensu firmatis, non aliud postulat, quam ut aequa illis fides rependatur.

Pergit porro: » Sed quid, si in interpretatione verborum, aut sensus concordati a Rota » Romana dissentiat consilium imperiale aulicum, ad quod ab illius interpretativa decisione sumitus fuerit recursus? Faciam, *inquit*, » hic mea, quae Carolus Josephus Embdem » Kirnensis in Diatriba inaugurali de Concordatis Germaniae an. 1780 proposuit ».

Summa haec est: » Non recognoscunt Germani *Papae soli* interpretationem authenticam. Attribuunt autem *sibi solis* non tantum » *magistralem*, sed etiam *judicialem;* mandatis » adeo coercitivis vindicandam adversus eos, » qui alibi petunt interpretationem istam ». Non quaero, quo canone nitatur doctrina, quae concordatorum, in quibus de rebus ecclesiasticis plerumque agitur, interpretationem et *magistralem*, *et judicialem* totam illius partis, quam secularem verba innuunt, potestati subjicit; quae doctrina digna non videtur, quam episcopus faciat suam. Hoc unum vix praeteriri potest, nimium adhuc pristini moris retinentem videri Febronium: quidquid ubicumque est, quod minus favere videatur auctoritati Pontificis, in eo colligendo non sinit diligentiam desiderari suam.

POSITIO XXXIII.

» Annatae retinendae, usque dum romanae curiae necessitatibus aliunde provisum » fuerit ».

ANIMAD. Deest in Positione clausula de apostolici *judicii* interventu, quae in retractatione habetur; quin et ipsa subjuncta explanatio ad removendam ejus judicii, et consensus necessitatem spectare, aliqua ex parte videri potest.

Paucis memorat, quae in basileensi concilio de annatis tractata sunt, quas tamen subsequutum concordatum germanicum retinuit.

Repetit memoriam quaestionis, quae a nonnullis olim excitata est, an non istae annatae vitio aliquo simoniae laboraverint. Frustra omnino: quippe et ipse Febronius agnoscit, quod apud omnes exploratissimum est, nullam haerere in hoc subsidii titulo suspicionis ejusmodi labem.

Hoc ipsum insuper confirmat auctoritate Petri de Ailiaco, quae extat apud Thomassinum p. 3, l. 2, c. 58, num. 9, deprompta ex tractatu de auctoritate Ecclesiae: ubi Ailiacensis expresse docet, temerarium fore, ac non ferendum notare generaliter de simoniaca pravitate statum illum, quo summus Pontifex recipit, et quaerit subventiones consuetas in oblationibus, decimis, annatis et similibus.

Quod si hoc loco Thomassinum sub oculis habuit Febronius, minime par erat praeterire, quod paullo superius ex eodem Ailiacensi refertur ad earum subventionum aequitatem probandam; minus vero quod paullo inferius adstruitur de necessitate pontificii consensus ad quamcumque in eas mutationem inducendam. Hanc enim decernit Ailiacensis, fieri non posse nisi ex *ordinatione Papae*, *et concilii generalis*. Quo satis ostendit, nec in concilii generalis potestate id positum esse, nisi Papae accesserit auctoritas; additque idem, » facientes contra praemissa

» non conformant se, sed manifeste obviant in» stitutionibus regis Franciae, ecclesiae galli» canae, et universitatis parisiensis; sicut patet » eas intuentibus ».

Et merito quidem ordinatio Papae requiritur: nam, ut ante Posit. 30 statutum ab Holmanno vidimus, quem laudat Febronius, quum superioris auctoritatis praestantiae possessio adjungitur, titulus exurgit ejusmodi, quem jura omnia vetant, ullo pacto violari.

Sed insuper ad confirmandum jus pontificium, jam ab Alliacensi vindicatum, valere quoque possunt, quae in rem eamdem observat Thomassinus de antiquo more, quo ab episcopis, et abbatibus longo ante tempore, quam a romanis Pontificibus annatae exigebantur; quamque velustae essent annatae, quas ecclesiae gallicanae aliae aliis pendebant: unde sic disserit c. 58, n. 7: » Ecqui caeterae ecclesiae jam olim po» tuerant ad fabricas templorum, vel ad alios » usus seponere annatas beneficiorum? Ecqui » potuerat hic usus statutis, consuetudine, pri» vilegiis, et praescriptione confirmari; deuique » iis decretalibus, quae veluti micantissimae sunt » juris canonici hodierni faces: nec potuerit Ec» clesia romana pari jure uti, et consimilem » facere fructuum reservationem ad explican» das gravissimas temporum angustias, et dif» ficultates? An fabricae, et reparationis tem» plorum particularium majora sunt momenta, » quam defensionis romanae Ecclesiae, in qua » principatus residet apostolicae cathedrae »?

Et n. 8: » Nemini non exploratum est, quam » abhorreret Gersonius ab adulatione, ubi ro» manae curiae res ageretur. Et fatetur ille ta» men in hoc opusculo (de simonia), ut le» vitae veteris Testamenti quum decimas ipsi » a laicis acciperent, ipsos vicissim decimarum » harum decimas exsolvisse aaronico summo Pon» tifici; ita simillimo quodam munere a prae» latis inferioribus colendum esse romanum pon» tificem; idque convenienter per annatas per» fici ».

Adjungatur auctoritas sorbonici Tournelli *de loc. Theol. de Concil. Basileen.*, cujus haec verba sunt: » Respondeo cum illustrissimo de Marca, » Natali Alexandro, Fagnano juris pontificii pe» ritissimo, Fevret, et aliis, annatas solvere » pium esse; exigere nec simoniacum, nec in» justum. Responsio haec est contra Molinaeum, » Launojum » etc. Quod responsum, posteaquam conciliorum viennensis, et constantiensis auctoritate, ac nonnullis apostolicis constitutionibus communivit, hoc insuper argumento confirmat: » Omnibus curam animarum habentibus pie sol» vuntur decimae. Porro romanus Pontifex jure » divino constitutus est pastor omnium ecclesia» rum, et omnium ecclesiarum curam gerere » debet. Ergo annatas absque ullo vitio recipere » potest; easque pie, ac rationabiliter conferunt » praesules designati ».

Non omittit etiam Febronius memoriam renovare querelarum, quas annatae, vel annatarum taxae nonnunquam excitarunt. Speciatim Positione antecedenti p. 204 appellationem commemorat a Diethero archiepiscopo moguntino, ann. 1461, ea de causa interpositam.

At judicium omittit latum a Thomassino c. 59, n. 10, de archiepiscopo illo, quem ait, poenituisse tandem, sed sero *inconsideratissimae suae pertinaciae*.

Omittit, quae ab eodem Thomassino n. 8 et 9 referuntur responsa Aeneae Sylvii ad querelas jurisconsulti Martini Meyri ». Ex quibus, » *inquit Thomassinus*, aptissime ab Aenea con» cluditur, non curiae romanae exactionibus, » sed suis ipsorum ambitiosissimis expensis Ger» maniae praesules exhauriri ». Quod quidem ego dictum velim, et intellectum de eorum temporum praesulibus, ad successores minime referendum.

Omittit, quod n. 12 idem scriptor affert de querelis nonnullorum procerum eorumdem temporum, qui *militari magis fiducia, quam accurata rerum peritia perorabant*: ubi etiam digitum intendit in fontem, unde illae potissimum querelae manabant: » Suum, *inquit*, tunc virus » quaqua versum spargebat novella haeresia, » hominumque facile mentes a Pontificis studio » alienabat, et in has agebat intemperias ». Sed de annatis alio scripto paullo latius egimus. *Vid. Opusculum in Georgii Lakics* Prael. Can. tom. praeced.

POSITIO XXXIV.

» Exemtio regularium a seculari potestate, » aut ab una particulari synodo non valet abro» gari ».

ANIMAD. Quod initio explanationis Febronius commemorat de multis olim excitatis adversus exemtionum abusus querimoniis, magna ex parte depromtum videtur ex Natali Alexandro *Dissert.* 12, *in saecul. XVI, de Syn. Trid. art.* 16, *n.* 41, adeo verba verbis respondent. At silet, quae ipso eodem loco verbis proxime antecedentibus affert Natalis ad asserendam Pontifici potestatem regulares eximendi. Censet ille quidem, episcopos jurisdictionem in dioeceses suas, et subditos a Christo immediate accipere: attamen *dioecesum*, inquit, *divisio, subditorumque designatio a romano Pontifice pendet, qui et justis de caussis immunitates, ac privilegia ecclesiis, vel monasteriis concedere potest, quibus ab ordinarii jurisdictione solvantur, et eximantur.*

Silet etiam, quod refert idem Natalis art. 95, n. 2, his verbis: » Lotharingus cardinalis re» gulares in synodo laudibus extulit testatus, » tria regularium millia paucorum mensium » spatio erudele martyrium passos fuisse, quod » obedientiam romano Pontifici debitam abju» rare noluisset .... Quapropter uti caeterorum » clericorum immunitatem ab episcopis pluri-

» mum improbabat, ita regularium privilegia » illaesa perstarent, Patres hortabatur ». Nec vero ista regularium institutorum ab amplissimo cardinali suscepta laudatio mira cuiquam videri debebit, qui recogitaverit, quam multa in eorum commendationem scripsere Athanasius, Basilius, Chrysostomus, alii Patres, praeclarissimique praesules, qui omni aetate sanctitatis, ac doctrinae laude maxime floruerunt.

Nec mirum proinde, vel a primis saeculis sanctissimos antistites monasteriorum conservationi, et incremento per immunitatum privilegia consultum voluisse; eaque adversus obtrectantium calumnias severis identidem decretis vindicasse, quod paullo latius explicandum est, quoad fert praesentis instituti ratio: quippe notum est, hac maxime de caussa regularium immunitates apud permultos invidia laborare, quod eas existiment velut novum quoddam inventum, a Pontificibus auctoritatis suae amplificandae studio in Ecclesiam invectum, veteribus incognitum, a primaevae disciplinae forma prorsus alienum.

Insigne immunitatis documentum inter alia suppeditat *synodus carthaginensis sub Bonifacio* an. 525, apud Labb., de qua pauca referam ex Natali Alexandro *Hist. Eccles. sec.* VI, c. 5, art. 10: » Petrus abbas cum senioribus mona» sterii sui libellum supplicem porrexit Bonifa» cio Carthaginensi, et synodo pro monasterii » sui libertate. Scilicet Liberatus, episcopus pri» mae sedis provinciae Byzacenae, monasterium » illud sedi suae subjicere volebat, utpote in » sua provincia constitutum; et monachos sibi » parere renuentes excommunicaverat. Contesta» ti sunt illi, se subditos esse carthaginensi epi» scopo, totius Africae primati; ..... liberum sibi » fuisse,cui vellent episcopo coenobium subjicere » suum,quod suis,parentumque suorum sumtibus » fundatum erat, et in quod ex diversis locis Afri» cae, vel transmarinis congregati fuerunt; .... » plurima esse monasteria in Africa, quae illi » non suberant episcopo, in cujus dioecesi con» structa erant .... Protulerunt iidem monachi » vetera quaedam ad probandam monasteriorum » libertatem monumenta, scilicet fragmentum » ex libris s.Augustini de moribus clericorum.... » Secundo decretum synodi arelatensis .... Ter» tio vetus privilegium a Bonifacio, provinciae » Byzacenae seniore concessum .... Ad litteras » proinde Liberati respondit Bonifacius, privi» legia, tot episcoporum auctoritate firmata, re» scindi non debere veterum canonum servan» dorum specie. *Neque enim*, inquit, *poterimus* » *statuta mutare, quae per tot sacerdotes instin*» *ctu divino servata noscuntur* .... Istud tandem » a synodo editum est decretum: *Erunt igitur* » *omnia omnino monasteria sicut semper fuerunt,* » *a conditione clericorum modis omnibus libera,* » *sibi tantum, et Deo placentia* ». Alia cap. 6, art. de Monachis, n. 6, congerit Natalis immunitatum documenta, ex antiquitate petita.

Pariter de monasteriis, per varias Africae dioeceses sparsis, quae carthaginensi antistiti suberant, disserit Thomassinus p. 1, l. 3, c. 31, n. 15; qui etiam negat, inficiari se posse, » quin saeculo jam septimo essent in patriar» chatu constantinopolitano bene multa coeno» bia, ab episcoporum dioecesanorum spirituali » jurisdictione prorsus absoluta, et uni imme» diate subjecta patriarchae constantinopolita» no, et exarcho patriarchali, quem ille ad » omnium monasteriorum administrationem de» legabat ».

Nec diffitetur Thomassinus ex antiquissimis ecclesiasticae historiae monumentis constare, alexandrinorum, antiochenorum, et hierosolymitanorum patriarcharum curam, et administrationem in omnia eorum patriarchatus monasteria propagatam fuisse.

Non ergo a vetere more, et instituto abhorrebat, quod monasteria jurisdictioni subtraherentur episcopi ejus dioecesis, in qua sita erant, et superiori vel primatis, vel patriarchae auctoritati subderentur. Quod si tali jure patriarchae, ac primates potiti sunt, ut jurisdictionem sibi assumerent, ac reservarent in monachos, quacumque in dioecesi sibi subjecta degerent; nemo catholice sentiens dubitaverit, quin multo potiori ratione id juris romano Pontifici competere debeat, a quo pro eminenti potestate, in patriarchas omnes, et primates a Christo sibi tradita, pendet (ut verbis utar Natalis Alexandri) *et dioecesum divisio*, *et subditorum assignatio*.

Minus vero de hoc jure catholicus quisque dubitaverit, posteaquam Tridentini decretis *firmata est generalis Ecclesiae disciplina circa exemtionem regularium* in *casibus* non exceptis, ut ait Febronius p. 218.

Hac porro regula primo loco utitur Febronius, et recte quidem, velut aptissimo argumento, quo probet, quod ab ipso statuitur in hujusce suae Positionis secunda parte, non posse ab ulla particulari synodo exemtiones regularium aboleri: quod scilicet *Ecclesiae disciplinam*, *universaliter receptam*, *episcopus in sua dioecesi evertere haud valet*; *idemque est de particularibus synodis*. Quam in rem obtinere insuper ait, » quod prudenter monuit auctor » libri: *Justification des Discours*, *et de l' Hi*» *stoire Ecclesiastique de M. Fleury tom.* 1, » *part.* 3, §. 1, scilicet: Postquam pedetentim » caput aliquod disciplinae mutatum est, si » accedat decretum concilii generalis, vel ro» mani Pontificis cum consensu coetus pastorum » ad approbationem novae disciplinae; tuto » pronuntiandum est, novum hoc caput, etsi » veteri mori contrarium, non esse contra fidem, » aut contra bonos mores; adeoque illud non » esse inter abusus numerandum, quoniam » numquam id Ecclesia confirmat, quod sit aut » fidei, aut bonis moribus adversum ». Quidquid sit de peculiaribus scriptoris hujus opinionibus, quas hoc loco discutiendas non sumimus; saltem id ex ejus sententia, adeoque

ex eorum ore, qui minime regularibus favent, plane constant, multo minus inter abusus recenseri posse regularium exemtionem; quae cum omni auctoritate Ecclesiae munita est, tum nec veteri mori contraria, immo priscis institutis omnino consentanea comprobatur.

Progreditur deinde Febronius, seu redit ad primam suae Positionis partem de seculari potestate, a qua pariter negat abrogari posse regularium exemtiones. Sed in hujus partis explanatione forte quis desideraverit, ut ea prudentiae species, quam praesefert, non abesset a simplicitate columbae: » Sed et reges, *inquit*, » ac principes, dum agunt, *qua tutores, ac de-* » *fensores canonum, atque ecclesiasticae disciplinae* » *vindices* (hoc enim ad eorum auctoritatem, » jus, et officium pertinet. *Vid. Natal. Alex.* » *Dissert.* 21, *in Saecul. IV*), huic disciplinae, » quam Tridentinum agnovit, quaeque per » omnes ecclesias recepta est, adversari haud » poterunt, sed eam potius sequi; et, nisi le- » gitima caussa obstet, eamdem sustinere de- » bebunt. Hoc sensu *illustrissimus De Marca in* » *Prolegomenis lib. de Concord.* p. 57. Tuitio, » *inquit*, Ecclesiae regibus commissa est, ut » edictis suis decretorum, et canonum promul- » gatorum exequutionem urgeant; non autem » ut arbitratu suo leges condant in iis, quae » fidem, aut ecclesiasticam disciplinam respi- » ciunt ».

Satis aperta, nec interpretationis indigens videtur Petri De Marca sententia, si quis eam, ut jacet, simplici oculo inspexerit; nimirum ex hac id unum elicitur, regibus convenire in his, quae fidem, et ecclesiasticam disciplinam respiciunt, ut edictis suis decretorum, et canonum promulgatorum exequutionem urgeant; idque pro ea tuitione, quae pietati eorum commendata est, quos ut *catholicos Deus sanctae fidei, Ecclesiaeque protectores esse voluit*. Neque alia mens fuit *Natalis Alexandri laudata Dissertatione*, ut ex scholio praesertim manifeste patet.

At reconditius aliquid fuit a Febronio excogitatum. Pergit quippe in hunc modum: » Dixi, » a principibus, qua defensoribus canonum, » et vindicibus disciplinae, regularium exem- » tiones abrogari haud posse.... Alia est quae- » stio, quid valeant jure majestatico, et qua » *domini territoriales* in monasteria, et mona- » chos » ?

Ad hanc explicandam potestatem nonnulla circa monachos cum aliqua distinctione praemittit. Primo de monachis disserit, » dum tur- » bant pacem publicam, seditiones excitant, » subditorum animos ad partium studia, odia, » et inimicitias inflammant; dissidia adver- » sus proprios ordinarios movent; institutum, » propter quod in rempublicam, seu Statum » admissi sunt, relaxant; mandatis princi- » pum se refractarios exhibent; domesticis » odiis, atque rixis se proscindunt, atque ita » publico scandalo sunt » etc... Tum ait Febronius » non esse dubium, quin principes in » monachos, tamquam in perversos subditos » saevire, aut alia ratione felicitati Status ad- » versos, ac noxios e suo territorio ejicere va- » leant ».

At fere evenire non solet, monachos ea furere insania, ut pestem patriae moliantur, ac veluti publici, nefariique hostes, ac perduelles haberi debeant. Hinc descendit Febronius in aliud distinctionis caput, nimirum: » Quod si in » casibus non adeo gravibus, aut certis de cau- » sis principi visum fuerit meliora capere con- » silia; proinde monasteria hujus, vel illius lo- » ci, districtus, seu ordinis, non quidem pe- » nitus extinguere; attamen ille de solida mo- » nachorum correctione post serias monitiones, » atque mandata, per superiores regulares ob- » tinenda, experientia doctus desperet, non vi- » deo, *inquit*, cur, *qua tutor regni* non possit e- » jusmodi superioribus regimen monasteriorum » sui regni, retento eorum instituto, ad tem- » pus interdicere, aut etiam illos pro re nata » in perpetuum excludere, praesertim exteros, » quorum segreti influxus, ... necnon arcti ne- » xus... sub uno saepe extraneo supremo ca- » pite ... non semper indifferentes sunt. Quo » facto, nisi de principis consensu aliter dispo- » situm fuerit, regimen illud ad ordinarium » dioecesanorum in ecclesiasticis superiorem re- » dibit, episcopum videlicet, qui singulos mo- » nachorum coetus... pro bono status, et Ec- » clesiae noverit continere ».

Nonnulla hic notanda: 1. Recolendum, regularium exemtionem haberi, proponique a Febronio tanquam caput disciplinae a Tridentino firmatae, atque universali Ecclesiae usu receptae; quae proinde inter abusus numerari nequeat, fatente ipsomet Fleurii vindice.

2. Quum revera princeps, seu magistratus laicus duplicem personam sustineat, *qua tutor Ecclesiae, et qua tutor regni*, visum est Febronio utriusque tutelae jura peculiari quadam ratione dispescere.

3. Fatetur, immo asserit, Petrique De Marca auctoritate confirmat, principi, qua tutor est, et defensor canonum, fas non esse, disciplinae, quam Tridentinum agnoverit, quaeque per omnes ecclesias recepta sit, qualis ab eo agnoscitur immunitas regularium, adversari.

4. Aliam esse quaestionem, quid in hisce rebus princeps valeat jure majestatis; aitque, se non videre, cur, qua regni tutor, non valeat aliter statuere de hoc ipso capite disciplinae, quam tamen agnoscit a Tridentino firmatam, et universali Ecclesiae usu receptam! Quo videtur Febronius non solum utriusque tutelae jura distinguere, sed et aliquo pacto unum alteri opponere, quasi quod principi non liceat, qua tutor Ecclesiae est a Deo constitutum, idipsum, qua tutor regni, licitum sibi facere jure majestatis valeat.

Atque hoc quidem loco nobis constitutum est non aliud Febronii obtutibus monumentum subjicere, quam quod ipsum sane non pigebit intueri; id nimirum, quod a viro non minus eruditione, quam dignitate praestanti litteris mandatum est *in Prodromo Hist. Trevireu. p.* 138, ubi doctrinam, et disciplinam illustris ejus Ecclesiae sub romanis exponendam aggreditur. » Postquam, *inquit myriophitanus episcopus*, trevirensem ecclesiam, ut cum s. Athanasio loquar, vidimus *apostolicorum virorum* ingeniis fundatam, item *sanctam*, atque cum catholica Ecclesia *unam*, et consentaneam, *miraculis illustrem*, cum romana apostolica Sede *conjunctam*, in Gallia *primam*, in Belgica *matrem et magistram*; nunc porro dispiciendum, quae ejusdem in particularibus doctrinae, et disciplinae articulis fuerit *credendi, et agendi* ratio. Ubi in primis quidem illud firmum tenuit, de rebus fidei judicium, et imperium non esse penes principes saeculares, sed penes episcopos, et concilia, seu Ecclesiam ipsam ».

Posteaquam id late persequutus est, de causis ecclesiasticis generatim hanc D. Martini sententiam proponit: » Idem thema Treviris coram Maximo egregie sanctus Martinus sustinuit teste Sulpitio Severo *Hist. Sacr. l.* 11, *c.* 63, ubi: Sanctus Martinus, *inquit*, non desinebat increpare Ithacium,... novum esse, et inauditum, ut causam Ecclesiae judex saeculi judicaret, etc. Nec aliter *s. Nicetius in Epist. ad Justinianum* ».

Tum subjungit *episcopus myriophitanus*: » Sicut de articulis fidei judicium penes Ecclesiae Patres esse dignoscitur, ita et in materia disciplinae jus statuendi, et canones condendi. Dilucide id expressit Mappinius, rhemensis episcopus, in epistola ad mox memoratum Nicetium nostrum ».

Eamdem subinde perstitisse trevirensis ecclesiae mentem, ac sententiam, satis innuit *Myriophitanus* agens de disciplina, et doctrina ejusdem Ecclesiae sub Francis, ubi inter alia multa haec habet p. 329: » Congregati in synodis episcopi condebant canones auctoritate, et jure suo; manutentionem, et exequendi facilitatem obtinebant ab accedente auctoritate regis, servatis utriusque potestatis limitibus, quos, an. 870, in trevirensi causa egregie notarunt episcopi Galliae apud Flodoardum *Hist. Rhemen. l.* 3, *c.* 20 ».

Appellat hic Myriophitanus notatos ab episcopis Galliae limites apud Flodoardum, quo toco non potuit ille non animadvertere, quam longe absit episcopalis gravitas praesulum Galliae ab aulica levitate Febronii. Aegre tulerat Ludovicus Germanicus, Bertulphum ab iis praesulibus praeter sui voluntatem sedis trevirensis metropolitanum Pontificem ordinatum fuisse Ordinationem ex praescriptu canonum factam esse, nec quicquam in ea peccatum contra fidelitatem regi debitam, probare ingreditur Hincmarus Rhemensis una cum Remigio Lugdunensi, Arduico Vesontionensi, Erardo Turonensi, Adone Viennensi, Egilone Senonensi » ostendens, *ut scribit Flodoardus*, quia licet regalis potestas praesideat humano generi diguitate rerum, praesulibus tamen divinarum devote colla submittit, atque ab eis caussas suae salutis expetit; inquo sumendis coelestibus sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi se debere cognoscit religionis ordine potius, quam praeesse. Itaque inter haec illorum se pendere judicio, non illos ad suam velle redigi voluntatem. *Proinde*, inquit, *sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus siluisse pro divinitatis cultu, quod congruit: ita regiae potestati, quod absit, non mediocre periculum est, si, quum debeat parere, refugit, quod ei ex divina voce a sacerdotibus nuntiatur, Domino dicente in Evangelio: Qui ex Deo est, verba Dei audit* ». Perlegenda tota epistola, quam si probe perpendet Febronius, intelliget, quantum ex episcopali robore ipsimet regiae potestati firmitatis accedere valeat.

In his porro causis quantum tribuerent praesules illi gravissimi Sedis apostolicae auctoritati, et judicio, demonstrat idem Flodoardus relatis l. 3, c. 13, epistolis Hincmari ad Pontificem in causa Rothadi suessonici episcopi, et ad Laudunensem nepotem suum, quem sic alloquitur: » Et quod lo dicis audire obloqui de judicio domni Papae Nicolai, si de me dicis, mendacium dicis. Nam, quod ille de Rothado, sive de Vulphado judicavit, non contradixi; sed, sicut ipse praecepit, obedire curavi ».

Expressius etiam, ubi agitur de jurisprudentia Trevirorum sub Germanis, declarat Myriophitanus, quae, et quanta esset apud Treviros de suprema auctoritate romani Pontificis existimatio, his verbis p. 520.: » Ipse Egilbertus noster, ulut persequeretur Papam Gregorium VII, tamen memor canonum scripsit coepiscopis an. 1082: Ferro sententiam contra apostolicum non est tutum; immo insanum, et omnino nefarium aliquid audere in illum, qui vice sancti Petri fungitur legatione ipsius Christi ».

Sic igitur trevirensis ecclesiae traditionem nobis exhibet Myriophitanus, ut prima illa vetusta aetate, qua et sanctitatis, et miraculorum gloria maxime claruit, constanter teneret, in materia disciplinae non secus, atque in materia fidei statuendi, ac decernendi potestatem omnem penes Ecclesiam esse. Nunc recogitet Febronius, num sanctissimi praesules illi ludere sic voluerint, ut quod sine ulla distinctione saeculari potestati constanter negarent, id quidem fieri non posse, dicerent, si magistratus induat personam tutoris canonum; at fieri posse, modo tuitionem regni explicare se velle, profiteatur?

5. Inuuere videtur Febronius, justam saecu-

lari potestati pro re nata subesse caussam, cur pati nolit, exteros praepositos quidquam juris in subjecta monasteria exercere: quod nimirum monachorum arcti nexus cum aliis ejusdem instituti coetibus sub uno extraneo capite, regno ejusque Statui non semper indifferentes sunt. Quo loco quaeri ex eo potest, an non putet, idem dici posse de dioecesanis unius ditionis, qui subsunt episcopo in alia ditione degenti? An non idem dici potuerit ab ipso christianae religionis initio de fidelibus per totum orbem dissitis, quos tamen ad Apostolos, eorumque successores, maxime vero ad eam Sedem, quae, teste Irenaeo, potiori gaudet principalitate, convenire oportebat, semperque oportuit? Num propterea existimet, licere saeculari potestati episcopo jurisdictionem suam interdicere in oppida suae dioecesis alteri ditioni subjecta, suoque jure efficere, ut haec jurisdictio in alios sive antistites, sive sacerdotes commigrare valeat? Sed an ecclesiastica munia, et jura saeculari potestati subjiciantur hac una de caussa, quod haberi possint velut non plane reipublicae indifferentia, paucis ea de re discutienda rursum occurret Febronii mens, et sententia.

6. Non potest vir canonicae disciplinae peritus perspectam non habere solemnis voti sanctitatem, qua obstricti tenentur quicumque regulare institutum professi fuerint; neque adeo ignorat Febronius, quod nemine prorsus dissentiente tradit Natalis Alexander, *Theol. Dogm.*, *et Mor. l.* 4, *art.* 12, *Reg.* 14, *Votum solemne religionis positum esse in professione regulae, a Sede apostolica approbatae*, qua in professione vovetur obedientia, juxta praescriptum regulae praestanda. Praescripto porro regulae praepositis obedientia debetur, eique in primis, qui praeest universo instituto, cui se regularis addixit, cuique interposita voti religione obedientiam spopondit. Propterea constans hactenus viguit haec inter doctores sententia, non posse regularem sine venia canonice impetrata obedientiam debitam illi praeposito detrectare, seu renunciare, quin violati voti reus evadat: et quum agatur de institutis a sancta Sede approbatis, constans ex aequo sententia est, universali disciplinae consentanea, canonicam hanc veniam nonnisi a summo Pontifice haberi posse.

7. Facta, ut superius inquit, regularium a suo capite discessione, quasi haec sine pontificiae auctoritatis interventu legitima esse posset, censet Febronius separati cujusque coetus regimen ad episcopum redire. Qua in re haud satis videtur sive cum propriis effatis, sive cum canonicis institutis convenire. Fatetur ille, potestatem jurisdictionis in episcopis quoad usum per canones arctari posse; nec diffiteri potest, quin disciplina per concilium generale firmata, et universali Ecclesiae usu recepta inter canonica instituta merito sit referenda. Agnoscit insuper, ad id genus institutorum regularium exemtionem pertinere. Si ergo ex una parte canonicis universalis Ecclesiae institutis obstringuntur etiam episcopi; si per canonicum hujusmodi institutum arctata est eorum jurisdictio in exemtos; sequitur, ut, quae canonica auctoritate ligata est, aut ademta potestas, nonnisi canonica auctoritate restitui, aut solvi queat.

Praeterea, tametsi Febronio magis placeat episcoporum jurisdictionis potestatem a Deo immediate repetere, adhuc fatetur, quod ipsum per se perspicuum est, portionem gregis, quam quisque regat, non divino, sed ecclesiastico jure cuique obtigisse: ut proinde merito dixerit supra laudatus Natalis Alexander, qui etiam immediate Deo acceptam refert episcopalem auctoritatem, a supremo Ecclesiae capite pendere et *dioecesium divisionem*, et *subditorum assignationem*. Hinc et olim obtinuit, et nunc obtinere videmus, ut novae sedes episcopales erigantur in oppidis, quae ad aliam ante dioecesim pertinebant. Ergo Pontifex potest uni episcopo subditos detrahere, et alteri assignare; secus dicendum foret, plurimos, qui nunc sunt in Ecclesia, episcopos legitima auctoritate carere. Peracta hoc pacto divisione nemo dixerit, hanc priori episcopo facultatem manere, ut jurisdictionem, quam in portionem pontificia auctoritate avulsam antea exercebat, eam iterum sine pontificia auctoritate sumere sibi valeat. Ergo etiam multo minus in exemtos, qui, qua parte sunt exemti, nunquam fuere subditi. Quippe notum est, regulares coetus, dum in varias, ac dissitas dioeceses commigrarunt, ab eisdemque recepti, et ut plurimum vocati; suam secum, qua legitime donati erant, exemtionem intulisse, atque ut exemtos receptos, habitosque fuisse, prout jam olim in africana, et orientali Ecclesia usuvenisse superius a Thomassino accepimus.

Demum quod hoc pacto futurum auguratur, ut melius in ordine, et officio regulares contineantur, haud scio, an satis cohaereat cum his, quae ante ex Barthelio ipsemet protulit; quae si aliquo modo constant, potius metuenda foret regularis disciplinae non levis perturbatio, si singulis in dioecesibus interior cujusvis monastici coetus moderatio episcopi cujusque judicio, et arbitrio permitteretur.

POSITIO XXXV.

» Exemtionum abusibus per concilium tri-
» dentinum occursum, et provisum est ».

ANIMAD. Si Johanni Launojo credimus, inquit Febronius, *episcopis per concilium tridentinum tantum non omnia eorum in regulares jura restituta sunt*. Nec abstinet a describenda satis longa pagella, qua scriptor ille, non parum suspectae doctrinae, infensum suum in regulares animum ultro patefacit. Sic porro ille *Op. tom.* 3, *p.* 2, *pag.* 436: » Dixi, tridentinam synodum ad » decretorum Zosimi, et Bonifacii, et praecepto- » rum Stephani, Nicolai, et Gelasii normam

» statuisse, ut *episcopi*, *etiam tamquam Sedis* » *apostolicae delegati* (1), monasteria quaelibet » exemta visitarent, et corrigerent; idest utram- » que auctoritatem, et suam, et romani Pontificis » ad tam pium, et necessarium opus assumerent. » Itaque, dum tridentina synodus formula illa » utitur, idem est, ac si unicuique episcopo » diceret: Monasteria visita, monasteriorum mo- » res corruptos emenda; si quid in iis aucto- » ritati tuae deesse putas, romanus Pontifex sup- » plere intelligitur; obsiste vitiis monasterio- » rum, obsiste monachorum superbiae, et arro- » gantiae... Quum tridentina synodus ita loqui- » tur, nec de veteri episcoporum jure quid- » quam detrahit, nec romano Pontifici quid- » quam addit, etiamsi verborum complexio » apud antiquos minus usitata videatur ».

Si, dum haec scriberet Launojus, synodum tridentinam prae oculis habuit, difficile est non suspicari, quin de industria fucum facere voluerit. Affirmat, universe, et indistincte a tridentina synodo statutum fuisse, ut episcopi *etiam* tamquam Sedis apostolicae delegati monasteria quaelibet exemta visitarent, et corrigerent: ex quo sibi viam parare visus est ad inferendum, posse id igitur episcopos *etiam* auctoritate propria; adeoque habendam esse delegationem apostolicam, velut merum additum, nec ad aliud opportunum, quam ad sedandas meticulosorum antistitum anxietates, qui minus id sibi licere, putarent.

At primo, ut pateat Launoji sive error, sive dolus, notandum, particulam hanc *etiam*, qua tota ejus argumentatio nititur, reperiri quidem in formula, qua *Tridentinum* utitur sess. 21, c. 8, sed ibi non loquitur universe, et indistincte de *monasteriis quibusvis exemtis*, ut falso innuit *Launojus*, verum de monasteriis commendatis, in quibus non viget regularis observantia; nec non de beneficiis commendatis tam curatis, quam non curatis, secularibus, et regularibus; ac de iis, in quibus, etsi vigeret regularis observantia, tamen superiores debite admoniti intra sex menses subditos visitare, vel corrigere negligerent. Aliis porro locis delegata potestas, quae conceditur, expresse distinguitur ab ordinaria, quae jure proprio episcopis competit. Sic sess. 25, c. 5, *de Regular.* Bonifacii VIII constitutionem, quae incipit *Periculoso*, renovans sancta synodus universis episcopis sub obtestatione divini judicii, et intermінatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis *sibi subjectis ordinaria*, in aliis vero Sedis apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent. Non potuit Tridentinum accuratius distinguere jurisdictionem ordinariam a delegata. Primam expresse agnoscit in episcopis quoad monasteria eis subjecta; alteram concedit quoad monasteria non subjecta. Quo loco, nisi dicere velimus errasse Tridentinum, dum distinxit inter monasteria subjecta, et non subjecta; evidens fit, in non subjecta nullam esse ordinariam episcopi jurisdictionem, qua parte sunt exemta, seu non subjecta; siquidem ordinaria jurisdictio nonnisi in subjectos explicare se potest.

Sic etiam eadem *Ses.* 25, *c.* 14, Tridentinum decernit, a quo sit puniendus *regularis non subditus episcopo*, qui degens intra claustra extra ea notorie delinquit. Quomodo regularis quisquam non subditus episcopo dici posset, si quoad interiorem disciplinam ordinariae illius jurisdictioni subjaceret? Pariter c. 20 decernitur de superioribus ordinum, qui non sunt episcopis subjecti, et quibus est in alia inferiora monasteria, prioratusve legitima jurisdictio, ut haec suo loco, et ordine ex officio visitent, etiamsi commendata: et quod probe notandum, subjungit: *Quae quum ordinum suorum capitibus subsint, declarat sancta synodus, in iis, quas alias* (idest sess. 21, c. 8, ubi adjecta reperitur particula *etiam*) *de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt, non esse comprehensa.*

Demum hac sanctione caput concluditur. » In » caeteris omnibus praefatorum ordinum pri- » vilegia, et facultates, quae ipsorum personas, » loca, et jura concernunt, firma sint, et illae- » sa ». Quid certius, quid expressius desiderari potest sive ad asserendas regularium immunitates, sive ad explodenda launojana commenta?

Quin et eo ipso loco, quem more suo exponit Launojus, tamen dissimulare sibi non potuit, litteram concilii commentitiae suae interpretationi minus convenire; cujus rei culpam

(1) Fallitur, seu potius fallere de industria more suo velle videtur Launojus, dum generatim enuntiat a tridentina synodo statutum: » Ut episcopi *etiam* tam- » quam apostolicae Sedis delegati monasteria quaeli- » bet exemta visitarent, et corrigerent ». Quasi hac formula non aliud propositum fuerit tridentinis Patribus, quam ut ordinariae episcoporum auctoritati velut cumuli loco pontificiae auctoritatis robur adjicerent; nec adeo episcopos decretis illis impediri, quominus jure ordinario, et suo id totum peragere possint, quod etiam poterant jure *delegationis*, si quidem eo uti placuerit. Fallitur, inquam, aut fallit Launojus. Non enim semper, non ubique Tridentinum, dum de hujusmodi delegatione verba facit, ea formula utitur, quam unam legentium oculis subjicit Launojus. Saepe enim omissa particula *etiam* absolute, ac simpliciter edicit, ac declarat, quid possint episcopi *tamquam apostolicae Sedis delegati*. Si, ex. gr., vocula *etiam* apposita legitur sess. 21, c. 4, deest sess. 5, c. 1 et 2, sess. 13, c. 5, sess. 24, c. 6, etc. An crebram istam formulae commutationem censebimus casu fortuito imprudentibus tridentinis Patribus excidisse? Quis hoc, nisi effraeni launojana audacia instinctus, dicere audeat? Quod si quibuscumque locis adjecta est particula *etiam*, indicio id est, aliquid in episcopis juris ordinarii Patres agnovisse in ea re gerenda, de qua agitur: profecto aliis locis, quibus consulto praetermissa est, manifeste hoc ipso indicat, id totum Patres non ex ordinario episcoporum jure, sed ex apostolica delegatione repetere.

homo minime timidus in synodum ipsam conferre non dubitat, quae *complexione verborum usa sit apud antiquos minus usitata*, minusque adeo apta germanum illum sensum referre, quem illi antistites mente quidem conceptum tenebant, sed quod essent aut antiquitatis, aut verborum proprietatis minus periti, quam Launojus, haud satis dilucide, accurateve extulerunt. Scilicet!

Sed quod minus adhuc ferendum est, ubi se Launojus interpretem facit mentis Tridentini erga monachos; Patresque suis verbis loquentes inducit; non veretur voces illis affingere plenas acerbitatis, et odii, furentis animi indices, sanctissimorum antistitum sapientia, gravitate, religione plane indignas. Longe aliam eis mentem de toto regularium statu Divinus Spiritus infudit, cujus numine suis in condendis decretis regebantur; dum eadem *sess.* 25, c. 1, testatum reliquerunt, *quantum ex monasteriis pie institutis, et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur.* Quin etiam ad refutanda Launoji convicia egregius nobis adjutor accedit *episcopus myriophitanus in laudato Prodromo p.* 344, ubi *statum monasticum* strenue vindicat *a praejudiciis, quibus laborant protestantes, et libertini catholici.*

Dignum propterea Febronio fuisset amplissimi praesulis vestigiis insistere, et in refellenda, quam protulit, Launoji oratione, aliquid operae insumere. Solummodo subjungit, *curatius esse, quod de hoc argumento reliquit* Barthelius: » Tridentinum, etsi attenta temporum con» ditione non omnes exemtiones penitus tollen» das, ac revocandas judicaverit, illas tamen per » varia decreta, potissimum *sess.* 25, *de Re» gular.* evulgata, ad eos reduxisse limites, qui » si exacte observarentur, plerisque exemtio» num incommodis occurrendi spes foret ».

Sed licet moderatius, non tamen omnino accurate Tridentini consilium exponit Barthelius. Id sibi proposuerant Patres tridentini, ut ea de regularibus decreta ederent, quibus monasteriorum pia institutio, rectaque administratio sarta, tectaque servaretur: vi cujus, prout fuit a concilio statuta, plurimum in Ecclesia splendoris, et utilitatis oriretur. Nec ignorabant, jam olim sanctissimos Africae, et Galliarum episcopos censuisse, ad rectam hujusmodi administrationem valde pertinere, ut monasteria congrua quadam immunitate polirentur: tantum abest, ut censuerint melioribus aliquando temporibus reservandam immunitatum abrogationem absolutam. Quocirca eo capite Tridentinum nullo facto temporum discrimine indefinite, et universe praecipit, ut in omnibus, de quibus aliter statutum non fuisset, firma, et illaesa manerent jura, et privilegia regularium.

Incaute admodum propterea haec adducuntur a Febronio. » *Gibert. Corp. Jur. Can. tom* » 1, p. 160, pluribus deducit, quomodo nunc » juribus episcoporum in luce collocatis, quod » a concilio tridentino inchoatum est, perfici, » et omnis exemtio legitimis modis abrogari » valeat ». Itane? Nunc tandem in lucem prodierunt jura episcoporum; idque opera, et studio Giberti, Febronii, aliorum hujus generis novitiorum in Ecclesia hominum? Latuerunt illa jura et Patres tridentinos, et antiquiorum aetatum sanctissimos praesules Africae, et Galliarum? Quam parum commenta haec distare videntur a *praejudiciis*, quibus graviter monet episcopus myriophitanus, *laborare protestantes, libertinosque catholicos!* Quod si quis perlegerit, quae docte de immunitatum disciplina disserit *Benedictus* XIV, *de Syn. Dioeces.* l. 9, c. 15, probe intelliget, hanc Pontificum, conciliorumque sapientia sic temperatam, et constitutam esse, ut per eam regulares episcopis prodesse saepe, nocere nunquam valeant. Nec tamen negaverim, ex regularibus existere aliquando posse pervicacis ingenii homines, qui suae professionis obliti, ejusque reverentiae, quam episcopis praestare omni tempore debent, justas ipsis querelarum, et offensionum caussas praebeant. At simul cautum est, qua ratione istorum contumacia comprimi, frangique valeat. Aliunde est haec depravatae naturae conditio, ut, quae sunt ad salutem comparata, eis perversi homines abutantur ad perniciem; nec minus propterea retinenda sunt salutaria instituta. Accidit quoque interdum, ut et capitula, et parochi, et sodalitates juribus suis, et privilegiis abutantur ad vexandos episcopos: nec desunt in historia ecclesiastica monumenta, quae probent, aliquando etiam contigisse, ut ipsimet episcopi sanctissima sua auctoritate abuterentur. Num propterea et parochorum, et capitulorum, et episcoporum delenda jura erunt, penitusque abolenda? Unum optandum, ut et episcoporum, et regularium mentibus alte infixum maneat sapientissimum Leonis X monitum in sua constitutione *Dum intra*, promulgata in concilio lateranensi V (*apud Natalem Alexandrum*): » Novimus, episcopos ipsos in » partem sollicitudinis nostrae assumtos fuisse, » quorum honor, et sublimitas teste Ambrosio » nullis potest comparationibus adaequari; re» ligiosos etiam in agro dominico pro christia» nae religionis defensione, et ampliatione com» plura fecisse, ac uberes fructus protulisse, et » in dies singulos proferre ita, ut eorumdem epi» scoporum, ac religiosorum bonis operibus or» thodoxam fidem incrementa sumsisse, et per » orbem terrarum undique dilatatam, fidelium » nullus ignoret.... Ita quoque par est, eos in» ter se nostris provisionibus pacis vinculo, ac » fraterna charitate, et unitate conjungi, ut » eorum concordi doctrina, et mutuis operi» bus uberiores in Ecclesia Dei fructus prove» niant ».

Hactenus de prima explanationis parte, qua Febronius, sumta veluti altera persona, Launojum, Barthelium, Gibertum audiri, voluit. Al-

tera pars eo spectat, ut memoratis Tridentini decretis non tam nova episcopis potestas concessa, quam vetus, ot avita auctoritas restituta intelligatur. Ex quo inferri vult, *delegatam illam a tridentina synodo, aliisque Pontificum constitutionibus jurisdictionem aequivalere jurisdictioni ordinariae.*

Verum 1. Tridentinum utramque potestatem sic expresse distinguit, ut nisi aperta vis Launoji more decretis ejusdem inferatur, una confundi cum altera nequeat: constetque, adeo multa, quae ab episcopo fieri possunt auctoritate delegata, minime subesse jurisdictioni ejus ordinariae. Quod nisi ita esset, dicendum foret, tridentinos Patres in utraque potestate distinguenda, et explicanda improprie admodum loquutos esse; quod nemo facile dixerit, nisi si quis, pudore omni abjecto, sese Launoji audaciae volet adjungere.

2. Neque ad contrarium suadendum valet, quod a Febronio dicitur, decretis Tridentini non tam novam concessam jurisdictionem fuisse, quam veterem restitutam. Saepe accidit, ut oppida, et oppidorum incolae ab una dioecesi pontificia auctoritate sejungantur, et alteri dioecesi adjiciantur. Tum vero si peracta hujusmodi sejunctione, priori episcopo delegaretur potestas aliqua in oppida sejuncta, et alteri ordinario adjuncta, num propterea dicendum foret, delegatam illam potestatem aequivalere ordinariae, et in ordinariam recidere hac de caussa, quod pristina potestas fuisset delegato episcopo restituta? Porro sicut pontificia auctoritate oppida unius dioecesis possunt ab ea distrahi, prout saepe fit, et alteri assignari; sic eadem auctoritate monasteria sita in una dioecesi, non minus quam oppida, eximi possunt ab illius episcopi jurisdictione, et alteri ordinario subjici. Quod posteaquam rite perfectum est, ad normam universalis disciplinae, si episcopo illi accesserit delegata quaedam potestas in exemta monasteria, non magis haec cum ordinaria confundi poterit, aut in speciem ordinariae recidere, quam delegata potestas in oppida sejuncta.

3. Nec universe locum habet, quod ille instar fundamenti assumit, Tridentini decretis non tam novam concedi, quam veterem potestatem restitui. Nam, quum hic agatur de jurisdictione in certa loca, personasve; ut hoc Febronii assertum consisteret, oporteret, monasteria, quae consequentibus temporibus per varias dioeceses condita sunt, fuisse ab ipsa fundatione episcopis subjecta Quippe non repugnat, aliqua loca, tametsi intra fines unius dioecesis conclusa, minime tamen illius episcopi auctoritati subesse.

Notum est, quod jam depromsimus ex Thomassino p. 1, l. 3, c. 31, multas olim fuisse per varias Africae dioeceses sparsa monasteria, quae non dioecesum ordinariis, sed uni carthaginensi primati suberant. Qua de re notanda, quae habet *num.* 9: » Caeteroquin privilegia, quae » hic monasteriis per Africam omnibus com» municantur, et jam privilegia non sunt, sed » libertates communi in Africa jure confirma» tae, brevissimo gyro concludunt spiritalem » omnem episcopi in monachos jurisdictionem. » Sola enim eis servari videtur ordinatio cleri» corum, aut altarium consecratio. Nec duo illa » quidem capita satis firma erant, si monaste» ria se episcopo carthaginensi subjici mal» lent; aut si fundatorum voluntate ei, vel » alii cuique episcopo subjecta fuissent ».

Itaque in monachorum, vel fundatorum voluntate, et nutu positum erat, ut, quae monasteria fundabant, ea episcopo carthaginensi, vel alii etiam, quem mallent, potius, quam episcopo loci subjicerent. Quo sensu Thomassinus recte animadvertit num. 10, episcoporum auctoritatem in monasteria non penitus excisam fuisse, sed ab uno in alium, a dioecesano in carthaginensem translatam, sive adhuc, quod ut plurimum, et prout etiam nunc obtinet, episcopo loci pro consecrationibus, et ordinationibus subderentur, nec ab ejus correctione penitus essent immunes.

Hinc si carthaginensis antistes jurisdictionem suam in aliquod ejusmodi monasterium, quod, licet in aliena dioecesi situm, suae tamen ordinariae jurisdictioni a fundatione subditum esset; si, inquam, jurisdictionem suam in tale monasterium episcopo loci delegavisset, rectissime diceretur novam revera huic episcopo jurisdictionem datam esse; non veterem, quam nunquam in id habuisset, restitutam. Pari ergo, immo potiori jure, rectissime idem quisque dixerit de regularium coetibus, sive quia non minus, quam ut fit de oppidis, et pagis, a localis episcopi jurisdictione subtrahi potuere; sive quia, ut exemti vocati, receptique sunt, adeoque expressa, vel tacita lege, ut qua exemtione legitima auctoritate donati erant, ea ipsis uti, fruique liceret.

Ad extremum honori Sedis apostolicae consulere velle videtur Febronius, dum profitetur, eos, *qui qualitatem delegati Sedis apostolicae, quam concilium tridentinum episcopis toties attribuit, his injuriosam esse asserunt, merito refutari a Petro Gibert, Corp. Jur. Can. Proleg. etc.* Merito sane. Nam, si cui aliquando vox ista excidit, non decere episcopum munus obire apostolici delegati, nae ille specimen praebuit egregium superbae ignorantiae! Cujus enim arrogantiae est, meliorem se facere judicem dignitatis episcoporum, quam fuerint Patres tridentini? quam fuerit oecumenica synodus in Spiritu Sancto legitime congregata? Aliunde quis hospes adeo in historia ecclesiastica, quem lateat, quanta esset apud veteres muneris vicarii apostolici dignitas, et amplitudo; quove honoris, et auctoritatis gradu prae caeteris eminerent, quos romanus Pontifex praestantis hujus, atque honorificentissimi muneris appellatione

augeret? Cujus autem rationis est, ut vicarii nomen deceat, delegati non deceat?

POSITIO XXXVI.

» Episcoporum potestas jurisdictionis potuit » quoad usum per canones arctari ».

ANIMAD. Non aliud poscebat Positionis hujusce declaratio, quam ut canones proferrentur, qui permulti suppetunt, quibus vel a primis saeculis episcoporum potestas jurisdictionis multis modis restricta reperitur. Sed placuit Febronio argumenta conquirere minime quidem ad eam comprobandam necessaria, sed quae ad subjiciendam pari conditioni pontificiam auctoritatem opportuna viderentur.

1. Itaque sic argumentatur: Si ex Gersonio, cujus ille testimonium profert, papalis auctoritas sub certis regulis per Ecclesiam limitari potest, nullus dubitabit, quin episcopalis nativa auctoritas eodem quoque pacto limitari valeat (1).

Recte quidem conclusum, non tamen vi antecedentis in argumento assumti. Sane patietur Febronius, ut pluris nobis facere liceat auctoritatem Tridentini, quam Gersonis. Porro Tridentinum, sess. 7, decreta de reformatione condenda solemni hac testificatione auspicatur, ut semper, et in omnibus salva esset apostolicae Sedis auctoritas. Rursum sess. ultima c. 21, conditis decretis non aliter sanctionem adjicit, quam eadem repetita testatione, *ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicae et sit, et intelligatur* (2). Quam declarationem, qui a germana, et obvia, quam prae se fert, intelligentia in alienum sensum detorquent; in id absurdum delabuntur, ut dicendum sit, concilium hac sua declaratione nihil revera declaravisse.

Quod si oecumenicae synodi, in Spiritu Sancto legitime congregatae, eodem Divino Spiritu reguntur; non alia esse potuit antecedentium conciliorum de praeservata romani Pontificis auctoritate in suis condendis decretis mens, et sententia, quam quae fuit a tridentinis Patribus expresse declarata. Quod etiam vel facta ipsa comprobant, quibus constat, nullos conciliorum canones vim unquam, et efficaciam in universa Ecclesia obtinuisse, nisi qui pontificiae auctoritatis accessione firmati essent; qua oecumenicitas potissimum continetur, et perficitur.

2. Alterum argumentum sumit ex graeca florentini textus lectione, de qua superius dictum est. Infirmum plane argumentum. Quippe latina lectio non minus fuit, quam graeca, concilio cognita. Praeterquamquod qui graece norunt, facile perspiciunt, latinam lectionem graecae congrue respondere.

3. Provocat ad gallicanam declarationem an. 1682, qua in apostolica Sede, ac Petri successore *sic* rerum spiritualium plena potestas agnoscitar, ut *simul* valeant, atque immota consistant sanctae oecumenicae » synodi constantien- » sis a Sede apostolica approbata, ipsorumque » romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae » usu confirmata, atque ab ecclesia gallicana » perpetua religione custodita decreta de au- » ctoritate conciliorum generalium » (3).

At hic nonnulla reticet Febronius, quae in eo declarationis loco subduntur, ex quorum reticentia nonnihil suboriri potest ambiguitatis. Si tantum spectentur verba, quae retulit Febronius, facile quis in animum inducere posset, gallicanam, quam vocant, de superiori prae pontificia conciliorum auctoritate sententiam, a praesulibus declarationis auctoribus propositam fuisse velut oecumenicae synodi decretis plane definitam: cui proinde nemo refragari possit sine fidei discrimine. Verum secus res habet se. Nam verbis proxime sequentibus hoc solum testantur, eos scilicet non probari ab ecclesia gallicana, qui constantiensium decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant. Caeterum longe absunt ab ulla nota iis inurenda, qui sic sentiunt; immo vel ipsemet *auctor Defensionis* id sibi concedi postulat, ejusmodi controversiam ad fidem minime pertinere. Quod profecto dicere non licuisset, si constaret, aut constare illi censuissent, controversiam ab oecumenica synodo fuisse plane definitam (4).

(1) Nullis canonum decretis limitari posse auctoritatem romani Pontificis, quia ille ipse *canonum paternorum* (Conc. Rom. sub Symmacho) *decreta librare, atque, ut necessitas temporum exposcit, relaxare, ac temperare valeat*, pluribus a Thomassino, et Coustantio collectis ex remotiore memoria monumentis demonstravimus, in *Confutatione* (sup. tom. praeced.).

(2) Huic sanctioni praeluxerat s. Innocentius I, epist. 2 ad Victricium, cap. 3, apud Coustant, ubi *secundum synodum nicaenam* coram *congregatis provinciae episcopis* terminandas edicit clericorum causas, *sine praejudicio tamen romanae Ecclesiae, cui in omnibus debet reverentia custodiri.*

(3) Quam nullum hinc sibi patrocinium arcessat Febronius, cum ex ipsis comitiorum actis, de quibus heic in Adnot. ad Pos. XIV, et latius in *Confut.* tom. praeced. tum remota omni dubitatione is potuit, ac debuit intelligere ex Constit. *Inter Multiplices* Alexandri VIII.

(4) Idem confirmat Natalis Alexander Dissert. IV, de auctoritate, et sensu decretorum sess. IV et V synodi constantiensis his verbis: « Qua quidem declaratione hanc, et alias finire quaestiones ecclesia gallicana non intendit; sed sententiam dumtaxat suam declarare, ac solis ejusdem ecclesiae membris, non aliarum ecclesiarum praelatis, aut doctoribus, seu professoribus legem statuere..... Atque hanc ipsam opinionem ab antiquo in Galliis receptam, ut dogma fidei suis non proponit ecclesia gallicana, sed ut probabiliorem » etc. Caeterum quod de istius opinionis vetustate in Galliis memorat Natalis Alexander, non satis congruit cum antiquioris aevi monumentis, quibus longe aliam olim mentem in Galliis deprehendi animadvertit episcopus myriophitanus in *Historia Trevirensi*, *ut supra notavimus.*

Hac proinde confessione hoc saltem certum eruitur, minime certum esse, synodum constantiensem eum sensum intendisse, quem illi defendunt. Quo posito, parum admodum praesidii fatendum est illis decretis inesse ad firmandam opinionem, quae concilii auctoritatem prae pontificia extollit: qua de re minime nobis opus plura hoc loco dicere, quibus pro instituti nostri ratione propositum est opinionum iu primis commenta persequi, quae propria sunt Febronii.

Adhuc et hoc notandum, hac ipsa declaratione rerum spiritualium *plenam* potestatem in romano Pontifice adstrui. Nec enim docti illi praesules ab ea voce abstinendum censuerunt, quam universalis Ecclesiae traditio consecravit. Quae porro sit vocis ejus germana vis, et significatio, ex communi, receptaque intelligentia satis perspicitur; simulque ex Patrum dictis, e quibus olim Febronius non aliter expedire sese posse sensit, quam exaggerationis immerita prorsus exceptione.

4. Sic disserit: » Primitus indivisus erat episcopatus; poterat quilibet episcopus ubivis » terrarum suam libere exercere potestatem: » divisis deinde dioecesibus omnes tenebantur » intra suos se continere fines. Initio nulli erant » patriarchae, exarchi, primates, et metropolitani; nullus ex quatuor his gradibus a divina proficiscitur institutione. Sed nec Apostoli his alios subjecere episcopos. Quo plus » autem honoris, dignitatis, potestatisque his » tributum fuit (quod moribus primum factum » esse dicimus *ex synodi nicaenae, can.* 6, ubi: » Antiqui mores serventur): eo magis reli» quorum episcoporum auctoritas arctata no» scitur ».

De his jam superius dictum est, et aliis scriptionibus uberius (1). Pauca hoc loco repetere satis fuerit: 1. Episcopatum sic olim indivisum fuisse, ut cuilibet episcopo licuerit ubivis terrarum suam libere exercere potestatem (si solos Apostolos excipias pro extraordinaria potestate, qua praediti fuere ut Apostoli, nec adeo (2) in successores proroganda), nullo monumento evincitur: quin potius certissima antiquitatis do-

(1) V. tomo prec. *De Eccl. Hier.* Opusc. IV, et item *adversus Stevogtium;* item *la Confutazione.*

(2) Jacobum Apostolum, fratrem Domini ecclesiae hierosolymitanae velut proprium, ac peculiarem episcopum praefuisse constat Clementis Alexand., Eusebii, Epiphanii, Chrysostomi testimonio, totiusque pene antiquitatis consensu. Certum porro, apostolatus auctoritatem in Jacobo non secus, atque in aliis Apostolis summam in tota Ecclesia, nullius alterius Apostoli, praeterquam Petri, auctoritati subjectam fuisse. Itaque si tota illa potestatis amplitudo, quae fuit in Apostolis, in episcopos tamquam successores propagata esset, profecto episcopi, qui Jacobo in hierosolymitano episcopatu successere, utpote pari atque Jacobus potestate praediti, non alteri potuissent episcopo subjiri, praeterquam Petri successori romano Pontifici. Atqui vel ipsi primi Jacobi successores in hierosolymitana sede longe abfuerunt ab ea potestatis amplitudine. Ait quidem Thomassinus (part. 1, l. 1, c. 12, n. 5) » simillimum veri esse, judaizantis il» lius ecclesiae episcopos primos quindecim circum» positis ecclesiis omnibus imperitasse ». At primum quidquid istud juris fuerit, etsi monumento aliquo, non mera conjectura niteretur, non aliud fuit, quam species quaedam metropolitici juris in subjectas illas provincias; jus proinde longe inferius illa summa potestate, qua Jacobus in universa Ecclesia potitus fuerat: deinde tametsi post excisam Hierosolymam ecclesiastica haec sedes in Aeliam translata est, non ideo abrupta fuisse, aut interiisse hierosolymitana putanda est episcopalis successio. Quippe animadvertit ipsemet Thomassinus n. 4: » tribus, quatuorve primis saecu» lis apud fideles, scriptoresque ecclesiasticos summo » in honore fuisse dignitatem, sanctitatemque hie» rosolymitanae ecclesiae ». Quod manifesto argumento est, episcopos, qui Aeliae sederent, semper habitos fuisse hierosolymitanos episcopos, utpote quibus honos ille haberetur, quem propter honorem Christi hierosolymitanae sedi deberi omnes agnoscerent, ac profiterentur. Quid plura? Quum in promptu sit nicaenae I synodi oecumenicae auctoritas longe gravissima, can. 7, his verbis comprehensa: » Quia consue» tudo obtinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae episco» pus honoretur, habeat consequentiam honoris salva » metropoli propria dignitate ». Quo decreto manifeste ostendunt Patres nicaeni, servatam se agnovisse Jacobi successionem in illis episcopis, qui, quum diruta Hierosolyma Aeliam commigrare coacti fuissent, instaurata postmodum per Constantinum Hierosolyma in eam velut propriam sedem remigrassent. Quod et expressius cernitur in arabica horum canonum versione, seu paraphrasi, quam auctore Christiano Lupo constat saltem Zenonis temporibus anteriorem esse.

At, quamquam in hac hierosolymitana sede vigere jam ab initio coepisset, ac propagari Jacobi successio, nihilominus, ut plane demonstrat idem Christianus Lupus (Schol. in can. 7 Nicaen.) » Apostoli eccle» siasticam hierarchiam romanae reipublicae accomo» dantes (quod quemadmodum intelligendum sit, alio » loco disseruimus) Palestinae provinciae metropolim » posuere Caesaream ». Tamen, ut sanctae civitati, ubi Dominus glorificatus, ejusque primo episcopo Jacobo Apostolo debitus honor servaretur, ei sedi data est honoris *consequentia*, id est primus locus post metropolitam, » ut esset provinciae illius protothronus, » plene tamen subjectus sedi caesareensi. Hocce (per» git vir idem doctissimus) utriusque Ecclesiae pri» vilegium confirmat noster canon, ubi liquet ex s. Hie» ronymo in epist. adversus errores Joannis hieroso» lymitani episcopi dicente, secundum nicaenos ca» nones totius Orientis metropolim esse Antiochiam, » Palestinae autem Caesaream, cujus Hierosolyma non » sit, nisi parochia suffraganea. Quod idem tradit s. » Epiphanius in epist. adversus objecta ejusdem Joan» nis » etc.

Tametsi ergo antiqua traditio, et ex antiqua traditione Patres nicaeni constitutam sive Hierosolymae, sive Aeliae, ac velut in una, eademque sede continuatam, ac propagatam Jacobi Apostoli successionem agnoscerent, eidemque praecipuum quemdam honorem decernerent, quem Sedis, et loci sanctitas poscere videbatur; non ideo minus ab apostolicis ducta temporibus metropolitica Caesareae jura in eam subjectam sedem sarta, tectaque esse voluerunt, novoque solemni decreto confirmanda censuerunt. Redit ergo, et quidem firmius propositum superius argumentum: quae fuit in Jacobo apostolici muneris propria potestas, nullius alterius Apostoli, praeterquam supremi capitis Petri, potestati subjecta esse potuit. Proinde si tota hujusce potestatis amplitudo in Simeonem, aliosque deinceps

rumenta refragantur. Quippe ex actis ipsis Apostolorum, ex eorum epistolis, et Johannis Apocalypsi eruitur, jam ab illa aetate pluribus ecclesiis suos peculiares episcopos addictos fuisse.

2. Creabantur quidem interdum episcopi nulli peculiari sedi addicti, qui ad infideles nationes mittebantur Christum praedicaturi, quique ideo episcopi gentium dicebantur: sed ii nullam potestatem exercere valebant illis in locis, in quibus Ecclesiae jam fundatae erant, et episcopi constituti. Non ergo *ubivis terrarum ;* immo non extra regionum fines, ad quas missionem acceperant: ut etiam nunc usu obtinet.

3. Solus Petrus ordinariam, supremam, immediatam in omni ecclesia a principio potestatem exercuit; in coenaculo primum, dein extra coenaculum per totam Judaeam, Galilaeam, Samariam, atque per Cornelii cooptationem in omni, quantum unquam patere posset, gentilitate. Quam exercuit, jure divino exercuit, ex praescripto Christi: *Pasce oves, pasce agnos :* quod si jure divino, nulla subsequuta dioecesum divisio potuit eam potestatem minuere, quae divinitus erat constituta.

4. Nullos, ait Febronius, ab initio fuisse patriarchas, primates, metropolitanos; nullum ex his gradibus a divina institutione proficisci; nec vero Apostolos his alios subjecisse episcopos. Quod illi gradus a divina institutione profecti non sint, minime quidem repugnandum: quod ab initio constituti non fuerint, non sine aliqua moderatione praetereundum. Recentius quidem illa sunt invecta nomina; sed longe antiquior res, subjecta nomini. Apostoli dum ecclesias fundabant, » non ita, *inquit Thomassi-* » *nus p.* 1, *l.* 1, c. 6, *n.* 20, transcribebant in » episcopos eam auctoritatem, quam sibi crea» tione hac spiritali pepererant, ut ea se ipsi » spoliarent ». Quam in rem intuens *divus Thomas*, in tota ecclesiasticae disciplinae constitutione longe exercitatior, quam tot novi doctores, qui banc sibi laudem assumunt, sapientissime interpretatur verba haec Apostoli: *in omni loco ipsorum, et nostro : Comm. in* 1 *ad Cor. c.* 1, *lect.* 1. « *In omni ipsorum*, idest eorum ju» risdictioni subjecto. *Et nostro*, quia per hoc, » quod subjiciebantur episcopo civitatis, non » eximebantur a potestate Apostoli. Quin immo » magis erant ipsi Apostolo subjecti, quam his, » quibus ipse eos subjecerat ». Ad hanc normam Titus relictus est Cretae ab Apostolo, ut per civitates presbyteros constitueret, idest episcopos, ut animadvertit *Thomassinus* c. 3, *n.* 3, qui tamen correptioni, curae, auctoritati Titi subjiciebantur. Ad eam normam a primis temporibus memoratur episcopus, qui *primas* tenet in quavis regione, quem subjecti omnes episcopi agnoscere, nec arduum quidquam citra ejus auctoritatem aggredi deberent. Quare *Thomassinus* c. 7, posteaquam romani Pontificis primatum in tota Ecclesia ad jus divinum; patriarcharum vero, et metropolitanorum ad institutum ecclesiasticum retulit; animadvertit, ejusmodi institutionem et Ecclesiae ipsi pene coaevam esse, et juri divino aliquo modo finitimam: » Quippe quum ab Apostolis profecta sit, » velut aemulatrix quaedam apostolici collegii, » et ejus auctoritatis eximiae, qua Christus Pe» trum supra apostolos ipsos evexerat ».

Tantum itaque abest, potuisse ab initio episcopos libero suam ubivis terrarum potestatem exercere, ut potius nec in propriis suis dioecesibus haec ipsis libertas concessa fuerit; nec ullum fuerit tempus, quo episcopi superiori cuidam auctoritati subesse non debuerint.

Istud quoque notatu dignum est, non alias ab initio Sedes ampliori ea auctoritate, quae patriarchali postmodum nomine insignita est, antecelluisse praeter alexandrinam, et antiochenam, quae ab ipso Petro fundatae erant; quumque ab aliis Apostolis aliae permultae fundatae essent, nulla tamen pari dignitatis gradu ab origine constitisse. Qua de re audiendus *Thomassinus* p. 1, l. 1, c. 7, n. 7: » Sed, *inquit*, » si seponatur contemplatio nominum, et ipsa » spectetur auctoritas, certissimum est, singu» larem prorsus ab ipsis usque Ecclesiae pri» mordiis, et praecellentissimam fuisse roma» nae, alexandrinae, et antiochenae ecclesiae » potestatem, ut quae in eas profecta sit a Pe» tri principatu, qui eas instituerat ». Et n. 28: » In praecelsum istum apicem dignitatis » sublimatae sunt tres illae civitates maximae, » non quod regiae fuissent, sive romani in orbe » toto, sive graeci imperii in Aegypto, et Sy» ria capita; sed quod ad eas accesserit, easque » sibi quodammodo censuerit is, quem sempi» terni principatus ecclesiastici fundamentum » Christus posuerat ».

Jacobi successores transisset, nec Simeon ipsimet tum etiam superstiti Apostolo Johanni, nec alii ordine subsequentes hierosolymitani antistites ulli unquam alterius cujusve sedis antistiti subjecti esse potuissent, praeterquam, ut dictum est, romano Pontifici. Atqui revera caesareensi metropolitae subjecti fuere. Non ergo in Jacobi successores permeavit tota illa apostolicae potestatis amplitudo, quae fuit in Jacobo.

Stat igitur, quod ex antiqua traditione communi consensu theologi, canonicique juris interpretes docent, ac tuentur, quos inter Petrum de Marca, Bossuetium, Thomassinum, Natalem Alexandrum, scholam ipsam parisiensem in suis adversus Spalatensem latis decretis nominatim in *Confutatione* testes, et auctores produximus, stat, inquam, duplicem in Apostolis distinguendam potestatem: unam extraordinariam, quae ipsis extinctis tota in Petri Sedem confluxit: alteram ordinariam, episcopatus propriam, in episcopos tamquam successores prorogandam: ut proinde non inventum recentius de industria confictum, sed ex ecclesiasticae hierarchiae primordiis ductum constet esse commune istud effatum, quod brevi hac, et accurata verborum comprehensione solet efferri: *Apostolis episcopos in episcopatu, non in apostolatu succedere.* Nil igitur ex apostolica ista successione praesidii sibi comparare possunt febroniani ad universalem eam potestatem vindicandam, quam a principio in singulis episcopis viguisse perperam contendunt.

Huc referri potest, ac saltem velut per transennam indicari, quod in Chronico Alexandrino ab Eutychio patriarcha proditum est: ad Demetrium usque, qui undecimo loco alexandrinam sedem tenuit, nullum alium tota Aegypto fuisse episcopum; a Demetrio tres fuisse constitutos; ab Heracia ejus successore viginti. Cui Chronico fidem minus habendam critici non pauci existimarunt hac de caussa, quod fidem omnem superet, alexandrinam dioecesim, tot constantem provinciis, ab uno episcopo administrari potuisse. At huic loco nonnihil lucis afferre posse videtur vetustissima, quae ad haec ultima tempora viguit apud Maronitas, consuetudo; ut patriarcha per totam eam latissimam regionem episcopos distribueret, suo nutu, quandocumque libuisset, amovendos, qui pro eo tempore singuli portionem gregis curarent, quam sibi patriarcha curandam tribuisset. Potuit consimilis mos in Aegypto viguisse ab initio, non ut unus tantum in tota Aegypto existeret, qui esset episcopali ordine insignitus; sed quod una tantum esset sedes proprie episcopalis, alexandrina nimirum, cujus immediatae jurisdictioni tota regio subesset, ab eaque in varias partes episcopi mitterentur, qui episcopalia munera obirent: postea tres episcopales sedes proprie dictas a Demetrio, ac viginti deinceps ab ejus successore Heracia constitutas fuisse. Sed haec praeter institutum.

Ad aliam quaestionem vocat nos Febronius pag. 228. » An sicut Ecclesia, et concilia univer» salia, ita et summus Pontifex potestatem ju» risdictionis episcoporum in suo usu, et exer» citio restringere possit »? Mox responsum affert D. Rautenstrauch: » Non potest restringi, » aut adimi episcoporum jurisdictio a Pontifi» ce; et, quod eodem recidit, neque exemtiones » a jurisdictione episcoporum concedi, nisi ex » caussis canonicis, seu quum id necessitas, aut » utilitas Ecclesiae postulat ». Cui responso suffragatur Febronius hisce verbis: » Si Pontificis » decretum episcopi potestatem ultra morem » hactenus receptum *novo canone* arctans, pol» leat dotibus recensitis, et potissimum can. 2, » dist. 4, vim habebit decretum, et obtinebit » pontificia restrictio . . . . Dixit cl. Rauten» strauch, restrictionem a Papa fieri posse, *si* » *id necessitas, aut utilitas Ecclesiae postulat:* » et haec est conditio sine qua non . . . . Sed » quis eo casu cognoscet, an revera adsit ne» cessitas, aut utilitas Ecclesiae? Respondeo: » episcopus, qui a Spiritu Sancto positus est » ad regendam Ecclesiam suam ».

Hoc itaque loco Febronius agnoscit ab Ecclesia, et a generali concilio jurisdictionem episcoporum in suo usu absolute restringi posse; a Pontifice vero cum addito, nempe si necessitas, aut utilitas Ecclesiae id postulat, eamque conditionem esse *sine qua non:* demum ejus necessitatis, utilitatisve judicem, et cognitorem episcopum esse. Illustre argumentum potestatis, qua pollet summus Pontifex coercendae jurisdictionis episcoporum, sumi ex eo potest, quod osores ipsi pontificiae auctoritatis, qui tamen catholici audiri volunt, minime audent eam diserte, et expresse negare; sed eam in speciem agnoscentes, ne videantur sensui catholico nimium refragari, undique subsidia sibi comparare student, quibus ei omni tempore possit obsisti, ac impediri, ne vim exerat suam.

Caeterum, quae in hanc rem cum D. Rautenstrauch Febronius disserit, pierumque ille repetit ex hoc principio, quod plena potestas, quam verbis fatetur collatam Pontifici, data sit in aedificationem, non in destructionem. Egregie. At etiam potestas, quae data est generali concilio, data est quoque in aedificationem, et non in destructionem. Proinde conditio illa *sine qua non*, quam urget Febronius, aeque de decreto concilii generalis valere debebit, ac de decreto Pontificis; nullaque adeo ex hoc capite distinctio erat facienda.

Sed et ambiguitas ex eo nascitur, quod non satis apte positus sit status quaestionis, quam versandam suscepit Febronius. Aliud est inquirere, quae cuique potestas competat; aliud, quae sit recta ratio potestatis utendae: aliud, uno verbo, *quid valeat;* aliud, quid *liceat:* seu aliud, quid ratum sit; aliud, quid ex omni parte rectum. Sexcenta exempla proferri possunt. Sane potest episcopus graviora quaedam crimina judicio suo reservare; fieri quoque interdum potest, ut aliquis episcopus ea potestate minus prudenter utatur, eumque sibi casum reservet, cujus reservatio non sit expediens, et profutura: tamen, si talem casum non antea reservatum episcopus postmodum sibi reservandum duxerit, ea profecto reservatione restringetur potestas etiam illa ordinaria, qua ante pollebant in foro interno ipsimet parochi quoad ejus casus absolutionem. Ratum id, inquam, erit, non ex omni parte rectum.

In eo porro, quod Febronius episcopum judicem, et cognitorem constituit ejus conditionis, sine qua valere non debeat pontificium decretum; ut caetera omittam, quae superius dicta sunt, plurimum ille discedit a mente, et sententia Tridentini. Quod ut pateat, satis fuerit proferre quod ab ea synodo statutum est initio cap. 13, sess. 24, de Refor. » Quoniam, *inquit,* » pleraeque cathedrales ecclesiae tam tenuis re» ditus sunt, et angustae, ut episcopali dignitati » nullo modo respondeant, neque ecclesiarum » necessitati sufficiant; examinet concilium pro» vinciale vocatis iis, quorum interest, et di» ligenter expendat, quas propter angustias, » tenuitatemque viciniis unire, vel novis pro» ventibus augere expediat; confectaque de prae» missis instrumenta ad summum Pontificem ro» manum mittat, quibus instructus summus Pon» tifex ex prudentia sua, prout expedire judi» caverit aut tenues invicem uniat, aut aliqua » accessione ex fructibus augeat ».

Tantum ergo abest, quod Tridentinum summi Pontificis prudentiam singularis cujusvis episcopi prudentiae subjecerit, quod sapientissimorum Patrum pro sua religione aures ferre non potuissent; quin potius, quod a concilio provinciali de rebus ad provinciam pertinentibus diligentissime fuerit examinatum, jubet examini subjici summi Pontificis, qui ex sua prudentia decernat, quid facto sit opus. Sed hoc fatale est, quod nemo pontificiam auctoritatem impetere valeat, quin eodem incursu in conciliaria decreta impingat.

Quid? Quod ex eodem Febronii principio sponte sua fluit, ut, quam ille episcopis licentiam tribuit adversus romana decreta, eadem de caussa valere illa debeat adversus decreta generalis cujusvis concilii, quotiescumque alicui episcopo videatur conciliare aliquod decretum minus Ecclesiae suae convenire? Quod si forte dixerit, fieri non posse, ut minus conveniat, quod a generali concilio sancitum fuerit; stet igitur, oportet, quidquid tridentina synodo firmatum est de appellationibus, de exemtionibus, aliisque apostolicae Sedis juribus, quae tot librorum scriptores hac aetate aut aperte petunt, aut clanculum oppugnare, aut per ambages eludere moliuntur.

Sensit Febronius, quas recensuit legis proprietates depromtas ex dist. 4, c. 2, non minus in civiles, quam in pontificias leges convenire. Caute proinde ad invidiam ea de caussa declinandam, pag. 118, monuit, se non loqui de principibus saecularibus. Cautius forte, si tacuisset; nam cavendo admonuit, rem ipsam eloqui, quod ipse loqui noluit: nimirum si valeut ea, quae ex hujusmodi proprietatibus eruere, licet perperam, ille nititur ad eludendas leges pontificias; eadem ad civiles leges eludendas afferri posse, jam superius innuimus. Itane praeclari isti principatus defensores principum auctoritati, regnorumque tranquillitati consulere didicerunt?

Demum concludit Febronius p. 230: » Porro » sicut nativa potestas episcopalis per ea, quae » diximus, in exercitio minui valet, ita et mu» talis circumstantiis potest ampliari ». Duo quaeri possunt ex Febronio: 1. An ea episcopalis potestas, quae per canones restricta est, aliter, quam per canonicam auctoritatem ampliari valeat? 2. An extet canonis exemplum, qui refragante Pontifice vim, et efficaciam in universa Ecclesia unquam obtinuerit?

POSITIO XXXVII.

» De iis, quae ad fidem, sacramenta, et ec» clesiasticam disciplinam pertinent, sola pote» stas ecclesiastica decernit ».

ANIMAD. In hujusce Positionis confirmationem multa initio disserit Febronius, quae libenter describimus, sive quia pleraque sunt egregie dicta; sive ut, quam parum ille sibi deinceps constet, perspiciatur. » Quemadmodum, » *inquit*, Christus solis Apostolis, eorumque suc» cessoribus spirituale regimen dedit; ita tem» porale principibus reliquit, et confirmavit. » Haec utriusque regiminis differentia se po» tissimum manifestavit primis Ecclesiae sae» culis, quibus spirituale regimen per trecen» tos propemodum annos administratum fuit in» ter tot, tantasque difficultates, et obstacula, fe» licissima faciens incrementa. Eo sane tempo» re penes imperatores, principes, et magistra» tus ecclesiastica potestas esse non potuit: si» quidem, qui tunc res publica gessere, pagani » essent, et juratissimi christianorum hostes. » Tunc regimen Ecclesiae *externum* totum erat » pastorum, non regum. Plura non localia so» lum concilia, sed et nationalia in causa ba» ptismi, Paschatis, Montani, etc. coegere prae» sules, non reges: excommunicati sunt hae» retici a praesulibus, non a principibus sae» culi: dispensationes homicidis, et moechis con» cessere Pontifices, non reges; uno verbo in, » et externum regimen ecclesiasticum totum e» rat sacerdotum, non regum seu imperato» rum. Neque postquam animum ad christia» nam religionem adjecerunt principes, Chri» stique legem complexi sunt, pristinum opi» scoporum jus abrogatum est. Sub Constantino, » et christianis Imperatoribus episcopi, aeque ac » illi, qui sub paganis sederunt, successere in » vicem, et jura Apostolorum; sacra dirigebant » ea dignitate, et potestate, quae a Christo, et » Apostolis in ipsos ut et Christi vicarios, et » Apostolorum successores propagata erat. Sic, » qui primi christiani Imperatoris temporibus » vixit, magnus Osius episcopus cordubensis, » symboli nicaeni dictator, filium Constantini » Constantium ab arianis seductum, et eorum » persuasione negotiis ecclesiasticis se immi» scentem in Epist. Athanasii ad Monachos *O» per., tom.* 1, *p.* 371, *Edit. Bened.*, graviter » monet: » *Ne te rebus misceas ecclesiasticis: neo » nobis his de rebus praecepta mandes, sed a no» bis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium » tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac » quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo » ordinanti repugnat; ita metue, ne si ad te ec» clesiastica pertrahas, magni criminis reus fias: » date, scriptum est, Caesari, quae sunt Caesa» ris; et quae sunt Dei, Deo.* Nec minus corda» te scripsit ad Imperatorem Valentinianum, » qui ab arianis depravatus, de rebus fidei ju» dicare attentabat, *sanctus Ambrosius Op. tom.* » 3, *pag.* 909, *Edit. Bened.* Adde ejusdem *Epi» stolam ad Sororem*, *pag.* 857. Haec ulterius » prosequi non vacat, quia omnibus catholicis » tam sunt evidentia, quam nota. Qua autem » ratione eisdem ab acatholicis fides historica » (ne quid amplius nunc dicam) negari valeat, » haud dispicio ».

Quisquis haec legerit, in animum facile inducet suum, Febronium tandem cum Osio, et

Ambrosio seniire; cum Athanasio, aliisque ejusdem aevi gravissimis viris, quos paulio superius memoratos a Myriophitano audivimus, qui trevirensem ecclesiam spectatissimam sanctitate, doctrina, miraculis illustrarunt. Verum habet Febronius clausulas sibi reservatas, quae priscae illius aetatis simplicitatem fugerunt. Sic itaque pergit concludendo: » Jura mere spiri» tualia sibi princeps arrogare non potest; ne» quit etiam Ecclesiam in ejusmodi juribus, » quae ad ecclesiasticae potestatis essentiam » pertinent, turbare vel minimum: proinde aut » juri leges ecclesiasticas ferendi, aut iiii ju» dicio, quod Ecclesiae in foro conscientiae » competit, aut spiritualium poenarum exequu» tioni, civiiiter indifferenti, ullum ponere im» pedimentum ».

Quid sub illis non satis definitis verbis *essentiae potestatis, juris mere spiritualis*, exequutionis *civiliter indifferentis* comprehendere Febronius voluerit, non adhuc distincte explicat: viam tamen sibi munit ad retrahenda, quae concessisso; ad concedenda, quae subtraxisse videri poterat. Interea brevi res tota confici potest. Quidquid Apostoli, et Apostolorum successores in sacro ministerio peregerunt, sive personas spectes, sive potestatem, sive modum exercendi regiminis (ut habetur Posit. 1), Id totum praestiterunt jure divinitus collato, a seculari potestate prorsus immuni. Hoc effatum proponit Febronius velut catholicis omnibus notum, ac evidens. Aliunde ipso etiam fatente Apostoli, eorumque successores eo jure usi sunt in ordinadis, ac deputandis Sacrorum ministris, in synodis convocandis, et habendis, in excommunicandis haereticis, aliisve flagitiosis, et contumacibus reis; in dispensationibus concedendis, in ferendis legibus, velut de connubiis, de accusationibus adversus presbyteros recipiendis, deque aliis ad externam disciplinam pertinentibus. Ergo haec omnia pertinent ad eam potestatem, quam Christus Ecclesiae reliquit. Neque aliquid horum excludi poterit, quasi aut non *mere* spirituale, aut non ad *essentiam* pertinens potestatis ecclesiasticae, aut non *civiliter* indifferens; nisi velit Febronius per istas verborum subtiiitates perverti jus posse, quod iile divinitus constitutum fateatur. Hoc loco Febronius non aliud immune judicium ecclesiasticae potestati concedere videtur, quam quod in foro conscientiae competit: an censet, ad forum tantum conscientiae pertinuisse judicia, quae Osius, et Ambrosius Ecclesiae vindicabant; immo judicium ipsum, quo Paulus incestuosum corinthium excommunicatione perculit, atque a fidelium communione interdixit?

Pergit rursum *pag* 233. » Interim pro bono » concordiae inter sacerdotium, et imperium » (de quo Posit. seq.) convenit observari, esse » in materia 1. *Fidei*; 2. *Sacramentorum*; 3. *Di*» *sciplinae* quaedam capita, quae jura civium » tam prope attingunt, ut principis attentionem, » atque inspectionem minime excludant ».

Et continuo agens de inspectione principis in materia fidei, subjungit: » Etenim quantum ad » constitutiones circa res fidei, habet princeps » jus eas, antequam publicentur, inspiciendi, » an non quid nocivum reipublicae contineant ».

Res hic agitur gravissimi momenti. Dogmata *fidei* ab Apostolis, eorumque successoribus per tercentos annos, ut ait Febronius, rite sunt promulgata, quin ad eam promulgationem legitime faciendam necessarius unquam existimatus sit assensus principis. Doctrinae porro fidei sic promulgatae parere fideles, intimumque animi assensum praebere tenebantur. Scilicet tota ratio promulgationis, quae ad hanc inducendam obligationem requiritur, ac sufficit, intime cohaeret juri, ac muneri praedicandi Evangelium omni creaturae, docendique omnes gentes; quod jus, munusque Apostolis, eorumque successoribus ab omni humana potestate immune Christus ipse tradidit, atque commendavit. Vix proinde intelligi potest, quam animo informaverit publicandi formam, ac speciem, dum seculari potestati jus tribuit decreta fidei inspiciendi, antequam publicentur.

Decretum fidei, quo dogma quodvis catholicum definitur, veritatem continet a Deo revelatam; quam non statim, atque ab Ecclesia proposita est, toto animo, debitaque fide, ac religione complecti impium sit, ac nefarium. Nunc vero, quum magistratui laico jus tribuat Febronius decreta ejusmodi inspiciendi antequam publicentur, si contingeret laicum magistratum in hoc utendo jure longiores moras trahere, ac nectere; interea vero propositio veritatis definitae per decretum Ecclesiae, seu decreti ejus cognitio ad ejus regionis fideles perveniat, quibus modis sub ethnicis imperatoribus primis saeculis propagabatur, soletque etiamnum ad eos propagari, qui degunt in terris infidelium; quaeri potest ex Febronio, num toto illo intervallo suspensa remaneat in iliis fidelibus obligatio suscipiendi decreti; an statim debeant, quemadmodum olim, fideles dogma propositum recipere non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei, quod revera est? Si primum dixerit, agnoscat, oportet, in magistratu laico potestatem efficiendi, ne, saltem per aliquod tempus, et quoad sibi placuerit, teneantur fideles credere Deo loquenti. An forte dicet, non haberi legitimam promulgationem, antequam eam laicus magistratus induiserit? At legitima semper habita est promulgatio, quae sine venia magistratus fiebat olim ab Apostolis, et nunc fit in terris infidelium; ex qua tamen oriebatur, et etiamnum oritur obligatio praestandi assensum fidei. Qui autem consistere potest, ut quod valet in terris infidelium ad eliciendum fidei assensum, valere non debeat in terris fidelium? Omnino fides ex auditu; auditus autem ministerio eorum, qui ad munus praedicandi, docendi, annuntiandi ab Ecclesiae pastoribus deliguntur, et canonice mittuntur. Authenticae hujus pro-

muigaiionis faciendae aucloritate praediti fuore Apostoli, eorumque proximi successores, vi cujus in omnem terram exivit sonus eorum. Haec ipsa auctoritas Ecclesiae data est in aevum omne prorogauda. Igitur eadem nunc etiam auctoritate nulio requisito magistratus assensu poliei Ecclesia. Neutri ex praemissis propositionibus refragari potest Febronius, quin et cum sensu catbolico, et secum ipse pugnet apertissime.

Quod attinet ad aiterum caput inspectionis, de duobus potissimum sacramenils disserit Febronius, nimirum de matrimonio, et ordine.

De matrimonio aii, iilud esse » non solum » christianum sacramentum, sed etiam civilem » contractum. Primo respectu babere Ecclesiam » jus, et potestatem statuendi impedimenta ma- » trimonium impedientia, et dirimentia: habe- » re ei principem in illud, qua contractum ci- » vilem, sua jura..... Porro, *inquit*, quoties im- » pedimentum respicit materiam *sacramenti*, ejus » cognitio ad judicem ecclesiasticum pertinet: » si ad materiam contractus, ad judicem ci- » vilem ».

Si quoties agitur de civilibus lautum effectis contractus matrimonii, dixisset Febronius, controversiau cognitionem ad civilem judicem pertinere; nil dixisset alienum a commuui sensu doctorum. Sed quod ait, impedimentum, si *materiam contractus* respicit, ad judicem civilem pertinere; in eo non parum fallitur. Impedimenta sive quae naturali, ac divino jure nituntur, sivo quae ab Ecclesia statuta sunt, plerumque materiam ipsam contractus attingunt, et afficiunt; sive quatenus personas ipsas inbabiles reddunt ad contrahendum, velut in impedimento voti, ordinis, cognationis, etc.; sive quum ex modo contrahendi, velut in matrimonio clandestino, et personae inhabiles, et contractus ipse nullus, et irritus declaratur, etc. Quin et impedimentum erroris, ac violentiae, quod ex jure naturali emergit, intimam ipsam afficit contractus vim, ac naturam. Porro quoties controversia exoritur, num propter laie aliquod impedimentum matrimonium irritum sit, nec ne; certe *causa matrimonialis* existit, licet impedimentum materiam contractus respiciat: causas autem matrimoniales ad judices ecclesiasticos speciare *Tridentinum* sub anathematis interdictione definivit *sess.* 24, *c.* 12. Ratio aperta est. Quod enim dicitur, matrimonium inter baptizatos rite initum, esse sacramentum, non sic accipiendum est, quasi sacramentum contractui accedat velut extrinsecum, et adjectitium ornamentum; sed quod Christus ipsummet contractum rite initum ad sacramenti dignitatem evexerit. Nec desunt alia momenta quae invicte demonstrent, nullum veri nominis maritalem contractum inter eos consistere, qui cum impedimento dirimente contractum iilum attentare praesumaut: quae momenta breviter hoc loco indicasse satis fuerit. I. Per impedimentum dirimens personae inhabiles fiuni ad contractum matrimonii ineundum: liquet autem nullum esse contractum ab iliis attentatum, qui sint inhabiles ad contrahendum. II. Ad essentiam maritalis legitimi contractus pertinet, ut ex eo mutuum jus in corpora contrahentes acquirant: atqui ex matrimonio, cum impedimento dirimente attentato, nullum tale jus legitimum contrahentes acquirunt. Igitur deest, quod ad essentiam cjus contractus pertinet; nec adeo veri nominis contractus maritalis censeri potest. III. Hinc plurimi canones veteres decernunt, matrimonia cum impedimento dirimente contracta non esse honesto *conjugii* nomine deputanda; sed velut incestos, ac nefarios concubitus babenda.

De ordine unum hic animadvertisse satis fuerit, placuisse Febronio, quae disserit, ex Theodosii, Justiniauive legibus magis, quam ex canonum fontibus haurire. Sed hic etiam repetendum, quod notatum a *Natali Alexandro Dissert.* 28, *in IV Saec.* superius animadvertimus: » Ex Justiniani constitutionibus colligi non pos- » se, quaenam fuerit Ecclesiae disciplina; quia » nulla fuit earum in Ecclesia auctoritas, nisi » quatenus cum sacris canonibus consentiebant, » ut constat ex *Epistola sancti Agapiti*, ad eum » data ».

Quoad reliquas partes disciplinae (quod tertio loco positum est); » quum Ecclesia, *inquit* » *Febronius*, gaudeat potestate, seu facultate a- » ctiones fidelium reipublicae innoxias pro suo » arbitrio ad aeternam salutem determinandi: » sic rectorum civitatis officium est, ut ea, quae » ad bonum disciplinae a potestate ecclesiasti- » ca ordinantur, et civiliter *indifferentia* sunt, » non tantum non impedire, sed secundum pro- » portionem mediorum, quibus efficacissimis » sunt instructi, promovcant etiam, atque tue- » antur ».

Sic ergo rectorum civitalis officium erit, auctore Febronio, quae ad bonum disciplinae a potestate ecclesiastica ordinantur, non impedire, modo ne sint *civiliter indifferentia*. Haec scilicet alia est conditio *sine qua non*, vi cujus merito gloriari potest Febronius, sibi non contigisse, quod nulli sancto episcopo unquam contigit, aut contingere potuit, ut una sua vocula totam, quanta est, Ecclesiae disciplinam secnlari potestati subjiceret. Etenim, quum hoc ipso capite civilis hujus indifferentiae judicem faciat secularem potestatem; quid est in tota externa disciplina, quod rector civitatis, hac febroniana facultate instructus, non valeat inter ea recensere, quae non sint *civiliter indifferentia*, idque proinde pro suo jure, et arbitrio impedire? Quid, si judicaverit, non esse civiliter indifferentem ciborum dolectum, et abstinentiam in jejuniis; cessationem a servilibus operibus, aut ab aliis muniis vacationem diebus festis; temporis partem illis diebus religioso cultui impendendam: uno verbo tantum non omnia externae disciplinae vestigia una *sine*

qua non a Febronio inducta conditio delebit, abolebit, aeternum vaiere jubebit? Sic didicit episcopus de disciplina Ecclesiae mereri?

Sed et alia innuit, quae non solum rector civitatis impedire possit, sed quae omnino eliminare debeat; nimirum ea omnia, quae ho-» minum arbitrio tamquam *accidentalia* religio-» ni adveniunt, quam primum reipublicae no-» civa esse incipiunt. . . . Etenim neque Deus » vult, neque velle potest, ut quid arbitrio » hominum religioni accedat, quod fini civi-» tatis, quem ipse immutabili naturali lege » praestruxit, sit adversum ».

Equidem haud facile fuisset divinare, quae sint accidentalia ista, quae hominum arbitrio religioni adveniunt, et ut noxia reipublicae eliminari debent. Sed mox mentem suam aperit: » Hoc, *inquit,* multo magis intelligendum » est de iis, quae a beneficio, seu indulgen-» tia principum originem ducant, etiamsi po-» stea *canone firmata* fuerint: quo multi docto-» rum referunt exemtionem cleri a judicio ci-» vili, forum ecclesiasticum exterius, jus asy-» li » etc.

Non hic disputandum aggredior de cleri immunitate, de exteriori Ecclesiae foro (sine quo tamen *externum* regimen intelligi non potest, cujus potestatem a Christo Ecclesiae collatam superius agnovit Febronius), de jure asyli, etc. quae fuere a doctissimis viris diligentissime pertractata. Sed hoc plane mirum, quod, posteaquam tridentina synodus immunitatem ecclesiasticam divina ordinatione constitutam declaravit; eamque tam enixe catholicorum principum pietati commendavit, tam graviter eos de suo in illa tuenda officio admonuit; contra Febronius tam patienter sustineat, a multis illis doctoribus inter ea recenseri, quae ipso judice rector civitatis non impedire tantum possit, sed et eliminare debeat hac imprimis ratione, quod ea Deus nec vult, nec velle potest! Egregium divinae voluntatis interpretem! Quasi Deus nec velit, nec velle possit, quod ipse divina sua ordinatione constituit. Sed nulla manet ratio agendi cum Febronio, qui palam *canonem ducem* deserat, quo *duce* ostendebat, omnia se velle transigere.

POSITIO XXXVIII.

» Curandum, ut pax et concordia inter sa-» cerdotium et imperium servetur, et offensio-» num vitentur occasiones ».

ANIMAD. Expedita hujus pacis et concordiae conciliandae via et ratio suppetit ex celebri Epistola sancti Gelasii ad Anastasium augustum, cujus haec verba refert Febronius initio Commentarii: » Duo sunt, imperator au-» guste, quibus principaliter mundus hic re-» gitur: sacerdotalis auctoritas, et regalis po-» testas. Utraque principalis; suprema utraque, » neque in officio suo alteri obnoxia est ». Cui sententiae consentanea sunt, quae scribit et Osius ad Constantium, et Nicolaus I ad Michaelem.

Nimirum jura secernuntur, quae utrique potestati conveniunt; ecclesiastica sacerdotio, secularia imperio tribuuntur: quae distinctio, si ad communem sensum, et intelligentiam referatur, nil ambigui praesefert, quo tranquillitas ordinis, qua pax efficitur, auctore Augustino, turbari aliquando possit.

Sed communi huic intelligentiae non plane sese accommodat Febronii mens, et sententia. Habet ille suas clausulas, quarum semper ea est vis, ut quae jura canonum sanctiones Ecclesiae tribuunt, ea quandocumque libeat, Ecclesiae impune subtrahantur, ac seculari potestati subjiciantur.

Itaque interpretationem sic orditur, ut ecclesiasticae potestati tamquam *mere spirituali* non alia quoque, nisi *spiritualia media* concedat ad suum finem obtinendum. Sed ex Febronio quaeri merito potest, quibus ille finibus hanc meram *spiritualitatem* concludat? An rei mere spiritualis nomine intelligat, quod sic in intimis animi recessibus delitescat, ut nulla parte sese prodat exterius, nil prae se ferat corporeum, visibile, apparens, quod sensu percipiatur, ac in externa vitae actione versetur?

At, si hoc pacto mere spirituale accipiendum est, nulla jam externa actio Ecclesiae judicio relinquitur; nulla remanet forma, et species externi muneris, ac regiminis. Notum porro est, nec dissentit Febronius, Christum visibilem Ecclesiam fundasse, visibili auctoritate regendam, visibilibus officiis administrandam; cujus proinde potestatis ministerium spirituale dicitur, non quod externam actionem excludat, sed quod ad spiritualem finem referatur. Ad essentiam religionis, et ecclesiasticae potestatis pertinet externi cultus professio: pertinet praedicandi, ac docendi munus, cum ipsiusmet Christi mandato: *Euntes docete*, etc. tum Apostolorum exemplo, qui *publice docebant*; pertinet sacramentorum administratio, quae tamen in corporea materia, et actione versantur; pertinet rituum, et caeremoniarum instituendarum potestas; sacerdotum, et fidelium conventus ad mysteria celebranda; ministrorum ad sacras functiones, aliaque religiosa muula ordinatio, et designatio. Atque haec, et his similia ex ipsismet sacris litteris eruuntur apertissime.

Quin etiam, nec dissentiente Febronio (p. 22) ad Ecclesiam jure divino spectat vera regiminis auctoritas, quae legiferam, judiciariam, coercitivam potestatem complectitur. Atque ad id jus non dubitat referre poenas canonicas, quibus rei subjiciebantur; quaeque nihilominus non bonorum dumtaxat spiritualium privationem, sed et corporeas afflictationes plerumque inferebant. Quae omnia si et Christi mandato, et Apostolorum, canonumque institutis Ecclesiae convenire omnino convincuntur,

fatendum, hanc esse vim, naturamque potestatis ecclesiasticae, ut, licet pro fine, in quem spectat, spiritalis dicatur, et sit; prorsus tamen visibili, externoque ministerio exerceri valeat, ac debeat.

Quid ergo catholico viro sentiendum de homine, qui hoc externum, ac visibile ministerium, quod in constituenda disciplina versatur, non aliter Ecclesiae liberum, atque a secularis potestatis inspectione, et jure immune relinquat, nisi sub hac conditione, quod sit *civiliter indifferens*: soli autem seculari potestati civilis hujus indifferentiae cognitionem, ac judicium attribuat? Videndum ergo Febronio, quid de se judicari velit: an quod ille mere *spirituale* dicit, sic intelligi jubeat, ut quidquid est externum, excludat; eoque nomine a nativo Ecclesiae jure submoveat? Et si quid externum in disciplina nativo Ecclesiae juri concedit, idipsum non alia lege concedat, nisi quatenus non sit civiliter indifferens? Quo posito quum ulı fere sit externum, quod hoc nomine secularis potestas, quandocumque libuerit, ad se trahere non valeat; jam vix ullum relinquetur externi muneris, aut disciplinae officium, quod seculari potestati non subjiciatur. Non ignorat Febronius, multa disciplinae capita fuisse jam ab Apostolis, eorumque proximis successoribus constituta, quae tunc secularis potestas non velut civiliter indifferentia habuit, immo severissime interdixit. Statuat ergo Febronius, num jure suo, ac legitime id facere potuerint. Quidquid dixerit, sane lubrico in loco versabitur.

Superest, ut pauca dicamus de quinque monitis, quibus ille Commentario suo finem imponit.

Primum: » Quae plurium saeculorum usu, » atque ita tacito saltem Ecclesiae consensu apo- » stolicae Sedi obvenerunt reservata *accidenta- » lia*, ea illi citra contrarium universalis Ec- » clesiae consensum, sive in concilio, sive extra » illud retrahi non possunt. Sic docuit *Claudius » Fleury Discursu* 12 *in Hist. Eccles.* ». His auditis verbis facile quisquam existimaret, huic Fleurii sententiae Febronium adscriptorem sese adjungere; et quoad reservata, quae vocat, accidentalia (quam vocem nescio quo ex canone arripuerit), nolle Sedem apostolicam ab eo possessionis statu dimovere, in quo eam vel Fleurius ipse relinquere non dubitaverit. Verum hanc veniam Sedes apostolica haud facile a Febronio impetrabit. Forte canonem aliquem primus ipse reperit, qui Claudii Fleurii diligentiam subterfugerit. Utique. En febronianum canonem. » Insinuavit tamen mihi nuper vir di- » gnitate ecclesiastica, et muneribus publicis » conspicuus, sed a sublimiore juris canonici » scientia, atque prudentia orbi notior: non » displicere se, quare insignior quaedam eccle- » sia, verbi gratia germanica, gallica, etc. non » valeat pro propria sua, suaeque gentis, et ea » quidem evidente utilitate spirituali in acci- » dentalibus his disciplinae articulis, etiam non » consentiente romano Pontifice, aliquid immu- » tare, et ad pristinum morem reducere. Ve- » rum illud ego aliis discutiendum relinquo ». Ergo quod vir quispiam, sive doctus, sive aliter dixerit, se non displicere: id ea nuper insinuata viri istius non perspicientia satis caussae Febronius putabit, ut saltem in discrimen, et dubitationem adducat, quod sit universali Ecclesiae usu receptum?

Alterum monitum: » Dum quaestio oritur, an » hoc, illudve episcopale, vel papale decretum, » sive constitutum in sua exequutione reipubli- » cae noceat, penes solum principem est judi- » cium; quippe qui rerum publicarum utilita- » tes, vel damna ponderare, et de iis definire » habet ». Quod hic enuntiat Febronius generatim, et universe de papalibus, aut episcopalibus decretis, et constitutis quoad exequutionem; idem eadem de caussa, eodem jure transferri potuisset ad apostolica, et alia ecclesiastica decreta, quae olim per trecentos annos in Ecclesia obtinuerunt. Id porro, quemadmodum *duce canone* probari possit, Febronio *dispiciendum* relinquimus.

Tertium: » Quum ambae potestates, ecclesia- » stica, et civilis supremae, et a se invicem in- » dependentes sint, sic extra jam memoratum ca- » sum orto inter utramque gravi dubio, con- » troversia, seu jurium collisione; ea, uti fit in » statu naturali, amica compositione tollenda » erunt ». At per memoratum casum ecclesiastica potestas civili potestati, quandocumque huic libuerit, in summis, ac fere omnibus disciplinae capitibus subjici poterit, atque adeo propositae huic amicae compositioni vix locus relinquitur.

In quarto agit de jure principis ad prolegendos *contra violentiam subditos suos oppressos, si contingat, judices ecclesiasticos sua potestate abutentes subditos regis violenter opprimere*. Eo casu Febronius ait: » Nequaquam ab officio » regis alienum fore, etiam illis contra has » violentias regiam protectionem annuere, et » manum auxiliatricem extendere ». Equidem haud alienum est ab officio regis, subditos suos tueri adversus injustam violentiam ab iniquo, etiam ecclesiastico judice illatam. Verum religioso principi facultas non deerit, ipsaque religio viam, rationemque praescribet, qua et efficaciter, et nullo religionis Ecclesiaeve detrimento patrocinium suum ad canonicam injuriae reparationem interponere, atque adhibere valeat. Consulendae porro Animadversiones *in Cap. 2 Synopsis Hist. Eccles. IV Saeculi*, *Natalis Alexandri*, §. 3, ubi latius ea de re disseritur.

Quintum: » In iis caussis temporalibus, in qui- » bus exemtio clericis ab imperatore concessa, et » facultas judicandi consistoriis ecclesiasticis tri- » buta est; consistoria nomine Imperantis, non » Ecclesiae judicant ». Cujus generis sint cau-

sae istae temporales, Febronius non explicat; suspicionem aliquam non bene affecti animi movere possunt, quae cum multis locis, tum in superioris Positionis explicatione commemoravit de cleri exemptione a judicio civili, de foro ecclesiastico exteriore, de jure asyli; breviter illa quidem, et ex multorum, ut ait, doctorum sententia, sic tamen, ut viam aliquam muniant ad ea tollenda, quae firmissime retinenda canones omni tempore sanxerunt. Quam dispar sit de hisce rebus, deque universa pene ecclesiastica jurisdictione Febronii, ac tridentini praesertim concilii mens et sententia, plus forte, quam opus foret, cum ex aliis locis, tum ex hoc ipso Commentario conjici, seu potius perspici potest. Quod si par est credere, sacram oecumenicam tridentinam synodum suis condendis decretis Divini ejus Spiritus afflatu gubernatam esse, in quo illa fuit legitime congregata; si ex alia parte alius fuit in hoc scribendo Commentario Febronii sensus; quo ille spiritu inductus sit ad scribendum, ecclesiastico, an alieno, aliorum sit potius, quam meum judicium. Unum velim, pro sincera dilectione, qua eum velut fratrem complector; velim, inquam, Febronium non pigeat ad trevirensem historiam myriophltani episcopi sese referre. Ponat sibi ante oculos praesules illos sanctissimos, quos, ut supra vidimus, meritis ille laudibus extollit; qui spectatissimam trevirensem ecclesiam sanctitate, doctrina, miraculis (cur etenim res tam praeclaras, neque unquam obliterandas memoria, non saepius repetamus, ac celebremus?) illustrarunt. Cogitet, quid illi senserint de ecclesiastica libertate, potestate, in omnibus causis ecclesiasticis immunitate; quae ab illa prisca origine de romani Pontificis primatu, et auctoritate traditio, et sententia fuerit amplissimae trevirensis ecclesiae. Demum statuat, utrum dignius episcopo sit ex sacris illis fontibus, an ex turbidis Launoji, Dupinii, quorum hominum nulla unquam fuit in Ecclesia auctoritas, turbidis plane rivulis, de summis illis doctrinae, ac disciplinae capitibus, quae ille tractanda instituit, veram, et sanam sentiendi rationem haurire.

APPENDIX

DE INSCRIPTIONE IN MONUMENTO JOAN. NICOLAI DE HONTHEIM INCISA.

Quum prope absoluta esset, commissa typis hujusce operis editio, facta nobis copia est Inscriptionis istius depromtae *Ex novellis litterariis Wurtzburgensibus in Appendice sectionis IX, sabbatho 28 julii 1792, pag.* 595, his verbis: » Datum Treviris celebri D. Suffraganeo de Hontheim in Ecclesia Collegiata ad S. Simeonem » DD. nepotum sumtibus sequens Epitaphium » positum est ».

Hic sancte quiescit
Joannes Nicolaus ab Hontheim
Antiqua et illustri Trevirorum familia
Natus 27 Januarii MDCCI
Episcopus Myriophitanus
Trium Archiepiscoporum Electorum Trevirensium
Francisci Georgii, Joannis Philippi, et Clementis Wenceslai
Suffraganeus et in spiritualibus Vicarius Generalis,
Consiliarius intimus Status,
Almae Universitatis
Primo lumen, dein Cancellarius, Restitutor et Mecoenas,
Collegiatae Ecclesiae S. Simeonis Treviris Canonicus Capitularis
Olimque Decanus et Instaurator,
Dominus in Montquintin, Couvreux, Rouvroy et Dampicours etc.
Vir
Pietate, Beneficentia, Morum candore, sana doctrina
Et omnigena eruditione egregius,
Plurimis iisque praesentissimis operibus clarus,
Quibus praecipue
Patriam Trevirensem primus Pragmatica donavit Historia,
Et in immortali suo Febronio,
Quem nec argumenta convellerunt, nec Fulmina,
Ecclesiam Christi ad primaevum revocans statum
Legitimos Potestati Romani pontificis assignavit limites.
Sic omnem
Inter assidua litterarum studia, et indefessos Episcopatus labores
Vitam partiens.
Ceterum
Mentis tranquillitatem, quam et in adversis servabat semper,
Reliquis omnibus mundi bonis praeferens,
Et in provectissima etiam Senectute
Cunctis adhuc animi et miris adhuc corporis viribus pollens
Tandem in sibi gratissimo semper Montis Quintini secessu
Dignam coelo animam placide efflavit
II Septembris MDCCLXXXX
Anno Aetatis LXXXX, Episcopatus XXXXIII.
Jam in Vita
A conjunctissimo ipsi omnibus vinculis amico,
Qui et obstetricem Febronio praebuerat manum,
sequenti celebratus elogio.
Quod Marca est Gallis, Belgis Espenius, Hontheim
Lumine Germanis, sorte, decore fuit.

Quod insigni monumento nepotes memoriam honestare cogitarint sui sive patrui, sive avunculi amplissimi antistitis Joannis Nicolai de Hontheim, in eo pietatis officium cum grati animi testificatione conjunctum libens agnosco.

Quod Honthemii nomini ex febroniana labe, ac larva laudem praecipue quaesierint, in hoc vero prudentiam eorum, et quod majus est, religionis studium vehementer desidero.

De parte illa, qua in gravissimis, quibus Honthemius functus est muneribus, fidem ejus, aequitatem, beneficentiam commendant, sentio mihi esse tacendum; qui partes susceperim in doctrinam, et scripta, non in vitam inquirendi, moresve Honthemii.

De laude vero, quam ei tribuunt velut historiae trevirensis parenti, dispar est ratio: quippe, si qua laus ex illa historia (quam tamen identidem suis notis velut totidem maculis aspersit) parta est Honthemio, haec tota necesse est vertatur in dedecus, ignominiamque Febronii.

Explicat Honthemius, ac describit (prout suis locis in hocce ipso Commentario notavimus) quae doctrinae, quae disciplinae ratio in amplissima sua trevirensi ecclesia sub Romanis ab eo tempore viguerit, quo eam magnus Athanasius viderat, commendabatque » Apostolicorum *virorum* in» genitis fundatam, item *sanctam*, atque cum » catholica Ecclesia *unam*, et consentaneam, » *miraculis illustrem*, cum romana apostolica » Sede *conjunctam*, in Gallia *primam*, in Bel» gica *matrem, et magistram* ».

Summa huc redit, quam Honthemius verbis expressit rhemensis episcopi ad s. Nicetium Trevirensem: » Sicut de articulis fidei judicium » penes Ecclesiae Patres esse dignoscitur, ita » et in materia disciplinae jus statuendi, et ca» nones condendi ».

Mentem eamdem, ac sententiam sub Francis perstitisse perspicue innuit Honthemius testans, » Congregatos in synodis episcopos condidisse » canones auctoritate, et jure suo ». Nec diffitetur, quin jam tum apud suos recepta esset sententia *de infallibilitate summi Pontificis*, eamque *adeo in gallicana ecclesia antiquiorem esse, atque nonnullis videri voluit*.

Subinde progrediens ad explicandam Trevirorum jurisprudentiam sub Germanis; quae, et quanta esset apud Treviros de suprema auctoritate summi Pontificis existimatio, declarat Honthemius Egilberti sui testimonio, qui, » ut » ut persequeretur Papam Gregorium VII, ta» men memor canonum scripsit episcopis, an. » 1082, ferre sententiam contra apostolicum non » est tutum; immo insanum, et omnino nefa» rium aliquid audere in illum, qui vice san» cti Petri fungitur legatione ipsius Christi ».

Hic jam quaero ex amico laudatore isto, quisquis ille est, qui etiam de obstetrice manu praestita Febronio praepostere gloriatur, num in Febronio eam ipsam recognoscat sententiarum constantiam, quam in trevirensium annalium monumentis Honthemius deprehendit, nec sine commendatione in lucem extulit? Quod si longe aliter sensisse Febronius convincitur sive de proprio immuni Ecclesiae jure, ut in judiciis fidei, sic et in condendis legibus disciplinae, sive de summa romani Pontificis auctoritate; atque auctore Honthemio sensere Patres, per quos vetus Trevirensis ecclesiae traditio in posteros propagata est: quis non intelligat, si quam laudem, quaecumque tandem ea sit, ex historia trevirensi Honthemius adeptus est, hujus laudis fructum Honthemio Febronium diripuisse, suaque a majorum institutis improba defectione fictae isti personae, qua se tegere voluit, perpetuam turpitudinis notam inussisse?

At Febronium, inquit laudator, *nec argumenta convellerunt, nec fulmina*. Arroganter, et impie. Non vacat, non hujus est loci *argumenta* repetere, quae sapientissimis viris Febronium refellere aggressis nec defuere unquam, nec deesse potuerunt. Verum aliis missis argumentis, an non apud catholicae mentis homines valere potuit ac debuit superiorum aetatum vigens ad haec usque tempora, amplissimi sui antistitis voce confirmata, trevirensis ecclesiae traditio, qua erumpens ex ejus sinu profana novitas probatae vetustatis auctoritate obruta jam ab ortu ipso, penitusque convulsa censeretur?

Quid dicam de impio contemptu *fulminum*? Quo velut in ultimum desperatae causae perfugium ejicere se solent damnati perduelles non ad effugiendam justae damnationis ignominiam, sed ad suam magis, magisque prodendam in erroris perversitate pertinaciam. Quos tamen non impietatis modo, sed et stultitiae poeniteret suae, si tantummodo reputare vellent, nullam unquam ab omni saeculorum memoria doctrinae rationem in Ecclesia coaluisse, quam semel Petri Sedes apostolico fulmine perstrinxerit.

Laudatur Febronius, quod *Ecclesiam Christi ad primaevum revocans statum, legitimos potestati romani Pontificis assignavit limites*. Plane consueto novatorum more et exemplo: quibus id semper insitum fuit, ut procacem novandi licentiam instaurandae antiquitatis studio fictis caussis obtegerent. Sic olim hoc unum agere se dictitarunt Arius, et Nestorius, ut de Trinitate, deque Persona Christi corruptam doctrinam; Novatiani dilapsam poenitentiae disciplinam in primaevum statum reducerent. Sic deinceps quotquot seculis labentibus extitere importuni turbatores, qui temere arrepta emendandae sive doctrinae, sive disciplinae provincia Ecclesiam foede, misereque dilacerarunt.

Sed est, quod mireris magis: adscitum videlicet ab laudatore isto personatum hominem velut judicem et arbitrum regundorum finium ecclesiasticae potestatis, qui romano Pontifici legitimos limites assignaverit. Probum enimvero, sapientemque judicem, et aestimato-

rem, cui hac in causa id unum propositum fuisse, ut sacratissima primatus jura obtereret, affirmare non vereor, cum copiosius ab aliis praestantissimis viris, tum et in bisce animadversionibus invicte, perspicueque demonstratum esse. Quod ne arrogantius a me dictum quisquam existimet, facit ipsa conditio causae; quam sic tractandam suscepi, ut non tam acumen ingenii posceret ad eruendam veritatem, quam in rebus exponendis fidem, ac diligentiam ad repellendam calumniam.

Atqui pietatis etiam caussa inductum se clamat Febronius ad moderanda pontificatus jura: nempe ut offensos pontificiae majestatis nimio splendore protestantium animos placaret, atque ad unitatem, unitatisque centrum planiore via reduceret. O admirabilem licentiam, et miserabilem inscientiam disserendi! Haeccine directa via est, haeccine plana, et idonea ratio devios ad unitatem, unitatisque centrum reducendi, qua vis illa tota solvitur, quae in centro, seu summo vertice unitatis, et capite inest ex instituto Christi; omninoque inesse debet ad partes universas colligendas, in ordine continendas, in una corporis compage devinciendas? Sane quum Bossuetium (1) inter, et Molanum ageretur *de methodo reunionis protestantium cum Ecclesia romano-catholica*, hoc a primario isto protestantium doctore *primum concessum* editum est, » Ut romanus Pontifex pro supremo » patriarcha, seu primo totius Ecclesiae epi» scopo habeatur, cique protestantes debitum » in spiritualibus obsequium praestent ». Quo jam plus quiddam videri possit romano Pontifici ab hoc *protestante* concessum, quam placuerit Febronio eidem concedere. Quid porro clar. Bossuetius? » Rogo, inquit catholicus an» tistites, quale ei (Rom. Pont.) *praestituri sint* » *in spiritualibus obsequium, a quo in ipsa fidei* » *causa dissentiant* »? Nimirum illud est, quod urgere ille adversus protestantes nunquam destitit, communionem cum romana Sede, qua Ecclesiae unitas maxime nititur, unius ejusdemque fidei societate maxime contineri. Hanc porro fidei societatem cum romana Sede qui omnino tueri Febronius possit, qui ut parum firmam rejicere non vereatur illorum sententiam, *qui a plurima parte episcoporum, definitioni romani Pontificis extra concilium adhaerentium, ultimatum, et irrefragabile judicium constitui existimant?*

Dein advertit Bossuetius, longe graviorem etiam ex illo *primo* protestantis doctoris *concesso* difficultatem emergere, nempe *de primatu Pontificis, et Ecclesiae romanae: an ei tribuatur ut Petri successori, et tenenti cathedram Petri Apostolorum Principis, quod est in ecclesia etiam orientali, primisque oecumenicis conciliis pervulgatum? Quod si* (subjungit clar. Bossuetius) *protestantes iniquum putaverint, ad illud divinum jus, a se toties oppugnatum, recognoscendum adigi, quanto erit iniquius, eo adigi Pontificem, ut ad tantos clamores, atque ad supprimendum longe antiquissimum, ac maxime authenticum Sedis suae privilegium, ac titulum sponte conniveat, neque quidquam hiscat?* Non aliam itaque viam reducendorum ad unitatem protestantium agnoscebat Bossuetius, quam ut et ipsi cum ecclesia etiam orientali, cumque primis oecumenicis conciliis primatum in romanae Sedis Pontifice, divino plane jure constitutum, agnoscerent. Quid Febronius? Qui prae orientali ecclesia, prae ipsismet primis oecumenicis conciliis palam ostendit, multo potiores sibi fuisse *clamores* protestantium, dum (cap. 2, §. 3) statuit » per rationes conventen» tiae *humana auctoritate* romanae urbis antisti» ti sacrum primatum creditum fuisse »; nec veretur putidam fabulam refricare, depromtam ex protestante Seckendorffio, » eam saeculo XVI » fuisse constantissimam sententiam regni Galliae » in articulis Germanis Smalcaldae propositis, » bis verbis expressam: *Sentire regem Gallorum,* » *jure tantum humano, non divino romanum Pon*» *tificem habere primatum* ».

Perperam Febronius igitur subdolum illud suum ostentat studium unitatis, quo crimen a se repellat violatae primatus auctoritatis, qua velut vinculo catholica unitas maxime adstringitur. Futile, immo improbum genus excusationis, quo vitium vitio cumulatur; cujus profecto illum magis etiam pudere debuerat, si aut legisset, aut meminisset, quod multae doctrinae vir alioquin heterodoxus Georgius Bullus (Judicium Ecclesiae catholicae de necessitate credendi, etc. c. 3, §. 6, Ticini, an. 1786) scripsit *de nuperis tum samosatenianis, tum arianae sectae instauratoribus*, qui » doctrinam de Christo, coes» sentiali Dei Filio, adeoque de Sanctissima » Trinitate ὁμοουσίῳ, in Ecclesia omnino suppri» mendam esse contendunt, ne scilicet Judaeo» rum, et Turcarum conversioni impedimento » illa ulterius sit: hoc est, volunt nos, revera » christianos esse desinere, ut infideles quoquo » modo christiani fiant ».

Lusus dein poeticus additur, quo Febronius is fuisse Germanis fingitur, qui fuit Gallis Marca, Espenius Belgis. Ludicrum dictum magis, quam consideratum; nec satis in Gallos, Belgasve honorificum, quasi non omni aetate longe praestantiores Galli, ac Belgae duces, ac magistros habuerint, e quorum limpidis fontibus potius, quam e turbidis rivulis mallent colendae religionis documenta haurire, institutaque disciplinae.

Quamquam nec idipsum satis apposite ad mentem, sententiamque Febronii, qui non ita se addixit Petro de Marca, ut non saepe ab eo deflectere, ac in pejus ruere dubitaverit. Appellationem a Papae decreto ad futurum concilium, velut novum quid in Ecclesiam inductum dixerat Marca (Concord l. 4, c. 17, §. 1)

(1) Edit. Leodien. an. 1767, tom. 14, pag. 115.

quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio a Papa ad concilium. Contra Febronius (de Statu Ecclesiae c. 6) veritus non est hunc §. 10 titulum adscribere: *Legitimitas appellationis a romano Pontifice ad generale concilium omnibus saeculis, et ab omnibus nationibus in Ecclesia agnita fuit.* Quin et hoc ipso Commentario (Pos. 30) non omittit animadvertere, illustrissimum de Marca, propterea quod censuerit, appellationes a Papa ad concilium a vetere disciplina alienas esse, hoc nomine vapulasse a Bossuetio. Ac revera non in Petro de Marca, sed in hoc Bossuetio intueri sibi visus est (Posit. 11) Febronius *sydus Ecclesiae recentius, nunquam a se deserendum:* cujus syderis claritatem utinam saltem non a vero Bossuetio in pseudo-Bossuetium, seu ementitum *Defensionis* auctorem perperam transtulisset!

Espenius vero, quamquam non semper fidus interpres ejus juris, quod collectis a Gregorio IX, et aliis additis decretalibus continetur; tamen illud habuit, ac suspexit velut jus, legitima rataque auctoritate constitutum. Quid porro Febronius? Praeclarum uempe se praebet assectatorem Espenii; qui Corpus id juris funditus evertere molitur, in quo interpretando Espenius aetatem pene consumsit omnem. Etenim in praemonitu ad librum *de Statu Ecclesiae* sic ille *doctores theologiae, et juris canonici* admonendos censuit: » In Decretalibus, Extra» vagantibus, et Clementinis formam Ecclesiae » monarchicam stabilitam esse observarunt e» ruditi, et a nobis per decursum hujus operis » demonstratum est. Has canonum collectiones » Gregorius IX, Bonifacius VIII, et Joannes XXII, » legum more non publicarunt solemniter, sed » eas ad doctores, et scholares in celeberrima » tum bononiensi academia degentes direxerunt; » ut per illos traderentur, per hos vero hau» rirentur haec monarchiae sacrae fundamenta... » Atque ita facile, et quasi naturaliter evenit, » ut per medium eorumdem doctorum juris ca» nonici, ac dein theologiae monarchicus ille » status tamquam genuinus, et unice verus u» tique reciperetur, et per totum Occidentem » stabiliretur.... Ego hoc systema refutare ag» gressus sum ».

Itane Febronius formam hanc *status papalis monarchici* refutare aggreditur, quem Joannes ipse Gersonius primus ab eo memoratus inter viros, *probatissimis quorum scriptis sancta mater Ecclesia tantum debet*, negari sine nota haereseos non posse, fuisse a Christo immediate institutum, firmiter asseruit? Facultas parisiensis contra Spalatensem apostatam suis decretis confirmavit? Aliunde an compos sui homo, qui se catholicum sanctae matri Ecclesiae addictum professus, aggrediatur systema refutare, quod ille ipse fateatur a quatuor saltem saeculis *per totum Occidentem stabilitum?* quasi vero in causa, quae doctrinam, ac fidem attingit, invehi quomodocumque potuisset in Ecclesiam, in eaque stabiliri doctrina, quae a superiorum setatum sententia dissideret. Duplex itaque hoc loco peccatum Febronii, utrumque catholico viro indignum; sive quod juris jam dudum legitime constituti ratam auctoritatem convellere aggreditur, sive quod ad eam convellendam talem rationem adhibet, quae in causa doctrinae inter priora Ecclesiae, posterioraque saecula dissidium inducit, catholicis auribus minime ferendum.

Nec porro insolens in Febronio videri debet odium hoc monarchiae in statu hierarchico, qui ei formae minus aequum se praebeat in statu etiam politico. Nam accedens (de Statu Ecclesiae c. 1, §. 8, num. 5) ad eorum refellendam rationem, qui monarchiam in Ecclesia hoc etiam nomine defendunt, quod par sit existimare, Christum, quum perfectissimam societatem institueret, perfectissimam in ea regiminis formam consiliuisse; primum hoc ipsum in dubium vocat, *monarchicum statum reliquis esse perfectiorem.* Deinde addit, hoc esse hujus formae proprium, *quod facile solet in despotismum declinare.* Quod si vitiosum genere suo id omne est, quod facile solet in vitium declinare; vitiosam dicat, oportet, suapte natura monarchiam, quisquis amet sequi Febronium. Falsum crimen; contumeliosum in eam regiminis formam, cujus legitima constitutio abest a despotismo quam plurimum. Crimen invidiosum, quo nullum aptius ad incitandos imperitae multitudinis animos, inflammandumque odium, quo caeco interdum furore abrepta effervescit in summos imperantes, quibus veint sublimioribus potestatibus, Dei ordinatione constitutis, debito etiam religionis officio obsequentes praebere se debent, quotquot illorum imperio reguntur. Quo etiam intelligi potest, quanto in errore versentur, qui adeo faciles aures febronianis istis praebere solent, putantque, tantumdem firmitatis accedere potestati civili, quantum per istos de sacrorum jure detrahitur.

Nec magis favet Febronius imperio mere aristocratico, quod ait, *semen esse discordiarum*, ut proinde omni ex parte hoc loco Marcam suum deserat, qui monarchiam in Ecclesia cum aliqua quidem commistione aristocratiae, veram tamen monarchiam agnoscit (Concord. l. 2, c. 16, n. 6) (1).

(1) De hac aristocratiae admistione supra dictum est (ad Posit. 1), ubi eam vidimus tum a venerabili Bellarmino, tum et in egregiis notis ad Hist. *Nat. Alexandri* sic explicatam, ut nil de summa, et absoluta monarchiae vi, ac ratione detrahat, qua pollet romanus Pontifex in universa Ecclesia. Verum, quum non pauci ex infesta novatorum turba et colluvie postmodum emerserint, qui vocis illius ambiguitatem in alienum plane ac depravatum sensum deflecterent, ita sapientissimi posthac viri (ut 2 addit. notavimus p. 202) hanc merito deserendam formulam censuere, quae minus cautis errandi periculum afferret, quorum nos judicio, ac sententiae libentissime subscribimus.

Quod si removenda monarchia, cujus vel nomen ipsum horret Febronius in ecclesiastico saltem regimine; si nec ipsum placet aristocraticum regimen (quale tamen reapse viget in omni bene constituta democratia, ubi semper multo major pars incolarum expers prorsus est publicae administrationis, et auctoritatis), quid aliud remanet, quam absona illa anarchici status forma, seu perversio, qua summa rerum ad ultimum summa potestate revolvitur ad plebem? cuius vis quam facile incitatur; qua semel incitata, quam exitiales turbas, ac ruinas edat cum in sacra, tum et in civili politia, non est quod dicam; res ipsa clamat.

Nunc ut ad laudatorem proprius redeam, utinam non ei piacuisset in sui Febronii laudibus candorem animi cum perpetua pacatae mentis tranquillitate conjungere! Non me causa cogeret dicere, quae libens reticuissem. In illo suo praemonitu Febronius, quo loco *episcopos Ecclesiae catholicae* alloquitur, post exposita mala, quae ex *rigore, et inflexibilitate romanae aulae, praetensa et immodica sua jura sustinendi* in ipsam romanam Sedem, universamque Ecclesiam redundasse comminiscitur; universos episcopos episcopus ipse graviter, ac severe monet, atque hortatur, ut officii sui memores laboranti Ecclesiae hac in parte consulant, ac succurrant: » Vestrum, si id alii serio, et cum affectu praestare omittant, erit illud agere, atque eniti, » ut ordini vestro restituantur jura illa ex » Christi placito, ac vero jure sacro propria.... » Timor in episcopos suo fungentes apostolico » munere non cadit, aut saltem cadere non debet.... Deplorandum sane foret, et vestro charactere indignum, si qui ex vobis propter » spem transitoriam vestrae, vestrorumque fortunae sibi vellent adsciscere illud vae mutorum, non valentium latrare.... Itaque uno spiritu, et consociatis viribus vestram, Ecclesiae, et Dei causam suscipite; et evanescet omnis, si quae adhuc superesse posset etiam » vana metuendi ratio ».

Hic jam prodet se candor ille animi, ac pacatae mentis invicta tranquillitas, et constantia Febronii. Causam hanc praeclaram agere ille susceperat. Quo fructu, quo exitu; quam ille sui laboris, et industriae opinionem sibi finxerit, amplissime testatum reliquit in illo suo praemonitu ad doctores theologiae, et juris canonici. » Prius, » *inquit*, totam compagem Operis legite iterum atque iterum; et Historia Ecclesiae praesertim conciliari simul adhibita deprehendetis; si aequo animo esse volueritis, nec ad legendum cum immaturo proposito refutandi » accedere; quod nostra haec ecclesiastici regiminis ratio non tantum sit vera, sancta, et catholice genuina, sed etiam sanctae, quam » colo, amo, veneror, Sedi prae monarchismo » salubrior ».

Praetereo dicere, quam odiosum sit, quam ab ingenuo animi candore alienum, odium ipsum, seu aversum infestumque animum velle obtegere simulatione benevolentiae. Propero ad factum Febronii. Vix edito illo *de Statu Ecclesiae libro singulari* sub nomine Justini Febronii an. 1763, Bullioni apud Guillelmum Evrardi, illico suborius rumor, atque in dies increbrescens verum libri auctorem Hontbemium nuntiavit sub ficto illo nomine latere. Nulla ille interposita mora, illo eodem anno 1763, cum in aliis, tum praecipue in Coloniensi Ephemeride, n. 87, monitum inserendum curavit, quo insigni mendacio se negavit auctorem operis. Egregium enim vero evangelicae simplicitatis documentum! Sic episcopus aut erubuit, aut timuit auctorem se profiteri formae illius ecclesiastici regiminis, quam *veram*, quam *sanctam*, quam *genuine catholicam*, qua una laboranti Ecclesiae consuli, ac succurri posse declaraverat? Sic ille apostolicum illud invictum robur animi praestitit, quod velut episcopalis muneris praecipuum officium universis christiani orbis episcopis commendavit, ac praecepit? Sic persona sua non indignum putavit os mutum sibi adsciscere canis aperta fronte latrare non valentis?

Quem porro ex opere illo placidae tranquillitatis fructum retulerit, atque ad exitum usque vitae perduxerit, conjectura capi poterit ex documento germanicis typis edito, cujus exemplum subjicimus.

DISPOSITIO

Reverendissimi, et illustrissimi Domini Domini

JOANNIS NICOLAI AB HONTHEIM

Episcopi Myriophitani, Suffraganei Trevirensis.

Die secunda septembris 1790, pie in Domino defuncti, propria ejus manu scripta, subscripta, et sigillo suo munita tenoris

Nolo equidem, ut post meum obitum quidquam in meam laudem publicetur; neque enim ad id ulla suppetit materia. Verumtamen, quum variis titulis, atque scriptis hoc in mundo apparuerim, de quibus diversa a diversis judicia prodiisse non ignoro; atque episcopum omnino deceat hoc saeculum non relinquere sine testimonio probatae fidei; hinc ejus loco post meum ex hac vita decessum publicari cupio epistolam a reverendissimo, et celsissimo S. R. I. Principe Abbate divi Blasii in nigra Sylva, viro notorie doctissimo, et religiosissimo ad me die decima decurrentis mensis amice exaratam. Dabam TrevIris 25 februarii 1788.

L. S.

Joannes Nicolaus ab Hontheim Episcopus
Myriophitanus Suffraganeus Trevirensis
manu propria

Extrema epistolae parte, quae sola facit ad

rem, celsissimus abbas, admonitu Honthemio de quadam lucubratione sua satis amplu, proxime praelo submittenda, inscripta: *Ecclesia militans regnum Christi:* nihi hanc subjicit » iis principiis, quae, *inquit*, in Commentario in retractationem tuam statuisti, qui senectuti tuae » tranquillitatem reddit, qua diutissime fruere » (1).

Multa in prooemio notavimus immania errorum capita in actis retractationis reprobata, quaeque jure ac merito fuisse reprobanda confirmat Hontbemius in subjecto suae Retractationi Commentario, lametsi non paucis adhuc nec levibus maculis consperso. Quum ergo *pro testimonio probatae suae fidei* ad hanc epistolam se refert Honthemius *post suum ex hac vita decessum publicandam*, hoc jam saltem ostendit, se illa ex animo repudiasse immania capita errorum, quae suae retractationi subjecerat, quibus totus refertus est *singularis liber de statu Ecclesiae*. Non ergo in eo libro, non in ea forma, quam tum sibi finxerat ecclesiastici regiminis, conquiescendum sibi putavit Honthemius; nec in ea placide conquiescens *animam efflavit*.

Quo etiam mirabilius videri debet, hominem, qui se ostentat consiliorum Honthemii participem, Houtbemio laudem, gloriam sibi quaesivisse ex obstetrice manu praestita ei libro, cujus, quum ederetur, Houthemium ipsum piguit, aut puduit auctorem se fateri; cujus dein editi sic eum poenituit, ut illum deliberato consilio publica retractatione reprobandum sibi censuerit; morti vero proximus ad eum se Commentarium retulerit, quo fatetur, vehementer se in primo illo scribendo libro errasse; suumque id novum opus apostolicae Sedis judicio, ac sententiae ita subjicit, ut ad errata, quaecumque udhuc irrepsissent, ex praescripto summi Pontificis emendanda paratum se, ac promptum obsequentissimo animo profiteatur.

Certe homini recogitanti, quam nefario se scelere obstringat quisquis inconsutilem Christi tunicam, unitatem videlicet Ecclesiae discindere moliatur; petram conentere, quam Ecclesiae suae firmissimum fundamentum Christus constituit; oves, quas pascendas Petro commisit, a Petri pascuis in aliena pascua traducere; is, quisquis est, si miserante Deo non sinitur penitus in funesta illa tranquillitate obdurescere, qua Deo vindice plectuntur interdum, qui laetantur, quum male fecerint; si excitante gratia, conscientiae stimulis agitatus, veram sibi pacem animi reddi cupit, uc precatur; non aliunde oboriri haec potest, quam ex malefacti poenitentia, sinceroque animo reconciliandae gratiae, colendaeque unitatis et concordiae cum ea cathedra, unitatis origine, super quam Ecclesia aedificata est, quam qui deserit, frustra se in Ecclesia esse confidit. Nemini certe magis cordi esse debuit, quam trevirensi suffraganeo, puram integramque servare Trevirorum antiquam traditionem, a sanctissimis viris retentum, ac propagatam, solemni synodali totius pene Germaniae decreto confirmatum, ab inclytae germanicae nationis apostolo Bonifacio bis litteris ad Cudbertum archiepiscopum promulgatam (Labb. tom. 8, Edit. Ven, col. 281): » Decrevimus autem in » nostro synodali conventu, et confessi sumus » fidem catholicam, et unitatem, et subjectionem romanae Ecclesiae fine tenus vitae nostrae velle servare; sancto Petro, et vicario » ejus velle subjici ».

Hanc debitam, divino mandato praeceptam et institutam subjectionem amantissimo Patri Pio Sexto Honthemius in suae retractationis actu spopondit: hanc et in posteriore Commentario, maxime vero in adjecta epistola plenius confirmavit. Quo major ex miserentis Dei bonitate spes affulget, hac illum pia, devotaque mente praeditum, in complexu Petri, sanctoque pacis osculo animam efflavisse.

Ex his plane poterit quisque intelligere, quam bene amicus iste laudator de Honthemio meritus sit; quam bene amici nomini, memoriae, honori consuluerit, qui laudis Honthemio impertiendae argumentum et materiam maluerit ex reprobando, reprobuloque malefacto potius, quam ex laudabili nnlefacti, meritoque laudata poenitentia repetere.

(1) Hujus epistolae summam referunt etiam clarissimi auctores *Ephemer. Eccl. Rom.* Supplem. anno 1792, tom. IV, Cod. 1, p. 89, quo loco praeclarum celsissimi abbatis opus, magno Ecclesiae bono postea editum, meritis laudibus extollunt, adduntque in febroniano commentario nil amplius desiderandum fuisse, quam ut cum principiis in opere illo luculenter expositis plane consentiret. Quo sane nullus jam ambigendi locus relinquitur, quum ei. praesul non religionis minus, quam doctrinae laude spectatissimus, dum ad extremum epistolae *principia* memorat febroniani commentarii, ad illa tantummodo respexerit pleraque Positionum capita, quae proprio nomine *principia* dici possunt, quibus illustrandis, confirmandisve multam ac sane probandam Febronius visus est operam navasse; minime vero ad subjectas iosues commentitias exceptiones, quas videtur velut totidem de industria quaesitis effugia patere sibi voluisse, ut quandocumque libuisset, ei sibi valeret, *principiisque* ipsis rite a se positis, velut per latentes rimas sese furtive subducere.

PER LA BOLLA

DI PAPA PIO VI

Auctorem Fidei

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE SEXTI

DAMNATIO QUAMPLURIUM PROPOSITIONUM EXCERPTARUM EX LIBRO ITALICO IDIOMATE IMPRESSO SUB TITULO — *ATTI, E DECRETI DEL CONCILIO DIOCESANO DI PISTOJA DELL' AN. MDCCLXXXVI — IN PISTOJA PER ATTO BRACALI STAMPATORE VESCOVILE. CON APPROVAZIONE.*

Cum prohibitione ejusdem libri, et aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam forsan editorum, quam in posterum edendorum.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Universis christifidelibus salutem, et apostolicam benedictionem.

Auctorem fidei, et Consummatorem Jesum aspicientes, nos jubet Apostolus (1) sedulo recogitare qualem, quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus, et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessum est, cum adversus corpus ipsummet Christi, *quod est Ecclesia* (2), dirae istius, nec unquam desiturae conjurationis aestus acrius exardescit: ut a Domino confortati, et in potentia virtutis ejus, scuto fidei protecti resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere (3). In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cujusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda: gravior nobis, quibus pro credita pastorali nostrae sollicitudini gregis totius cura et moderatione, *major cunctis, christianae religionis zelus incumbit* (4). Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium, qui gravantur;* quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit nos, et sublevat apostolici hujusce muneris in persona beati Petri divinitus instituta ratio; ut qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiae gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione, ac tuendos heredes dedisset.

Et in hisce quidem aerumnis quae undique circumstant, ad celerarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat nos gaudere, majorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctae Ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima Urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et major sollicitudo adhibenda* (5).

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina: fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Ricciis, antea Episcopus Pistorien., et Praten.), quem ad nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna caritate complexi sumus; qui vicissim nobis, atque huic apostolicae Sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemnis jurisjurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse non longo intervallo posteaquam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem, et pacatam christianae institutionis formam jam pridem invexerant, ac penue defixerant, non ille pro eo ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam cum ei hortatu nostro ad syno-

(1) Ad Hebr. 12.
(2) Ad Coloss. 1.
(3) Ad Ephes. 6.
(4) S. Siricius ad Himerium Tarrac. *Ep.* 1, *ap. Coust.*
(5) S. Caelest. I, *Ep.* 12, *apud. Coust.*

dum dioecesanam animum adjunxisset, praefracta ejus in suo sensu pertinacia effectum est, ut unde remedium aliquod vulnerum potendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquandiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterquo sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem, auctoritatemque derogarent.

Quae cum cerneremus, quo graviora sunt per se, tanto impensius pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis sapientis moniti memores praedecessoris nostri beati Zosimi (1), *ea quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare*, synodum ab episcopo editam primum quatuor episcopis, aliisque adjunctis e clero saeculari theologis examinandam commisimus: tum et plurium S. R. E. Cardinalium, aliorumque episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram nobis voce, et scripto edita excepimus: qui et synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt: quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque nobis curae fuit, ut selecta ex tota synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subjiceretur.

Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces hominos obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte jam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus hujusmodi periculosis, noxiisve novitatibus reprimendis plures nostri sanctissimi praedecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite, cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum, commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum (1) latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adjectionem, aut commutationem veritate sententiae, confessio quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta, fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda; cujus est haec laus praecipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata, aut etiam correcta reperiantur; quasi procax isthaec affirmandi, et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi, vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia, quae inspicienda forent, dispersa loca; aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per sese componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in constantinopolitani antistitis Nestorii litteris jam olim sapienter detectum gravissima reprehensione praedecessor noster Caelestinus (2) coarguit; quibus nempe in litteris vestigatus Veterator ille, depreensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium saepe omni aetate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur; cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

Quam et nos, moderationis plenam, rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus jam feliciter evenisse), magno fore adjumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui superer unt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, justae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas; quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illae testantur, sententiarum dissimilitudine, in

(1) S. Zosimus *Epist.* 2, *ap. Coust.*

(1) S. Leo M. *Ep.* 129, *Edit. Baller.*
(2) S. Caelestinus, *Ep.* 13, *n.* 2, *ap. Coust.*

paries suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecidatur: qui si recte sapiunt, ut videri volunt, aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores praeseferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Nec dum tamen satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus, seu verius caritati, quae urget nos erga fratrem nostrum, *cui omni ope volumus, si adhuc possumus subvenire* (1). Caritas nempe illa urget nos, qua inductus praedecessor noster Caelestinus (2) etiam *contra fas*, seu majori, quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino, milevitanisque Patribus volumus, et optamus homines prava docentes *pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat* (3).

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem praetermissum videretur, praefatum episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis litteris, ad eum jussu nostro datis, ad nos acciendum duximus; polliciti fore, ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur, quin, quae in rem suam facere sibi viderentur, libere, aperteque exprimeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut si quidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in episcopo maxime Augustinus (4) requirebat; cum simpliciter, et candide, omni remota concertatione, et acerbitate recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita, quae visa essent majori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem praeseferrent, aperte repudiare: atque ita magna cum sui nominis existimatione, tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima, qua fieri posset, ratione orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur (5).

Nunc vero cum ille oblato beneficio, incommodae valetudinis nomine, minus utendum sibi esse censuerit, differre jam non possumus, quin apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo, alteriusve dioecesis periculum agitur: *universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur* (6). Undique jam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae apostolicae Sedis judicium. Absit, ut vox Petri in illa unquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem (7). Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare (8). Abscidendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciatur (9). Atque divina opitulante pietate providendum, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur; et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur (10).

Implorato itaque cum assiduis nostris, tum et piorum christifidelium privatis publicisque precibus, Spiritus Sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut praefatum est, cuique appositis notis, et censuris damnandas et reprobandas censuimus; prout hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, et reprobamus.

Sunt autem, quae sequuntur:

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

Ex Decr. de Grat. §. 1.

I. Propositio, quae asserit *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Jesu Christi*,

Haeretica.

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

Epist. Convoc.

II. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas,

Haeretica.

De capitis ministerialis denominatione, romano Pontifici attributa.

Decr. de Fide §. 8.

III. Insuper quae statuit *romanum Pontificem esse caput ministeriale;*

(1) S. Caelest. *Ep.* 14, *ad Populum C. P. n.* 8, *ap. Coust.*
(2) *Ep.* 13, *ad Nestor. n.* 9.
(3) *Epist.* 176, *num.* 4; 178, *num.* 2, *Edit. Maur.*
(4) *L.* 4, *de Bapt. cont. Donat. c.* 5, *et l.* 5, *c.*26.
(5) S. Caelest. *Ep.* 16, *n.* 2, *ap. Coust.*
(6) *Idem Ep.* 21, *ad Episcopos Galliarum.*
(7) S. Chrysol. *Ep. ad Eutychem.*
(8) S. Caelest. *Ep.* 12. *n.* 2.
(9) *Idem Ep.* 11, *Cyrillo n.* 3.
(10) S. Leo M. *Ep.* 23, *Flaviano C. P. n.* 2.

Sic explicata, ut romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiae caput polleat in universa Ecclesia,

Haeretica.

De potestate Ecclesiae quoad constituendam, et sanciendam exteriorem disciplinam.

Decr. de Fide §§. 13, 14.

IV. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione, et corde*; tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis*;

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis, acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda,

Haeretica.

V. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis, suis decretis exigendae, aliter quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi.*

Ex Bened. XIV in Brevi *Ad assiduas*, anni 1755. Primati, archiepiscopis, et episcopis regni Polon.

Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

Jura episcopis praeter fas attributa.

Decr. de Ord. §. 25.

VI. Doctrina synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;* Perinde ac si ad bonum regimen cujusque dioecesis, necessariae non sint superiores ordinationes, spectantes sive ad fidem, et mores, sive ad generalem disciplinam; quarum jus est penes summos Pontifices, et concilia generalia pro universa Ecclesia,

Schismatica, ad minus erronea.

VII. Item in eo quod hortatur episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem*, idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, majori gloriae Dei, et majori aedificationi fidelium*;

Per id quod supponit episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia, et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt, aut probatae, et vim legis obtinent,

Inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

VIII. Item quod et sibi persuasum esse ait, *jura episcopi a J. C. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suae Ecclesiae*;

In eo quod innuit jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suae Ecclesiae,

Inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

Jus perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei, et disciplinae.

Epist. Convoc.

IX. Doctrina quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo, et parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum*,

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi aërianae, a Calvino innovatae.

Ex Ep. Convoc. Ex Ep. ad Vic. For. Ex Orat. ad Syn. §. 8. *Ex Sess.* 3.

X. Item doctrina, qua parochi, aliive sacerdotes in synodo congregati, pronuntiantur una cum episcopo judices fidei; et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

Orat. Synod. §. 8.

XI. Sententia enuntians veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servatu, receptum fuisse *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam majorum sedium non accepta-*

rentur, nisi recognitae fuissent, et approbatae a synodo dioecesana,

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.

Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas.

De Fide §. 12.

XII. Assertiones synodi, complexive acceptae, circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

De pace dicta Clementis IX.

Or. Synod. §. 2, *in nota.*

XIII. Propositio relata inter acta synodi, quae innuit Clementem IX, pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis juris, et facti in subscriptione Formularii ab Alexandro VII praescripti,

Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.

XIV. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et haeresim.

De coagmentatione corporis Ecclesiae.

Append. n. 28.

XV. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum, coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in Spiritu et Veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in Spiritu, et Veritate,

Haeretica.

De statu innocentiae.

De Grat. §§. 4, 7. *De Sacr. in gen.* §. 1. *De Poenit.* §. 4.

XVI. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium,

Falsa, alias damnata in Bajo et Quesnellio, erronea, favens haeresi pelagianae.

De immortalitate, spectata ut naturali conditione hominis.

De Bapt. §. 2.

XVII. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam poenam culpae originalis;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis; quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

De conditione hominis in statu naturae.

De Grat. §. 10.

XVIII. Doctrina synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam J. C. allaturus erat*, tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum*, ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis*,

Doctrina, ut jacet, captiosa: atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere,

Suspecta, favens haeresi semipelagianae.

De conditione hominis sub lege.

De Gratia §. 10.

XIX. Item quae subjungit, hominem sub lege *cum esset impotens ad eam observandam praevaricatorem evasisse*, non *quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit*, superaddilque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris;*

Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est*,

Ex S. Caesario Serm. 73, in Append.
S. Augustini Serm. 273, Edit Maur.
Ex S. Aug. de Nat. et Gr. c. 43.
De Grat. et lib. arb. c. 16.
Enar. in Psal. 56, n. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.

XX. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris, ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis*,

Ex Concil. Araus. II, can. 3.

Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens haeresi semipelagianae.

De gratia illuminante, et excitante.

De Gratia §. 11.

XXI. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori, in nobis dominanti: hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam J. C., inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei;*

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur Filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid. sess. 6, cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur,

Falsa, captiosa, inducens in errorem, in secunda propositione Jansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans.

De fide velut prima gratia.

De Fide §. 1.

XXII. Propositio, quae innuit, fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem, et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia illa, quae *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem*,

Ex S. Aug. de dono persev. c. 16, n. 41.

Suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

De duplici amore.

De Grat. §. 8.

XXIII. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et caritatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere, et corrumpere;

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur Filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur, et corrumpantur: aut opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

Falsa, perniciosa, inducens in errorem, a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Bajo damnatum art. 40, §. 12.

XXIV. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ab bonum *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae imaginis Dei;*

Ex S. August. de Spir. et Litt. c. 28.

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur*, non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur*,

Ex S. Aug. Serm. 349, de Carit. Edit. Maur.

Falsa, alias damnata.

De Timore servili.

De Poenit. §. 3.

XXV. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus, et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem justitiae,

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinae concilii tridentini, tum et communi Patrum sententiae, *opus esse* juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam, *ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas.*

Ex S. August. in Epist. Johan. c. 4, tract. 9, n. 4, 5.

In Johan. Evang. tract. 41, n. 10.

Enarratione in Psal. 127, n. 7.

Sermone 157, de Verbis Apostoli, c. 13.

Sermone 161, de Verbis Apostoli, n. 8.

Sermone 349, de Caritate, n. 7.

De poena decedentium cum solo originali.

De Bapt. §. 3.

XXVI. Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem Limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium, expertem culpae et poenae, inter regnum Dei, et damnationem aeternam, qualem fabulabantur pelagiani,

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adjuncta conditione.

De Bapt. §. 12.

XXVII. Deliberatio synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione,

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

De participatione Victimae in sacrificio missae.

De Euch. §. 6.

XXVIII. Propositio synodi, qua postquam statuit *Victimae participationem esse partem sacrificio essentialem*, subjungit, *non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de Victima participant: et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet,

Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

De ritus consecrationis efficacia.

De Euch. §. 2.

XXIX. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christus post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem panis, et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus: prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei tridentinum concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica,

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.

De applicatione fructus sacrificii.

De Euch. §. 8.

XXX. Doctrina synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii, cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet:* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui elee-*

mosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant;

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem, et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat, ac praecipit Ecclesia, specialim a pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino praecepto descendens a sacra tridentina synodo diserte est expressum,

Sess. 23, c. 1, de Reform.

Bened. XIV, Constit. *Cum semper oblatas*, §. 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

De convenienti ordine in cultu servando.

De Euch. §. 5.

XXXI. Propositio synodi enuntians, conveniens esse pro divinorum officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere,

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc saeculis in Ecclesia praesertim latina vigenti, et probato mori injuriosa.

Ibid.

XXXII. Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae, floresve apponantur,

Temeraria, pio, ac probato Ecclesiae mori injuriosa.

Ibid. §. 6.

XXXIII. Propositio synodi, qua cupere se ostendit, ut caussae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiae, ab Ecclesia receptus et probatus, aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

De ordine poenitentiae.

De Poenit. §. 7.

XXXIV. Declaratio synodi, qua postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adjunctae sunt;*

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta,

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi injuriosa.

De Poenit. §. 10, n. 4.

XXXV. Propositio his verbis concepta: *Si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus caritatis; oportet ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis, et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet praecedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo, et magni momenti opere nostrae reconciliationis;*

Quatenus innuit poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi, ut vera ratio sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis, et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis praecedere debeant absolutionem,

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem, haeretica-li nota in Petro de Osma confixum.

De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

De Grat. §. 15.

XXXVI. Doctrina synodi, qua postquam praemisit: *Quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quae fit in sacramentis*, subdit, *supposititias conversiones, quas fiunt per attri-*

tionem nec efficaces esse solere, *nec durabiles:* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis caritatis dominantis*, *antequam admittat suos poenitentes ad sacramenta:* quae signa, ut deinde tradit (§. 17) *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato*, *et fervore in operibus bonis;* quem insuper *fervorem caritatis* perhibet (*de Poenit.* §. 10) velut dispositionem, *quae debet praecedere absolutionem;*

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiae fontem; nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter, et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et specialim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciae detrahens, et injuriosa.

De auctoritate absolvendi.

De Poenit. §. 10, n. 6.

XXXVII. Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi, accepta per ordinationem enuntiat, *post institutionem dioecesium*, *et parochiarum conveniens esse*, *ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sice ratione territorii*, *sive jure quodam personali*, propterea quod *aliter confusio induceretur*, *et perturbatio;*

Quatenus post institutas dioeceses, et parochias enuntiat tantummodo, *conveniens esse ad praecavendam confusionem*, *ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam,

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

Ibid. §. 11.

XXXVIII. Item doctrina, qua postquam synodus professa est, *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis*, *quae*, ut ait, *ad poenitentiam non ita facile*, *et forte nunquam eum admittebat*, *qui post primum peccatum*, *et primam reconciliationem relapsus esset in culpam;* subjungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione*, *et pace*, *etiam in articulo mortis magnum fraenum illis injectum iri*, *qui parum considerant malum peccati*, *et minus illud timent*,

Contraria can. 13 Concilii Nicaeni I, decretali Innocentii I ad Exuperium Tholos., tum et decretali Caelestini I ad Episcopos Viennen. et Narbonen. Provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

De peccatorum venialium confessione.

De Poenit. §. 12.

XXXIX. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones,

Temeraria, perniciosa, sanctorum, ac piorum praxi, a sacro Conc. Trid. probatae contraria.

De indulgentiis.

De Poenit. §. 16.

XL. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus poenitentiae*, *quae per canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam,

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.

Ibid.

XLI. Item in eo quod subditur, *scholasticos*, *suis subtilitatibus inflatos*, *invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum*, *et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam*, *et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias non sint merita Christi et Sanctorum,

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17, Lutheri damnata.

Ibid.

XLII. Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimeraea isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos*,

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.

Ibid.

XLIII. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.,

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices, atque in praxim, tota Ecclesia frequentatam, contumeliosa.

De reservatione casuum.

De Poenit. §. 19.

XLIV. Propositio synodi asserens, *reservationem*

casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus, assuetis non admodum curare hanc reservationem,

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

Ibid.

XLV. Item de spe quam ostendit fore, *ut reformato Rituali, et ordine poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint hujusmodi reservationes;*

Pront attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis, et ordinis poenitentiae, factam ab episcopo, vel synodo, aboleri posse casus, quos tridentina synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema, potestate sibi in universa Ecclesia tradita, peculiari suo judicio reservare,

Propositio falsa, temeraria, concilio tridentino, et summorum Pontificum auctoritati derogans, et injuriosa.

De censuris.

De Poenit. §§. 20, 22.

XLVI. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae;*

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in Coelo, animas obligans,

Ex S. Aug. Ep. 250, Auxilio Episcopo, tract. 50, in Johan. *n.* 12,

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

§§. 21, 23.

XLVII. Item quae tradit, necessarium esse juxta leges naturales, et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu,

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati injuriosa, erronea.

§§. 22.

XLVIII. Item quae pronuntiat, *inutilem, ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset,*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae injuriosa.

§. 24.

XLIX. Item quae damnat ut nullas, et invalidas *suspensiones ex informata conscientia,*

Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.

Ibid.

L. Item in eo quod insinuat, soli episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1, de Ref.) suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae,

Jurisdictionis praelatorum Ecclesiae laesiva.

De ordine.

De ordine §. 4.

LI. Doctrina synodi, quae perhibet, in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset: neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est;*

§. 5.

LII. Item quae innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in concilio calcedonensi: subjungens (§. 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii;

§. 7.

LIII. Item quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§. 3), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta, et instituta,

1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt,

2. Sive quibus pro ecclesiarum necessitate, et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco, ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit,

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter, et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent,

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis, pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti, perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam injuriosa.

§. 13.

LIV. Item quae velut turpem abusum notat nu-

quam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis, et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum, et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo, accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur,

Falsa, temeraria, ecclesiastici, ac pastoralis juris laesiva, in Ecclesiam, ejusque ministros injuriosa.

§. 14.

LV. Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus, et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis, et aliis officiis velut acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia, non ad meram speciem pro majoribus ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur, exerceanturve, qui in illis constituti, adscriptive sunt* (Concil. Prov. IV, Mediol.): idque ad mentem Tridentini (sess. 23, c. 17), *ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquandiu intermissae, juxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur.*

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera, et functiones, tum in disciplinam per canones, et specialim per Trid. probatam injuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.

§. 18.

LVI. Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

Aequitatis, et moderationis canonicae a sacro concilio tridentino probatae laesiva, auctoritati, et juribus Ecclesiae derogans.

Ibid. §. 22.

LVII. Praescriptio synodi, quae generaliter, et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni, eidemque conferatur: item in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini, sess. 7, c. 5, et sess. 24, c. 17.

De sponsalibus, et matrimonio.

Libell. Memor. circa sponsalia, etc. §. 2.

LVIII. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae,

Falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

De Matrim. §§. 7, 11, 12.

LIX. Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia;* quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens, *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum; quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium; in eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12, sess. 24, Concil. Trid. eversiva, haeretica,

Cit. Libel. Memor. circa Sponsal. §. 10.

LX. Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani;* tum ut *restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem, et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;*

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta, Ecclesiae auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis,

Libertatis, ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus,

Et primum de adoranda humanitate Christi.

De Fide §. 3.

LXI. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi; perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una, eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex Concil. C. P. V. Gen. Can. 9.

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito, ac praestando detrahens, et injuriosa.

De Orat. §. 10.

LXII. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata,

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.

De Orat. §. 10. *Et Append. n.* 32.

LXIII. Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe Personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro,

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis.

De Orat. §. 14. *Append. n.* 34.

LXIV. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum, et piarum salutationum;*

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae, certum numerum precum, vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro, et religioso cultu rite, et ex ordine peragendo,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

De Poenit. §. 10.

LXV. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia, vel missiones... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura,*

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.

De modo jungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

De Orat. §. 24.

LXVI. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim, et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiae;*

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae,

Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

De lectione Sacrae Scripturae.

Ex nota in fine Decr. de Gratia.

LXVII. Doctrina perhibens a lectione Sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare;* subjungens ultro se prodere obscurationem, quae ex hujusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis.

De Orat. §. 29.

LXVIII. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum quesnellianis erroribus faventium opera, licet pro-

scripta; eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant,

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae injuriosa, schisma fovens, et haeresim.

De sacris imaginibus.

De Orat. §. 17.

LXIX. Praescriptio, quae generaliter, et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.

Ex Brevi *Sollicitudini nostrae* Benedicti XIV, an. 1745.

LXX. Item doctrina, et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini injuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. Aug. Ep. 78, Clero, Senioribus, et universae Plebi Ecclesiae Hipponen.

LXXI. Item quae vetat, ne imagines praesertim beatae Virginis ullis titulis distinguantur praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat, et commendat,

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi beatae praesertim Virgini debitae injuriosa.

LXXII. Item quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines,

Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

De Festis.

Libell. Memorial. pro Fest. reform. §. 3.

LXXIII. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae, et finis earumdem solemnitatum originem duxisse,

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae injuriosa, favens haereticorum in dies festos, per Ecclesiam celebratos, conviciis.

Ibid. §. 8.

LXXIV. Deliberatio synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis: idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod supperaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis, per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis, jejuniisve celebrandis: aut indictum missae audiendae praeceptum abrogare,

Propositio falsa, juris conciliorum generalium, et summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

De Juramentis.

Libell. Memorial. pro Juram. reform. §. 5.

LXXV. Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae juramenta visa esse a documentis Divini Praeceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema, et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus:* insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse:* indeque progreditur ad improbanda juramenta, quae curia ecclesiastica, jurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta in investituris, et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit: statuitque adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis juramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis, et officiis, et generatim pro omni actu curiali,

Falsa, Ecclesiae injuriosa, juris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae, et probatae subversiva.

De Collationibus Ecclesiasticis.

De Collat. Ecclesiast. §. 1.

LXXVI. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et laxismum;*

Qualenus in scholasticam rejicit privalorum vitia, qui abuti ea potuernnt, aut abusi sunt,

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros, et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

Ibid.

LXXVII. Item in eo quod subdit, *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum jurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis*;

Quasi per mutationem regiminis, congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae, et probatae obliterari unquam potuerit, et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis,

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§. 4.

LXXVIII. Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in Collationibus: qua posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem, et ad essentiam religionis ab eo, quod est proprium disciplinae*, subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo, quod est inutile, aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem, et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et praescripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam, et probatam; quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem, et materialismum,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae, ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.

Orat. ad Synod. §. 2.

LXXIX. Assertio, quae conviciis, et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit.

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.

De tribus regulis, fundamenti loco a synodo positis pro reform. Regularium.

Libell. Memorial. pro reform. Regularium §. 9.

LXXX. Regula I, quae statuit universe, et indiscriminatim *statum Regularem, aut Monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis,*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae Patres, et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa; pio, vetusto, probato Ecclesiae mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria: *quasi monachi quos morum gravitas, et vitae, ac fidei institutio sancta commendat*, non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *clericorum officiis aggregentur*.

Ex S. Siricio Epist. Decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.

LXXXI. Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam, et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines Mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio major desideranda fuisset,

Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

LXXXII. Regula II. *Multiplicationem Ordinum, ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem, et confusionem:* item in eo quod praemittit §. 4, *Regularium fundatores*, qui post monastica instituta prodierunt, *Ordines superaddentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de Ordinibus, et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem, et confusionem parere debeat,

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores, eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.

LXXXIII. Regula III, qua postquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit, in statu semper esse periculosum*, subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno

praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas, et noxias,

Falsa, temeraria, Regularibus institutis a sancta Sede ad religionis profectum approbatis injuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus, et calumniis.

De systemate, seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione Regularium.

§. 10.

LXXXIV. Art. 1. *De uno duntaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae ceteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius Ordinis merita: sic tamen ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum-regium lucem praeferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic Ordini adjunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam curati, vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda; relicto tamen congruo tempore, psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces; tantumdem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque Regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a communitatibus Regularium spiritum caritatis expulit.*

6. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio, et christianismi ornamentum extiterunt. Vota castitatis, paupertatis, et obedientiae non admittentur instar communis, et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium, et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: ad ipsum pertinebit monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

8. *Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio, et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. 2 statuta; sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duae in diem missae celebrentur, satisque ceteris sacerdotibus esse debeat una cum Communitate concelebrare.*

Item pro reformatione Monialium.

§. 11.

Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, specialim labori addicendae: a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae: expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui,

Systema vigentis atque jam antiquitus probatae, ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis, et plurium conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum, et injuriosum; favens haereticorum in monastica vota, et regularia instituta, stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.

De nationali concilio convocando.

Libell. Memorial. pro convoc. Concil. National. §. 1.

LXXXV. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes, in Ecclesia quacumque subortae, per nationale concilium irrefragabili judicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret,

Schismatica, haeretica.

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus christifidelibus, ne de dictis propositionibus, et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant, contra quam in hac nostra constitutione declaratur: ita ut quicumque illas, vel earum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice, vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis poenis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Ceterum per hanc expressam praefatarum propositionum, et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus: cum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae sive illis, quae supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae cum doctrinae, et disciplinae temerarium contemptum, tum maxime infensum in romanos Pontifices, et apostolicam Sedem animum praeseferunt.

Duo vero specialim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio §. 2 Decreti de Fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum postea quam rite praemisit Deum in suo Esse unum, et simplicissimum permanere, continuo subjungens, ipsum Deum in tribus Personis distingui, perperam discedit a communi, et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus Personis distinctis dicitur, non in tribus Personis distinctus: cujus formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in Personis putetur; quam fides catholica sic unam in Personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus Divinis Personis tradit, eas secundum earum proprietates personales, et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum: quasi minus propria, et exacta foret appellatio Filii tot Scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis, et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset, quod edoctus ab Augustino Angelicus Praeceptor (1) vicissim ipse docuit *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quae in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino (2), *eo dicitur Verbum, quo Filius.*

Neque silentio praeterenuda insignis ea, fraudis plena synodi temeritas, quae pridem improbatam ab apostolica Sede conventus gallicani declarationem an. 1682, ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum, *de fide* inscriptum, insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica, et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam praedecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio; sed et ipsimet gallicanae ecclesiae non levis injuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem quae acta conventus gallicani, mox ut prodierunt praedecessor noster Ven. Innocentius XI, per litteras in forma Brevis die 11 aprilis an. 1682, post autem expressius Alexander VIII, Constit. *Inter multiplices* die 4 augusti an. 1690, pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla, et irrita declararunt; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum, factam in synodo, tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita praedecessorum nostrorum decreta, huic apostolicae Sedi summopere injuriosam reprobare, ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus, et damnamus, ac pro reprobata, et damnata haberi volumus.

Ad id genus fraudis pertinet, quod synodus in hoc ipso decreto de fide quampiures articulos complexa, quos lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI judicium detulerunt; tum et alios duodecim a Card. de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo ultrajectensi concilio vanum, vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis jactare in vulgus; nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subjectos fuisse, et non solum a quacumque censura immunes extisse, sed etiam a laudatis romanis Pontificibus fuisse commendatos: cujus tamen assertae commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur Acta examinis, quae in nostrae supremae inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse judicium.

Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus: *Atti, e Decreti del Concilio Diocesano di Pistoja dell'Anno MDCCLXXXVI. In Pistoja per Atto Bracali Stampatore Vescovile. Con approvazione*, sive praemisso, sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque idiomate, quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut imprimendum,

(1) S. Th. 1. *P. q.* 34, *art.* 2. *ad* 3.
(2) Aug. de Trinit. *l.* 7, *c.* 2.

auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus, et damnamus: quemadmodum etiam alios omnes libros in ejus, sive ejus doctrinae defensionem, tam scripto, quam typis forsan jam editos, seu, quod Deus avertat, edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis christifidelibus sub poena excommunicationis, per contra facientes ipso facto incurrendae, prohibemus pariter, et interdicimus.

Praecipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, aliisque locorum ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles quoscumque per censuras, et poenas praefatas, aliaque juris, et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coerceant, et compellant.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, quinto calendas septembris, pontificatus nostri anno vigesimo.

PH. CARD. PRODATARIUS. R. CARD. BRASCHIUS DE HONESTIS.

V I S A

De Curia J. Manassei.
Loco ✝ Piumbi.

F. Lavizzarius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, indictione duodecima, die vero trigesima prima augusti, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Pii Divina providentia papae sexti anno vigesimo supradictae Litterae Apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad Valvas Basilicae Lateranen., et Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, Curiae Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis, et consuetis Urbis per me Joannem Renzoni Apostolicum Cursorem.

Felix Casteliacci Magister Cursorum.

DALLA PREFAZIONE

del tomo XIV della Collezione Romana

Noi non faremo, che esattamente, e cogli stessi termini, riportare la relazione che del sinodo pistojese, e della sua condanna, si legge nelle già altre volte da noi citate Memorie *Francesi* sulla Storia Ecclesiastica del Secolo XVIII (1), *nelle quali sarebbe la più capricciosa, e bizzarra fantasia del mondo, il pur sospettare, o sognar punto di curialismo romano. Il luogo della stampa, la qualità dell' autore, la riputazione, che gode l'opera in Francia, ne escludono fin l'ombra. L'edizione è fatta in Parigi, sono tre anni incirca. L' autore è uno de' più rispettabili membri, anzi de' più illustri vescovi attuali della chiesa gallicana* (2); *per lasciare i suoi personali pregi d' esimia dottrina e pietà, resi conti in altre sue opere applauditissime* (3), *e sommamente edificanti. La riputazione dell' opera, bastantemente si può vedere quanto sia universale, e luminosa, ne' tanti Giornali di quella gran nazione, che unanimi ne han reso conto onorevolissimo.* Un solo tra essi si è permesso qualche critica (4), *come s' esprime un altro. Ma, oltrechè quivi tutte veggonsi con non minor forza, che modestia, confutate dall' autore istesso delle* Memorie, *sì fatte critiche; niuna di queste cade sulla veracità della storia del sinodo pistojese: e tanto è lungi, che vi sieno favoriti punto quei settarj, delle cui massime e novità quello è intessuto, che vi sono anzi chiamati* d' absurdes facticuses (5).

Ma eccovi senza più la promessa relazione, che può servire di gran lume a que' leggitori, che fossero o poco o male istrutti in questa parte tanto importante dell' ecclesiastica istoria de' nostri tempi: Le 18 septembre (*an.* 1786) ouverture du synode de Pistoje en Toscane. M. de Ricci l'avoit convoqué ... Comme il n' eût pas trouvé dans son diocèse tous les prêtres disposés en sa faveur, il fit venir de differents côtés de ses affidés. Il appela de Pavie, de cette école fertile alors en amis de la nouveauté, et ou Natali, Tamburini, Zola, et autres se disputoient la palme, il appela, dis-je, le professeur Tamburini, dont il fit le promoteur du synode, quoiqu' il n' eût aucun droit d' y assister. D' autres hom-

(1) Mémoires pour servir a l' Histoire Ecclesiastique pendant le dix-huitième siècle. A Paris chez Andrien le Clerc . . . quai des Augustins, n. 35, MDCCCVI.

(2) *Monsignore Jauffret, già gran Vicario di S. A. Eminentissima il signor Card. Fesch, ed ora Vescovo di Metz.*

(3) *I libri da Mons. Jauffret, che sappiamo, dati alla luce sono:* De la Religion, aux François: Discours — Du Culte public, ou de la Nécessité du Culte public en général, et de l' excellence du Culte Catholique en particulier — l' Adorateur en esprit et en vérité, etc.

(4) *Veggasi il riputatissimo Giornale di Parigi intitolato:* Mélanges de Philosophie, d' Histoire, de Morale, et de Littérature, tome cinquième, 19 livraison; *ove è per intero riportato l' articolo, con cui sono in alcuni punti criticate* le Memorie, *colla difesa trionfante, che ne fa il ch. autore.*

(5) *Ivi pag. 514.*

mes, connus en Italie pour leurs sentimens . . . . vinrent aider l'évêque . . . Un des membres prononça le discours, qui renfermoit toutes les maximes qu'on alloit adopter ; car on se doute bien que tous les décrets étoient dressés d'avance, et qu'on n'auroit pu, dans l'espace de dix jours que dura l'assemblée, preparer et rediger toutes les matières qui y furent traitées. Tamburini étoit peut-être le rédacteur et le faiseur de tous ces décrets. Il y avoit à la première séance deux cent trente-quatre prêtres. Le 20, on lut deux décrets qui avoient été adoptés la veille dans une congregation particulière. Le premier traitoit de la Foi, et de l'Eglise ; et le second de la grace, de la prédestination et des fondemens de la morale. Dans l'un on disoit que *la foi est la première grace*, et qu'il survient de temps en temps dans l'église des jours d'obscuroissement et de tenèbres; et l'on copioit tout ce qu'avoient dit les appelans françois contre les dernières décisions de l'Église. Ce décret finissoit par l'adoption des quatres articles du clergè de France en 1682 (1). Le second commençoit par assurer, qu'*il s'est répandu dans ces derniers siècles un obscurcissement général sur les vérités les plus importantes de la religion, qui sont la base de la foi, et de la morale de Jésus-Christ.* Cette seule proposition, digne d'un synode luthérien, suffiroit pour révolter les catholiques: mais le conventicule de Pistoie ne se borna pas à cette erreur palpable. Il adopta ensuite, etc. (2).

Prosegue l'Istorico a riferire, e con sensatissime riflessioni a notare le principali novità adottate in questa sessione, e quindi nelle seguenti ; ed altresì i varj fatti intermedj, che fanno vedere quale spirito dirigesse quell'assemblea. Ma non è necessario all'uopo nostro, e sarebbe troppo lungo il farne qui la ripetizione ; massimamente perchè, quanto alle dottrine, che quelle sono, che più importa di ben conoscere, si possono meglio riscontrare nella Bolla istessa, che riportiamo qui appresso per intero, come abbiam fatto nel tomo XII della costituzione; Super Soliditate, *avanti la confutazione di due libelli, contro d'essa diretti. Così egli adunque conclude la storia del sinodo :* La dernière session fut célébrée le 28. L'évêque y remercia ses curés, qu'il admit à lui baiser la main, et leur annonça, que pour se premunir contre l'esprit de domination, il alloit nommer un conseil composé de huit prêtres pour lui aider à régir son diocèse. Ainsi finit ce synode, que dans un certain parti il est d'usage d'appeler concile, quoique cette expression soit communement réservée aux assemblées d'évêques (3).

Passa poi a suo luogo, cioè sotto l'anno 1794, *a darci la storia della condanna.* On se rappelle, *egli dice*, qu'il s'étoit tenu a Pistoie, en 1786, un synode diocésain, où l'évêque Ricci avoit fait adopter les maximes les plus propres à troubler l'église, et les erreurs d'un parti indocile et remuant. Ce prélat novateur avoit été obligé depuis de donner sa démission, au grand contentement d'un peuple qu'il tourmentoit dans sa foi. Mais les actes de son synode avoient été imprimés et répandus de toutes parts. On les prônoit comme s'ils eussent *été les dècisions* d'un

(1) *Per sempre più convincersi, con quanta ragione fu nella Bolla* Auctorem Fidei *riprovata l'adozione, che* nel Decreto della Fede *il sinodo pistojese fatta avea di questi articoli, leggansi gli* Anecdoles sur l'Assemblée de 1682 *tra i* Nuovi Opuscoli *dell'abbate Fleury, assai interessanti, stampati a Parigi presso la Vedova Nyon l'anno* 1807.

(2) *Memoires, etc Tome second. pag.* 278, 279 *e* 280.

(3) *Ivi pag.* 283.

concile général ; et cette assemblée presbytérienne comptoit en Italie un assez grand nombre de partisans qui en celèbroient la doctrine, et en relevoient l'autorité. Pie VI se crut donc obligé d'opposer un rempart à l'erreur. Il avoit déjà fait examiner les actes du synode par quatre évêques et trois théologiens . . . Depuis une congrégation, composée de cardinaux et d'évêques, fut encore chargée de donner des suffrages sur les actes. Ricci fut invité à venir à Rome pour exposer ses raisons, et entendre les réponses qu'on avroit à y faire; mais il refusa, en alléguant sa mauvaise santé. Enfin après un long travail et un examen serieux des actes de Pistoie, après avoir ordonné à cet effet dans Rome des prières publiques et particulières, Pie VI se rendant aux demandes réiterées, qui lui étoient faites, d'un jugement sur cet objet, donna le 28 août la Bulle qui commençoit, etc. (1).

Segue una breve analisi della Bolla, e al fine conclude : Telle est cette Bulle célèbre, qu'avoient rendu necessaire les dangers, et les progrès des erreurs qu'elle combat. La sagesse, l'exactitude, et la précision qui ont dicté ce jugement, lui ont merité l'assentiment de toute l'église... M. Solari, évêque de Noli, dans l'Etat de Gènes, est peut-être le seul évêque catholique, qui ait montré pour cette Bulle une opposition publique, et formelle, et qui ait écrit contre. *Il a été réfuté par le card. Gerdil, qui, en discutant les décrets et propositions condamnés, a prouvè que l'opposition du prélat génois étoit sans fondement, et ses motifs sans solidité.* D'ailleurs il est bon d'observer que M. Solari convenoit lui-même s'être écarté en cette occasion des principes et de l'exemple de ses collègues. C'est un triste prèjugé contre un évêque, que de se séparer du corps épiscopal, et de son chef. Un ecrivain italien (2) appuya de tous ses efforts l'opposition de M. Solari, et donna en sa faveur des ècrits où il se montre fidèle copiste et admirateur des jansenistes françois. Il les imitoit dans leurs invectives comme dans leurs sophismes, et disoit que la Bulle.... *Le card. Gerdil répondit à ses sophisme.* Un autre antagoniste se mit aussi sur les rangs pour combattre la nouvelle Bulle. Le Plat . . . . (3). Il ne semble pas, que de pareils ècrits puissent être d'un gran poids, ni qu'une aussi feible opposition puissent affeiblir l'autorité d'un jugement, que sa nature, son importance, le tribunal dont il èmane, et l'assentiment de l'église, ont mis au nombre de ces décisions solides lumineuses, et *irrèformables*, destinèes à confondre l'erreur et à maintenir dans sa puretè le depôt sacrè de la doctrine et de la veritè (4).

L'epoca de' fatti riguardanti la Bolla Auctorem Fidei, *è a noi così vicina, che i più de' viventi, per poco che siansi interessati della storia ecclesiastica del tempo, non possono nella quanto sugosa, altrettanto nitida, ed ingenua relazione, or ora esposta, non ravvisare (nelle cose sostanziali almeno) la più esatta, e scrupolosa verità. Quanto*

(1) *Memoires, etc. Tome second, pag.* 452 *e* 453.

(2) *Cioè l'anonimo editore de'* Motivi dell'opposizione *di monsignore di Noli, ed Autore* delle Riflessioni preliminari. *Chi sia quest' anonimo, lo palesa il dotto P. Anfossi nella Prefazione alla sua Opera seguente (pag.* 6).

(3) *Ne ha fatta una speziale confutazione il testè lodato Religioso coll' Opera intitolata :* Risposta del P. F. Filippo Anfossi Domenicano alle Lettere del Sig. De La Plat, e alle Opposizioni di alcuni altri Teologi, che hanno preteso d'impugnare la Bolla *Auctorem Fidei*, in cui dal Rom. Pont. Pio VI si condanna il sinodo di Pistoja : In Roma nella Stamp. Pagliarini 1805. *Tomi due.*

(4) *Ivi pag.* 456 *e seg.*

poi al merito delle apologie della Bolla medesima, comprese sotto il titolo dell' Esame, *che in questo volume si ristampa, il solo nome dell'Autore, a chiunque, che come voi, religioso lettore, gustate, ed ammirate abbia le altre sue opere, bastar dee senza più per darne, se già non le fosser note, la più vantaggiata prevenzione. Non è però picciol momento a raffermarla il giudizio intorno ad esse proferito in una Storia ecclesiastica, quale si è la da noi citata, tanto universalmente applaudita. Dopo la testimonianza d'uno scrittore francese, per dottrina, religione, e dignità, così cospicuo, sarebbe soverchia fatica cercare, e raccorre quelle d'altri scrittori, e teologi, che ne hanno medesimamente favellato, come di scritti classici, e vittoriosi. Solo ci sia permesso d'aggiungerne una d'un altro teologo francese, celebre per la sua opera, intitolata:* Parallèle des Religions, *cioè del ch. sig. Brunet, morto in Parigi, non ha molto, nel grado di vicario generale dell'inclita Congregazione della Missione: il quale, dopo aver nel volume II del suo Corso Teologico, nello scarso ruolo de' sommi scrittori di teologia del secolo XVIII, collocato il nostro autore* (1); *non molto dopo parla in particolare dell'opera presente in questi termini:* Pius VI, Bulla: *Auctorem Fidei*, an. 1799 edita et promulgata, quinque et octoginta articulis quamplurimas propositiones excerptas ex libro italico idiomate impresso sub titulo: *Atti, etc.* distincto et explicate damnavit; cujus Bullae irrefragabilem auctoritatem luculente, nec solum extrinsecus, sed etiam ex ipsis rei visceribus, vindicavit doctissimus et piissimus cardinalis H. Gerdil opere inscripto: *Esame, etc.* (2).

Da tutte queste cose può chicchessia agevolmente giudicare, quanto la causa del sinodo pistojese sia lontana da quella della celebre assemblea del clero di Francia del 1782, *con cui non senza maliziosissima scaltrezza si pretenderebbe accomunarla, e confonderla; a quale dei due faccia veramente torto lo sprezzo indecentissimo, col quale mons. Solari tiene, o affetta di tenere le cose dall' Eminentissimo Gerdil pubblicate contro i suoi* Motivi *d'opposizione alla Bolla: e di qual conio finalmente esser debba la replica, che dopo la morte del Cardinale, ha egli stampata sotto il titolo di sua* Apologia.

N. B. Por la ritrattaziono di monsignor Ricoi deonsi vedero gli *Analecta juris pontificii*, Roma gennaio 1854 pag. 628, e di nuovo 650 e seg.

(1) Elementa Theologiae ad Scholarum Omnium Catholicorum usum ordine novo aptatae ab uno ex Sacerdotibus Congregationis Missionis; tomus secundus; Romae 1802, typis Lazzarini, *a pag. 38, nella Nota (a).*

(2) *Ivi a pag. 40 nella Nota (b). Nè questa volta sola, ma sovente, questo illustre Teologo, parla collo più alta stima dell'* Esame, *e fa uso delle dottrine in esso spiegate. Veggansi tra gli altri luoghi nell'istesso secondo volume a pag.* 134 *le Note* 2 *e* 3, *a pag.* 135 *le Note* 4 *e* 5, *etc. e nel volume V a pag.* 164, *etc.*

PRELUDIO
ALLA CONDANNA
DEL
SINODO PISTOJESE

Frammento Primo (1)

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA.

I. Propositio, quae asserit *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Jesu Christi*,

Haeretica.

ADNOTATIO.

Aug. lib. 2, cont. Gaudentium Donatisi. Episcopum, c. 6, n. 6: » Qui autem habeant fidem » tanquam granum sinapis, qua montes etiam » transferantur, rarissimi omnino sunt. De ta» li enim fide Dominus dicebat: *Putas veniet* » *Filius hominis, et inveniet fidem in terra?* » Non de apostasia totius orbis, sicut tu per» versissime intelligis ».

Aug. de Moribus Ecclesiae catholicae, l. 1, c. 30. » (Apostrophe ad Ecclesiam, totius sa» pientiae magistram). »

De vera religione cap. 6. » (Vera religio in » sola Ecclesia catholica) ».

Confess. l. 4, c. 16, n. 31: » Aut quid tan» tum oberat parvulis tuis longe tardios inge» nium, cum a te longe non recederent, ut » in nido Ecclesiae tuae tuti plumescerent, et » alas caritatis alimento sanae fidei nutrirent »?

L. 7, c. 19, n. 25: » Improbatio quippe haere» ticorum facit eminere quid Ecclesia tua sen» tiat, et quid habeat sana doctrina ».

Retract. l. 2, c. 18: » Ubicumque autem in » his libris commemoravi *Ecclesiam non haben-* » *tem maculam, aut rugam*, non sic accipien» dum est, quasi jam sit, sed quae praepara» tur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. » Nunc enim propter quasdam ignorantias et » infirmitates membrorum suorum, habet un» de quotidie dicat: *Dimitte nobis debita no-* » *stra* ».

De morib. Eccl. Cathol. lib. 1, c. 34, n. 76: » Nunc vos et illud admoneo, ut aliquando Ec» clesiae catholicae maledicere desinatis, vitupe» rando mores hominum, quos ipsa condemnat, » et quos quotidie tanquam malos filios corri» gere studet ».

Ambr. Enar. in psal. 118, serm. 5, n. 7: » Si» cut lilium inter spinas eminet; ita super » omnes conventus Ecclesia Dei refulget ».

Vide Homil. s. Hilarii in Breviar. die 19 septembris ex Comment. in Matth. (2 lect. 3 noct.) Confirmat igitur eos.

» Atque his quidem vexationibus multi tur» babuntur. Et falsi prophetae erunt, multos» que ementita veritate pervertent, et abun» dante nequitia, charitas refrigescet. Sed us» quo in finem perseverantibus, salus reserva» ta est: ac tum per omnes orbis partes viris » apostolicis dispersis, Evangelii veritas prae» dicabitur ».

August. de vera religione, cap. 6: » Haec enim Ecclesia catholica per totum orbem valide lateque diffusa, omnibus errantibus utitur ad provectus suos, et ad eorum correctionem cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suae, haereticis ad probationem doctrinae suae, schismaticis ad documentum stabilitatis suae, judaeis ad comparationem pulchritudinis suae. Alios ergo luvitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: omnibus tamen gratiae Dei participandae dat potestatem; sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Carnales autem suos, id est, viventes aut sentientes carnaliter, tanquam pa-

(1) Togliamo questa preziosa memoria dalle stampa romana, intitolata *Analecta juris pontificii*, ottobre 1853. D. A. M.

leas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est; tamdiu sustinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Exciunt autem aut poenitendo redeunt; aut in nequitiam male liberi defluunt, ad admonitionem nostrae diligentiae; aut schisma faciunt, ad exercitationem nostrae patientiae; aut haeresim aliquam gignunt, ad examen sive occasionem nostrae intelligentiae. Hi sunt exitus christianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi, aut sustineri ».

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIAE ATTRIBUTA, UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR.

II. Propositio, quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum:* sic intellecta ut a communitate fidelium in pastores derivetur ministerii, ac regiminis potestas,

Haeretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA.

III. Insuper quae statuit *romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicata, ut romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia,

Haeretica.

ADNOTAT. AD PROPOS. II ET III.

Ex dicto (perperam tamen intellecto) Augustini, claves Petro datas esse ut gerenti personam Ecclesiae, non pauci doctores, ex Gallis praesertim, inter quos etiam Nat. Alex. colligit claves *immediatius* Ecclesiae, quam Petro datas esse. Notandum porro non proinde negare istos, quin simul etiam *immediate* Petro claves datae sint a Christo. Nec negare possunt, quin sibi contradicant apertissime. Quamvis enim profiteantur claves immediatius Ecclesiae datas esse quam singulis pastoribus; non propterea negant, immo acerrime contendunt singulos episcopos jurisdictionis etiam et clavium potestatem immediate accipere a Deo.

Quod si haec supposita immediata communicatio potestatis clavium facta Ecclesiae non impedit, quin singuli pastores immediate a Christo accipiant potestatem non ordinis modo sed et jurisdictionis; multo minus impedire potest, quin et in hac ipsa hypothesi Summus Pontifex dicatur immediate accipere potestatem regiminis, quae ipsi ut capiti Ecclesiae competit in universa Ecclesia. Quod singulari Opusculo invictissime demonstrandum sumpsimus.

Jam quod ab Augustino dictum est: Petro Ecclesiae claves datas esse prout gerebat personam Ecclesiae, ipsamque unitatem in persona Petri accepisse claves; id quidem congruentissime notatum est ab Augustino ad revincendum errorem eorum, qui ligandi atque solvendi potestatem sic Petro datam intelligi volebant, ut in ipsa persona Petri haereret, non in futurum tempus proroganda, nec adeo in Ecclesia permansura; contra quos egregie defendit S. Pater claves, cum Petro datae fuerint, ut personam Ecclesiae gerenti; ita datas esse, ut eas Ecclesia in ipsa Petri persona simul acciperet, adeoque perpetuo in Ecclesia permanerent. Circa modum vero, quo Ecclesia claves in persona Petri acceperit, nihil est in dictis Augustini quod vel minimum repugnet vel Optato Milevitano testanti, Petrum solum claves accepisse, caeteris communicandas; vel antiquiori Tertulliano ajenti (Scorp. n. 73), *Claves Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse;* aut Leoni Magno, praedicanti Christum nonnisi per Petrum dedisse quod reliquis principibus non negavit. Immo in hanc eamdem sententiam aptissime cadit, quod idem Augustinus expresse declarat, claves *primitus* Petro datas esse. Si primitus, ergo immediate; ergo Ecclesia, cujus personam Petrus gerebat, per Petrum accepit quod primitus Petro datum est. Ergo non ab Ecclesia in Petrum derivari potuit ea potestas, quae primitus in Petro fuit, in Ecclesiam derivanda.

(V. Tournelii de pocult. Q. 2, art. 1. Dicebant quarto.)

Ad Coloss. I, v. 7: » Sicut didicistis ab Epa» phra charissimo conservo nostro, qui est fi» delis pro vobis minister Christi Jesu.

I Cor. c. 3: » Quid igitur est Apollo? Quid » vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis ».

S. Ambr. in Evang. Luc. l. 8. Nota (ad num. 73) Editorum. » Dicitur hoc loco populus sacer» dotium detinuisse, quod nimirum Ambrosium » *ordinari*, ut Paulinus testatur, *mirabili et* » *incredibili concordia consensisset;* non quod » ei contulisset ordinem aut jurisdictionem. » Illa quippe nequaquam inter se confunden» da sunt, quod haeretici faciunt ut legitimita» tem missionis ac potestatis ministrorum suo» rum quoquo modo videantur defendere, sed » ordinationem per quam confertur jurisdictio » nunquam nisi ab Episcopis in Ecclesia catho» lica peractam esse extra dubium est ».

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD CONSTITUENDAM, ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM.

IV. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo, id quod pendet a persuasione, et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis,*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore constituenda, et sancienda,

Haeretica.

V. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis, suis decretis exigendae aliter, quam per media, quae pendent a persuasione,

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia, et suasiones; sed etiam jubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore judicio, ac salubribus paenis coercendi, atque cogendi,*

Ex Bened. XIV, in Brevi *Ad assiduas*, anni 1755, primati, archiepiscopis, et episcopis regni Polon.

Inducens in systema alias damnatum, ut haereticum.

ADNOTAT. AD PROP. IV ET V.

Affirmat synodus pistoriensis potestatem Ecclesiae non extendere sese ad res exteriores: atque ubi agit de censuris pariter affirmat excommunicationem non habere ulsi effectus mere exteriores: aliunde in *Apologia contra 14 Epos* etc., pag. 122, Excommunicatio expresse dicitur *paena esse et medicina mere spiritualis.* Hinc argumentum: Ecclesia, fatente synodo, habet auctoritatem ferendae excommunicationis. Atqui excommunicatio est poena habens effectus exteriores. Ergo Ecclesiae auctoritas extendit se ad res etiam exteriores.

Item excommunicatio est poena mere spiritualis. Atqui excommunicatio nihilominus habet effectum exteriorem. Ergo paena etiam spiritualis effectum habet exteriorem.

S. Aug. Epist. 55, n. 34: » Sicut de hymnis » et psalmis canendis, cum et ipsius Domini, et » Apostolorum habeamus documenta, et exem- » pla, et praecepta ».

S. Cyprianus ad clerum et plebem Turnilanorum, de Victore qui Faustinum presbyterum tutorem nominavit: » Et ideo Victor, cum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere; non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur, ut sacerdotum decretum religiose et necessarie factum servetur ». Ecclesiae decretum de tutela clericis non committenda (etsi tum nulla civili lege prohiberentur), quae tamen res ad exteriorem disciplinam pertinebat.

S. Ambr. in Ev. Luc. l. 8, n. 76: » Sed malumus eum qui talis est, publice monere, » quam domestice coercere ». Hinc intelligas episcopis olim non solum admonendi, verum etiam coercendi jus auctoritatemque fuisse.

S. Augustinus, lib. 3, cont. lit. Petiliani, c. 4: » Neque hoc ideo dixerim, ut negligatur eccle- » siastica disciplina, et permittatur quisque fa- » cere quod velit, sine ulla correptione, et qua- » dam medicinali vindicta, et terribili lenita- » te, et caritatis severitate. Nam ubi erit illud » Apostoli, Corripite inquietos.... Non ergo ma- » lum est correptionis poena, cum sit malum » culpa.... Fiunt ista in Ecclesia ». — Hinc prodit se cum jubendi, tum salubribus paenis coercendi Ecclesiae potestas, quam Augustinus cum Apostoli auctoritate comprobat et confirmat, plane ostendit illam inde ab Apostolis in Ecclesia viguisse.

Aug. Epist. 43 ad Glor. Eleus. c. 7, n. 20: » Non enim ausus est christianus imperator sic » eorum (donatistarum) tumultuosas et fallaces » querelas suscipere, ut de judicio episcoporum, » qui Romae sederunt, ipse judicaret ». Ergo Ecclesiae judicia in causis ecclesiasticis (quale judicium fuerat de Caeciliani ordinatione) nullius saecularis potestatis judicio obnoxia.

Aug. Epist. 133 Marcellino Tribuno: » Qui mo- » dus coercitionis (per virgarum verbera) a » magistris artium liberalium, et ab ipsis paren- » tibus, et saepe etiam in judiciis solet ab epi- » scopis adhiberi ».

Epist. 173 Donato presbyt. partis Donati, n. 3: » Melius enim facimus voluntatem Dei mo- » nentis, ut vos ad ejus ovile redire cogamus, » quam consentimus voluntati ovium errantium, » ut perire vos permittamus ».

Item Epist. 185 seu lib. ad Bonifacium, n. 23: » Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios » ut redirent, si perditi filii coegerunt alios ut » perirent.... imitatur itaque Ecclesia Dominum » suum, quae prius ut neminem cogeret, expe- » ctavit, ut de fide regum atque gentium prae- » dicatio prophetica compleretur ».

Ex harum Epistolarum contextu aperta mens patet Augustini: Ecclesiam a Christo cogendi potestatem accepisse, quam initio viribus suis exequi non potuerit: reges porro sic postea ad Ecclesiam vocatos, ut Ecclesiae in hac exercenda potestate servirent. Hinc congrua explicatio textus S. Leonis Epist. 15 ad Turibium, edit. Balier.: » Profuit diu ista districtio Ecclesiae lenitati; quae » etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas re- » fugit ultiones, severis tamen christianorum

» principum constitutionibus adjuvatur, dum ad » spirituale nonnumquam recurrunt remedium, » qui timent corporale judicium ». Tum et S. Thomae (Supplem. q. 60, art. 1): » Ecclesia non » habet gladium materialem, ut in littera di- » citur 4 sentent. dist. 37 ». Quae commode de *cruentis ultionibus* intelliguntur, seu de poena sanguinis.

Conc. Veneticum an. 465, c. 6: » In monachis » par quoque sententia servetur: quos si verbo- » rum increpatio non emendaverit, etiam ver- » beribus statuimus coerceri ». Idem Agath. can. 38, an. 506.

Coercitio in episcopalibus judiciis adhibita:

Aug. de Gestis Pelagii cap. ult. n. 66: » Im- » pia vero facta, quorum coercitio ad episco- » palem pertinet disciplinam, ubi committun- » tur, ibi potissimum a praesentibus vel in pro- » ximo constitutis, diligentia pastorali et pia » severitate plectenda sunt ».

Tertullianus Scorp. c. 2, n. 25: » Ad officium » haereticos compelli, non inlici. Duritia vin- » cenda est, non suadenda ».

Aug. de Fide et oper. c. 5: » Cum ergo sive » per negligentiam praepositorum, sive per a- » liquam excusabilem necessitatem, sive per oc- » cultas obreptiones invenimus in Ecclesia ma- » los, quos ecclesiastica disciplina corrigere aut » coercere non possumus....Cum vero eis per » quos Ecclesia regitur, adest salva pace Eccle- » siae potestas disciplinae adversus improbos » aut nefarios exercendae, tunc rursus, ne so- » cordia segnitiaque dormiamus, aliis aculeis » praeceptorum, quae ad severitatem coercitio- » nis pertinent, excitandi sumus ».

JUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINAE.

IX. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo, et parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus, et jussionibus episcoporum,*

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi aerianae a Calvino innovatae.

X. Item doctrina, qua parochi, aliive sacerdotes in synodo congregati, pronuntiantur una cum episcopo judices fidei; et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

ADNOTAT. AD PROP. IX ET X.

Tractoria Viventioli Lugdunensis an. 517: » Prae- » senti protestatione denuntio conventum epi- » scoporum omnium sortis nostrae, circa septem- » bris mensis initium, in Epaonensi paroecia » mox futurum: ubi clericos, prout expedit, » convenire compellimus; ut quae a *solis Ponti-* » *ficibus* ordinanda sunt, et populus possit agno- » scere ».

Bened. XIV de Syn. l. 13, c. 1: » Joannes » Petrus Gibert.... suadere conatur eosdem (pre- » sbyteros) ad synodum vocatos habere votum » decisivum.... Verum aliter rem se habere, » fateri compellitur, qui declinare velit erro- » rem Aerii, a Calvino renovatum. Aerius do- » cuit nihil plane discriminis intercedere inter » episcopum et presbyterum, sicut refert S. » Epiph. Extinctam Aerii haeresim excitavit » Joan. Calvinus, qui asserit episcopum nullum » habere in presbyteros dominatum, sed eas » tantum partes *quas habet consul in senatu, ut* » *referat de negotiis, sententias rogct.... et quod* » *communi consilio decretum fuerit, exequatur.* » At Ecclesiae catholicae firmissimum dogma » est, episcopos esse superiores presbyteris non » solum potestate ordinis, sed etiam jurisdictio- » nis » etc.

Concilium Parisien. III circa an. 557. Concil. Antiochenum I an. 341 (Labb. t. 2, col. 613): » Qui namque fieri potest, ut cum simus epi- » scopi Ario presbytero auscultemus »?

Gregorius XIII consultus a concilio rothomagensi an. 1581, an decisivum vel tantum consultivum suffragium haberent in conciliis pre- » sbyteri, abbates, etc., respondit *abbates commendatarios, capitulorum deputatos, vocem dumtaxat consultivam habere: episcoporum procuratores posse, si concilio placuerit, et decisivam habere.*

Idem Concil. Burdigal. an 1583. Burdigal. an. 1624: » Sacro approbante concilio, decreto ultimi » concilii burdigalensis inhaerentes, opinionem » quorumdam, qui ausi sunt asserere, praeter » episcopos, quosdam etiam alios habere vocem » decisivam in concilio provinciali, ut erroneam » judicamus ».

S. Chrysost. (ap. Tournoli de Sacr. Ordinib. art. 1) Homil. de legislatore t. 6, pag. 410: » Id- » circo etiam in Ecclesia cum ordinantur sa- » cerdotes (episcopi) Evangelium Christi capiti » imponitur; ut discat is, qui ordinatur, veram » se recipere Evangelii tiaram; atque ut discat, » quamvis sit omnium caput, se tamen legibus » istis subjici; et eum qui omnibus imperat, le- » gis imperio subesse; eumque qui omnibus dat » mandatum, a legibus mandatum accipere ».

S. Ignatius Epist. ad Trallianos: » Quid enim » aliud est episcopus, quam is qui omnem prin- » cipatum et potestatem super omnes obtinet »?

Epist. Ad Magnesianos: » Decet vos obedire » episcopo, et in nullo ei refragari.... Quemad- » modum itaque Dominus sine Patre nihil fa- » cit, sic et vos sine episcopo, nec presbyter, » nec diaconus, nec laicus ».

Sacra Theodos. ad Synod. Ephes. ap. Labb. col. 990, t. 3: » Nefas est enim, qui sanctissimo » episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus » sese immiscere.... Non licet, illos qui omnino » necessarii non sunt ad sacrorum dogmatum » examen.... iis quae cum tranquillitate a ve» stra sanctitate constitui, definirique debent, » obstaculum aliquod afferre ».

Can. Apostol. 36, 37, 38.

Epist. I. Timoth. c. 5. S. Epiph. (ap. Morin.) argumentum efficax deducit ex cap. 1, Epist. I ad Timoth. quo Apostolus jubet, *presbyterum ne objurgaveris, sed hortare velut patrem*, etc.» Quid » (inquit Epiph.) attinebat episcopo vetare, ut » ne presbyterum objurgaret, nisi majorem i» pso potestatem haberet, etc. Non alicui ex pre» sbyteris praecepit, ut accusationem contra e» piscopum non admitteret, aut ut episcopum » non objurgaret ».

CALUMNIAE ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI AB ALIQUOT SAECULIS EMANATAS.

XII. Assertiones synodi complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, a quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in romanos Pontifices, et Ecclesiam injuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

ADNOTATIO.

Bannes in 2, 2, S. Th. q. 1. art. 10. *Dubitatur ergo 6°*, col. 116: » Tertia conclusio. Asserere, » Ecclesiae aliquam consuetudinem universalem » esse malam, vel aliquam ejusdem legem in» justam, scandalosum est, et valde temerarium, » et haeresim sapit... similiter etiam non est » absolute haereticum, credere, Ecclesiam in» terdum errare in alicujus Sancti canoniza» tione, aut festo celebrando ut postea dice» mus ».

In 2, 2, S. Tho. q. 11, art. 3, *Circa hos articulos*, col. 438: » Est enim aliud fides catholica, » ut advertit M. Cano, ubi supra, et aliud do» ctrina catholica. Sunt enim aliqua quae uni» versaliter docentur in Ecclesia catholica, quae » tamen non sunt catholica fides. Horum exem» plum ponit ille, ut speciales orationes appli» catas uni personae per praelatos, vel per » religiosos plus prodesse ei pro quo speciali» ter offeruntur coeteris paribus, quam si uni» versaliter offerrentur. Item quod fratres non » tenentur labore manuum victum quaerere. » Istae propositiones ponuntur in sess. 8 Con» cilii Constantien. inter articulos Wicleff, et de » contrariis illarum dicit M. Cano esse errores » contra doctrinam Ecclesiae ».

Col. 441: » Quaeritur ultimo, an haereticum » sit, quod Ecclesia potest falli in definiendo » aliquam propositionem esse male sonantem aut » scandalosam, aut sapientem haeresim? et vi» detur quod non. Quia Ecclesia est regula in» fallibilis in proponendis rebus fidei....

» 2. Conclusio. Error est, vel proximum er» rori asserere, quod Ecclesia in ejusmodi cen» suris possit errare ».

De Schismate in causa trium capitulorum. S. Aug. de haeresibus col 4: » Non enim omnis » error haeresis est; quamvis omnis haeresis, » quae in vitio ponitur, nisi errore aliquo hae» resis esse non possit. Quid ergo faciat haere» ticum, regulari quadam definitione compre» hendi, sicut ego existimo, aut omnino non » potest, aut difficillime potest ».

Col. 28: » Nec ideo tamen parum prodest er» rores istos, quos huic operi intexui, lectos co» gnitosque vitare. Quid enim contra ista sen» tiat Ecclesia catholica, quod a me dicendum » putasti, superflue quaeritur: cum propter hoc » scire sufficiat eam contra ista sentire, nec a» liquid horum in fidem quemquam debere re» cipere ».

Martinus V in Conc. Constant. constitut. *Inter cunctas* contra errores Wicleffi, etc. ap. Labb. t. 16, col. 754: » Si quis vero super aliquo saepe » dictae pestiferae doctrinae haeresiarcharum » praedictorum, vel aliquibus articulis dumta» xat scandalosis, temerariis, seditiosis, vel pia» rum aurium offensivis, culpabilis repertus » fuerit, canonice puniatur ».

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIAE.

XV. Doctrina, quae proponit Ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum, coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in Spiritu, et Veritate,

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant, nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in Spiritu, et Veritate,

Haeretica.

ADNOTATIO.

Propos. 73 Quesnellii: » Quid est Ecclesia, ni» si coetus filiorum Dei, manentium in ejus » sinu, adoptatorum in Christu, subsistentium » in ejus persona, redemptorum ejus sangui» ne, viventium ejus spiritu, agentium per e-

» jus gratiam, et expectantium gratiam futuri » saeculi ». — Fuit qualificata *haeretica* unanimi voto.

Propositio 76 : » Nihil spatiosius Ecclesia Dei, » quia omnes electi et justi omnium saeculo» rum illam componunt ». *Haeretica* unanimi voto.

S. Augustinus de Fide et operibus, c. 4, n. 6, manifeste supponit peccatores, quos cum bonis permixtos in Ecclesia semper futuros esse contra donatistas defendit, esse velut membra *in compage corporis.*

Quoad denominationem *exterioris communionis*, tum et membrorum Ecclesiae attributam peccatoribus, Gotti Tract. I, Isagogic. q. 3, Dub. 4, § 3, n. 23 : » Sic improbi partes quidem Ec» clesiae sunt; membra Ecclesiae aut Christi » non sunt; sunt autem diaboli membra... Ec» clesia sancta ratione justorum dicitur, quam» vis toleret alias partes non tamen membra, » quibus nec vita inest, nec sanctitas. Ita ex » Cano lib. 4, c. ult. ».

Gardini-Veritates Catholicae de Ecclesia Christi, tom. I, cap. 7, pag. 73 : » Qui praeter ex» ternam Ecclesiae communionem internas quo» que custodiunt fidei, spei, et caritatis vir» tutes, ut fideles justi; hi ad Ecclesiam per» tinent ratione tum animae tum corporis. . . » Qui vero externam retinent Ecclesiae commu» nionem, sed internis carent virtutibus, ut » peccatores; isti de corpore tantum Ecclesiae » sunt ».

Bellarminus de Ecclesia militante lib. 3, c. 9 ad obj. 1: » A multis solet concedi, malos » non esse membra vera, nec simpliciter cor» poris Ecclesiae, sed tantum secundum quid » et aequivoce. Ita Turrecremata, ex Alexan» dro de Ales, Hugone, et B. Thoma. Idem » etiam docent Petrus a Soto, Melchior Canus, » et alii; qui tamen etsi dicunt malos non esse » membra vera, dicunt nihilominus vere esse » in Ecclesia, sive in corpore Ecclesiae, et esse » simpliciter fideles, seu christianos ».

Ad obj. 2: » Tria requiruntur ad Ecclesiam » constituendam: 1. Baptisma . . . 2. Professio » christiana. 3. Membrorum unio inter se, et » cum capite saltem externa ».

Ad obj. 10: » Non esse necesse, ut Christus in omnibus suis membris aliquid operetur. Sunt enim quaedam membra mortua, et arida, quae solum adhaerent reliquis externa conjunctione... Qui enim malis moribus praediti, in fide catholica et conjunctione cum caeteris fidelibus perseverant, ad regnum Christi pertinent, quantum ad fidei professionem; ad regnum autem diaboli quantum ad morum perversitatem ».

DE STATU INNOCENTIAE.

XVI. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam,

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium,

Falsa, alias damnata in Baio, et Quesnellio, erronea, favens haeresi pelagianae.

ADNOTATIO.

Propos. 35 Quesnellii : *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae* — fuit qualificata

» Temeraria, erronea, damnata in Baio, *et* » *sapiens haeresim pelagianam* »,

Ex evidenti ratione, in quantum excludit gratuitatem supernaturalis gratiae.

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS.

XVII. Propositio his verbis enuntiata : *Edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam, ut naturalem conditionem hominis, sed revera, ut justam poenam culpae originalis.*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis; quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

ADNOTATIO.

Immortalitas hominis supra naturam, Estius in I Cor. c. 15, v. 21, 47.

S. Aug. de Civit. Dei, l. 13, c. 20: » Qui (pri» mi homines ante peccatum) licet morituri » non essent, nisi peccassent, alimentis tamen » ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed » animalia corpora gestantes. Quae licet senio » non veterascerent, ut necessitate perduceren» tur ad mortem (qui status eis de ligno vi» tae, quod in medio paradiso cum arbore ve» tito simul erat, mirabili Dei gratia praesta» batur) tamen et alios sumebant, etc. . . ale» bantur ergo aliis...

Oper. imperf. l. I, n. 68: » Subripere volui» sti; quasi ego ita dixerim, Adam mortalem » factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, » moriturus esset. Hoc enim vobiscum agitur, » hinc tota de hac re inter nos et vos vertitur » quaestio; quod nos dicimus, Adam si non » peccasset, nec corporis mortem fuisse passu-

» rum, vos autem, sive peccasset, sive non » peccasset, corpore fuisse moriturum ».

S. Hilarius (S. Callixti 14 octob.) in Matth. c. 10 post medium: » Quando (caro) pro naturae suae, atque originis conditione reso» luta » etc. Igitur homo naturae suae originali conditione dissolutioni seu morti obnoxius.

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE.

XIX. Item, quae subjungit, hominem sub lege *cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit*, superadditque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris*,

Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare, quasi *impossibile aliquid potuerit imperare, qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est*—Ex S. Caesario serm. 73 in append. S. Augustini serm. 273 edit. maur. Ex S. August. de nat. et gr. e. 43 de grat. et lib. arb. c. 16. Enar. in psal. 56, n. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.

ADNOTATIO.

S. Thom. 1, 2, q, 98, art. 2 ad 4: » Dicendum, quod quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandos homines; tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant, scilicet fidei mediatoris per quam justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: et sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia ».

Orsi (Apolog. Soti p. 300): » Hanc quaestionem pertractans (Tournelius) *Utrum dantur gratiae quaedam sufficientes excoecatis et obduratis*, lectores praemonitos esse vult, *de mera scholae quaestione hic, non de fide moveri quaestionem. Hoc enim unum hic fides statuit, justis non deesse gratiam, qua possibilia fiant*. Ejusdem opinionis est etiam Em. Meldensium Episcopus in instruct. Pastor. adversus institutiones theologicas P. Juenin: *Quoniam* adhuc dogma fidei non est omnes homines, ut *infideles* et obduratos gratiam habere actualem ad observandum praecepta et orandum. . .

» Quum celebris quidam theologus huic opinioni erroris notam inurere visus esset, ad sedandam offensionem sequente publica declaratione coactus est. . .

» Denique plurimi Galliarum episcopi, qui an. 1720 *Doctrinae corpus*, ut vocant, adprobarunt, temeritatis arguunt, qui hanc opinionem, quam plures, inquiunt, iique insignes theologi docent, erroris damnare ausi fuerint ».

Art. 54. Baij: » Definitive haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. »

Art. 67: » Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit ».

Trid. sess. 6, cap. 11; sess. 24, can. 9.

S. Caesarius Serm. 73 in App. S. Aug. 272 n. 2 de diligendis inimicis: » Nec impossibile ali» quid potuit imperare qui justus est; nec da» mnaturus est hominem pro eo quod non po» tuit vitare, qui pius est ».

S. Aug. de Nat. et Gr. e. 43: » Non igitur » Deus impossibilia jubet: sed jubendo admo» net, et facere quod possis, et petere quod » non possis ».

De Gr. et L. arb. c. 16: » Magnum aliquid » pelagiani se scire putant, quando dicunt, » *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab ho-* » *mine fieri*. Quis hoc nesciat ? Sed ideo jubet » aliqua quae non possumus, ut noverimus quid » ab illo petere debeamus ».

Ep. 196 ad Asellium episcopum n. 4: » Vi» demus itaque in his apostolicis verbis legem » non solum non esse peccatum, sed etiam san» ctam. Sed peccatum per bonum fallit, et per » illud occidit eos, qui cum sint carnales, pu» tant suis viribus legem spiritalem se posse » complere; et per hoc fiunt non solum pecca» tores, quod essent etiamsi legem non acce» pissent, sed etiam praevaricatores, quod non » essent, nisi legem accepissent ».

Itaque praevaricatores sub lege illi fuere, qui putabant se posse suis viribus legem spiritalem implere. Culpabilis certe haec erat praesumptio. Quod si ergo aliqui sub lege sine gratia praevaricatores esse censentur, ex Augustino de illis intelligendum erit, quibus in poenam suae praesumptionis gratia defuerit; et quorum impotentia fuerit dumtaxat consequens, et ipsis imputabilis.

Nihil igitur ex Augustino depromitur quod favere valeat generali propositioni synodi, hominem sub lege sine gratia praevaricatorem evasisse per inobservantiam, legis quam impotens esset observare.

S. Aug. Serm. 300 in solemnitate martyrum Machabaeorum I, n. 1: » Nec quisquam arbi» tretur, antequam esset populus christianus, » nullum fuisse populum Deo. Immo vero, ut » sic loquar, quemadmodum se veritas habet, » non nominum consuetudo; christianus etiam » tunc populus ille fuit. Neque enim post pas» sionem suam coepit habere populum Christus, » sed illius populus erat ex Abraham genitus ».

N. 5: » Nam ut noveris, apertoque noveris, » quia pro lege Moysi morientes pro Christo » sunt mortui, audi ipsum Christum, o Judaee: » *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me* » *enim ille scripsit*. Si de Christo Moyses scri-

» psit, qui pro lege Moysi veraciter mortuus » est, pro Christo animam posuit ».

Quomodo populus ille fuisset populus Christi, nisi fidem implicitam habuisset Christi?

Exempla: Pia frequentia et celebritas populi fidelis in dedicatione templi, laudantes Deum, canentes hymnos David. — Septem millia virorum in regno Samariae, qui non curvaverunt genua ante Baal. — Ninivitae paenitentiam agentes ad praedicationem Jonae. — Multitudo mortuorum in praelio, pro quibus Judas jussit offerri sacrificium.

Psal. 113: » Domus Israel speravit in Domi» no. Domus Aaron speravit in Domino ».

S. Aug. Psal. contra partem Donati: » Nam » et septem millia virorum Deus se dixit reli» quisse, et sacerdotes et reges: multi justi » sunt in lege. Ibi habes tantos prophetas, ha» bes multos et de plebe. Dic mihi quis tunc » justorum separavit sibi altare »?

S. Aug. Tract. 33 in Joan. Evang. n. 1, super illa verba Pharisaeorum: *Sed turba haec, quae non novit legem*, subdit: » Qui non nove» rant legem, ipsi credebant, in eum qui mi» serat legem » etc.

DE GRATIA ILLUMINANTE ET EXCITANTE.

XXI. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem, contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam J. C., inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illa radicem, e qua germinantur bona opera, hanc esse gratiam novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei*,

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quae creat in corde sanctum amorem, et quae facit, ut faciamus; sive etiam, qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei: et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trident. sess. 6, cap. 5), nec vera detur interior gratia, cui resistitur,

Falsa, captiosa, inducens in errorem, in secunda propositione Jansenii damnatum ut haereticum, eamque renovans.

ADNOTATIO.

Orsi advertit p. 142: » Sed est tamen alia, » ut monui eorumdem verborum.... gratiam » Christi ad solam denotandam novi foederis » gratiam iidem Patres coarctarunt: quo sensu » nullum donum a fide et caritate disjunctum » gratiae nomine decorarunt. Quod sane innu» meris Augustini locis demonstrari posset ».

Fatetur tamen paulo antea: » Nulla est pia » cogitatio, nulla illustratio, nulla desideria, » nullae inspirationes, vel tenuissimae excita» tiones, quae non, ex SS. PP. et maxime Aug. » sensu, ex Christi gratia proveniant, ideoque » Christi gratiae nomine censeri debeant.

De gratia cui resistitur, Aug. de gr. et lib. arb. c. 12, n. 24, post citatum textum Apostoli ad Rom. 10: *Ignorantes Dei justitiam*, subjungit: » De Judaeis hoc dixit, qui de se praesumen» tes gratiam repellebant, et in Christum pro» pterea non credebant ».

Orsi, Apol. Soti p. 329: » Audiendus prae » caeteris cardin. Norisius, cujus verba de» scriptis ex Soto testimoniis maxime consen» tanea sunt. Caeterum, inquit, omnibus ho» minibus adesse auxilium saltem remotum, » mihi videor colligere ex Aug. lib. de natura » et gratia » etc. Minime putandum rejectum iri ab schola Augnst. auxilium illud remotum, quod Norisius, ex Aug. collegisse sibi visus est: nec immerito. Nec tamen dubium, quin tali auxilio nimis frequenter plerique resistant.

DE TIMORE SERVILI.

XXV. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum*;

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus, et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem justitiae,

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinae concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiae, opus esse, *juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam*, ut intret timor primo, per quem veniat charitas; timor medicamentum, charitas sanitas,

Ex S. Aug. in epist. Joan. c. 4, tract. 9, n. 4, 5. In Joan. Evang. tract. 41, n. 10. Enarratione in psal. 127, n. 7. Sermone 137 de Verbis Apostoli. Sermone 161 de Verbis Apostoli n. 8. Sermone 349 de charitate, n. 7.

ADNOTATIO.

De Imit. Christi l. I, c. 24, n. 7: » Bonum ta» men est, ut, si necdum amor a malo te re» vocat, saltem timor gehennalis coerceat ».

Aug. Enarr. in psal. 149, n. 15: » Timor » tormentum habet; hoc est vinculum ferreum. » Et tamen nisi timore incipiat homo Deum

» colera, non perveniet ad amorem. Initium » sapientiae timor Domini. Incipit ergo a vin- » culis ferreis, finitur ad torquem aureum ».
Aug. de vera religione, c. 17: » Nunc vero » quoniam pietas timore inchoatur, caritate » perficitur ».

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII.

XXX. Doctrina synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* doin continuo subjicit; *non tamen, quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii, cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet;* unde, et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant,*

Sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem, et orationem, specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit caeteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat, ac praecipit Ecclesia, specialim a pastoribus pro suis ovibus; quod velut ex divino praecepto descendens a sacra tridentina synodo diserte est expressum, sess. 23, cap. 1, de Reform. Bened. XIV, const. *Cum semper oblatas*, — 2,

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

EXPOSITIO SENTENTIAE S. AUGUSTINI, DE SPECIALI FRUCTU EX SPECIALI OBLATIONE SACRIFICII PROVENIENTE.

Quaesierat Paulinus ab Augustino: *Utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepeliatur.* Dicebat Paulinus *videri sibi non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium, pro suis ista curantium:* adjungens etiam, *vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit.*

Aliunde significabat Paulinus non satis sibi perspectum esse, quemadmodum huic sententiae contrarium non sit quod dicit Apostolus (2 Cor. 5, v. 10): » Omnes enim adstabimus ante tri- » bunal Christi, ut ferat unusquisque secun- » dum ea quae per corpus gessit, sive bonum, » sive malum ». Haec quippe apostolica sententia ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem; non tunc quando jam recipiendum est, quod quisque gesserit ante mortem.

» Verum, pergit Augustinus, haec ita solvitur quaestio, quoniam quodam genere vitae adquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut adjuvent aliquid ista defunctos; ac per hoc secundum ea quae per corpus gesserunt, eis quae post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos nihil omnino adjuvant ista; sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant. Genere igitur vitae, quod gessit quisque per corpus efficitur, ut prosint vel non prosint quaecumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum per quod ista prosint si nullum comparatum est in hac vita, frustra quaeritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesiae vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis, impendat; et tamen ferat unusquisque secundum ea, quae per corpus gessit, sive bonum, sive malum, reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita adquisitum est, quam gessit in corpore ».

Cum nil certius exploratiusve haberet Augustinus nefas esse dubitare, quin quod per totum orbem frequentat Ecclesia, id omnino faciendum sit; non poterat non illa vehementer probare christianorum fidelium plena pietatis officia, quae in suos quisque defunctos impendere satagebat: simul praeclare ostendit pio huic mori nequicquam adversari apostolicam sententiam, nempe ante tribunal Christi laturum unumquemque secundum ea quae per corpus gessit, sive bonum, sive malum: idque praestat triplici distincto defunctorum genere: ac primum quidem eorum est, quorum tam bona sunt merita, ut nullis post mortem indigeant adjumentis; atque illi sunt, quibus cum in exitu vitae nihil expiandum supersit, statim in aeterna tabernacula recipiuntur: alterum contra eorum est, quorum tam mala sunt merita, ut nullis vivorum pietatis officiis digni sint adjuvari; qui nimirum lethali culpa obstricti discedentes e vita, aeternis continuo suppliciis addicuntur. Inter utrosque medium genus illorum est, qui sic in Domino moriuntur, ut tamen aliquid post mortem luendum remaneat, antequam ipsis ad vitam aeternam ingressus patere valeat. Atque istos Augustinus universe inter illos comprehendit, qui per ea quae gesserunt in vita id sibi compararunt, ut illis prodesse posset, quidquid post eorum mortem pie fieret pro ipsis. Neque enim fas est putare hanc fuisse mentem Augustini, ut quemquam justorum istorum, qui piacularibus poe-

nis ad aeternae vitae consecutionem praeparantur, illis adjungeret, quorum tam mala sunt merita, ut nulla eis bujusmodi adjumenta prodesse possit; quod etiam perspicue intelligitur ex his, quae in hanc eamdem sententiam scribit lib. de Octo Dulcitii quaestionibus, respons. ad 2 quaest. n. 4.

Duobus porro modis docet Augustinus justis istis post mortem subvenire; sive prout Ecclesia generatim pro defunctis supplicare consuevit, sive prout universali Ecclesiae more fideles ipsi pro suis quisque defunctis speciatim religionis officia quae possunt, curant impendere. *In Machabaeorum libris* (inquit ille, c. I, de cura, etc. n. 3) *legimus oblatum pro mortuis sacrificium* (quod quidem speciatim oblatum legitur pro mortuis, qui ceciderunt in praelio). Pergit porro sanctus Doctor: » Sed et si nusquam » in scripturis veteribus omnino legeretur, non » parva est universae Ecclesiae, quae in hac » consuetudine claret, auctoritas, ubi in preci» bus sacerdotis quae Domino Deo ad ejus al» tare funduntur, locum suum habet etiam » commendatio mortuorum ». Expresse vero c. 4, n. 6, supplicationes quae generalim pro defunctis universe funduntur, ab illis distinguit, quas pro certis suis notis carisque superstites quique persolvunt. Ibi quippe loquitur de supplicationibus » quas faciendas pro omnibus » in christiana et catholica societate defunctis, » etiam tacitis nominibus eorum, sub generali » commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus » ad ista desunt parentes, aut filii, aut qui» cumque cognati vel amici, ab una eis exhi» beantur pia matre communi ». Sentiebat igitur Augustinus speciatim quemdam fructum illis obvenire, pro quibus parentes, filii, cognati, amici pietatis officia speciatim curant exhibere; si enim fructus ejusmodi non ad eos speciali quadam ratione pertineret, sed ex aequo in omnes defunctorum spiritus funderetur; nulla ratio esset, cur Ecclesia generalem commendationem in eorum subsidium indiceret, qui etsi ignoti atque a suis superstitibus deserti, ex aequo tamen participes essent omnis ejus adjumenti, quod pro suis quisque caris parentes, filii, cognati, amici procurarent.

Nunc videndum restat qualia sint, cujusve generis illa religionis officia, quibus juvari mortui et egeant, et valeant. De his disserit Augustinus cum aliis locis, tum et hujusce lib. c. 18, eadem tribus capitibus comprehendit, nempe *sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis*. Quo loco observandam altaris sacrificium, in quo inest vera et propria ratio sacrificii, plane distingui ab Augustino a duobus aliis, quae lato modo dicantur orationum et eleemosynarum sacrificiis. Sic proinde ut Augustinus censuerit non orationibus tantum et eleemosynis mortuos juvari, sed et ipsamet oblatione sacrificii, sive quam pro suis quisque superstitum faciendum procurat, sive quam tacitis nominibus pro universis generatim adhibere pia mater Ecclesia consuevit.

Et quidem quod universali Ecclesiae more et instituto a principio inductum sit, ut non modo in offerendo sacrificio precatio quaedam pro certis speciatim personis adhibeatur, verum ut et sacrificium pro ipsis peculiariter offeratur seu applicetur; quemadmodum, pro singulari quopiam infirmo, pro peregrinantibus, ac generatim pro peculiaribus cujusvis generis impetrandis beneficiis, id vero ex ipsomet Sacrae Liturgiae ordine patet apertissime. Quid enim aliud significat precatio illa, quae canone ipso missae comprehenditur, qua sacrificium expresse offerri dicitur sive a sacerdote, sive ab aliis qui suo modo cum sacerdote offerunt, pro se suisque omnibus, pro spe salutis et incolumitatis suae: tum et precatio qua sacrificii actio finitur, cum sacerdos precatur, ut sacrificium quod oculis Divinae Majestatis obtulit, sit omnibus, pro quibus illud obtulit, propitiabile? Cujus rationis precationes in omnibus etiam vetustissimis liturgiis reperiuntur; quibus patet illud semper universali Ecclesiae more probatum ac receptum fuisse, ut a sacerdote pro specialibus specialium personarum necessitatibus sacrificium offerri, seu quod idem est, applicari valeret.

Jam vero si nullus specialis fructus ex illa speciali oblatione (caeteris paribus) illis obveniret, pro quibus speciatim offertur et applicatur, frustra omnino et inaniter in Ecclesia perpetuo, sancteque retentum esset, ut isthaec quomodocumque fieret specialis oblatio seu applicatio, quae nullum vi sua specialem fructum, caeteris paribus, afferret. Impia vox, atque homine christiano prorsus indigna, quam Augustinus quantopere semper sit detestatus, intelliget profecto quisquis gravissimum illud notissimumque sancti Doctoris dictum meminerit: » Quod per totum orbem frequentat Eccle» sia, disputare quin ita faciendum sit, insolen» tissimae est insaniae ».

Atque haec quidem Augustini certa constansque sententia de speciali fructu ex speciali oblatione seu applicatione sacrificii plane confirmatur, et luculentius etiam, si fieri potest, insigni loco declaratur, ex Enchir. c. 109, ubi ait: » Neque negandum est defunctorum ani» mas pietate *suorum* viventium relevari, cum » pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel » eleemosynae in Ecclesia fiunt ». Aperie hoc loco distinguit sanctus Doctor, seu potius per particulam *vel* sacrificium altaris disjungit ab aliis pietatis officiis, quibus mortui juvantur: simul tuveteratam memorat Ecclesiae consuetudinem, qua fiebat, ut pia viventium procuratione pro suis quisque defunctis sacrificium Mediatoris offerretur; quae sane specialis oblatio erat, seu applicatio sacrificii pro illis, qui suos pios superstites in terris reliquissent; qua tamen speciali oblatione dubitaret nemo, ne omnino ae

gandum esset quin illi relevarentur. Quo perspicue patet eum tunc universalis Ecclesiae sensum fuisse, ut et Mediatoris sacrificium specialiter pro specialibus defunctis illis rite offerretur, quorum *sui viventes* curam gererent; atque specialiter illis prodesset, pro quibus specialiter offerebatur.

Neque vero constanti huic Ecclesiae mori ac sensui repugnat quod objectum est in synodo, solius Dei esse fructum sacrificii, cui vult, et qua vult mensura applicare: quasi aut quisquam de hoc dubitet; aut Deus quidquam ipse sibi detraxerit, siquidem ei placuit talem providae suae dispensationis ordinem constituere, ut dum Mediatoris sacrificium offertur, specialis atque adeo, caeteris paribus, uberior quidam fructus illis obveniret, quibus specialiter applicatur. Atqui hunc revera providentiae ordinem a Deo constitutum esse, cum et exemplis e veteri foedere ab Augustino depromptis, et universalis Ecclesiae consensu, Patrumque auctoritate comprobatur; tum et omnem dubitandi rationem sustulit synodus tridentina solemni eo decreto, quo pastoribus divino praecepto mandatum esse declaravit pro suis ovibus sacrificium offerre. Quod profecto supervacaneum foret, nisi divina ordinatione institutum esset, ut ex speciali applicatione specialis fructus obveniret. Quo pertinet etiam Benedicti XIV const. *Cum semper oblatas.* Consulendus doctissimus idem Pontifex in Comment. de Syn. Dioeces. l. 5, c. 8, n. 6, quo implexam ea de re, parumque consideratam Walafridi Strabonis opinandi rationem egregie discutit; tum et Tract. de Sacrif. Missae l. 3, c. 8, ubi de triplici, quae jam pridem in scholis inveteravit, fructus ejusdem distinctione, hanc ait non modo a doctoribus communiter, verum et ab Ecclesia receptam. Quem in locum apte cadit, quod lib. de Synodo profert ex Gersone: » Sufficere in pri- » mis debet ad consensum hujus veritatis usus » totius communis Ecclesiae; cui si quis de- » trahit, imprudenter se decipit ».

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI.

XXXVIII. Item doctrina, qua postquam synodus professa est, *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae*, ut ait, *ad poenitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione, et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent.*

Contraria can. 13 concilii Nicaeni I; decretali Innocentii I ad Exuperium Tholos.; tum et decretali Caelestini I ad episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

ADNOTATIO.

Nicaen. 1, can. 13: » De his qui ad exitum » veniunt, etiam nunc lex antiqua regularis » que servabitur; ita ut si quis egreditur e » corpore, ultimo et maxime necessario viati- » co minime privetur ».

S. Caelestinus I, Epist. ad Episc. Provinciae Viennen. et Narbonen. cap. 2, ap. Coustant.: » Agnovimus poenitentiam morientibus dene- » gari... Horremus, fateor, tantae impieta- » tis aliquem reperiri, ut de Dei pietate de- » speret... Quid hoc, rogo, aliud est, quam » morienti mortem addere, ejusque animam » sua crudelitate, ne absoluta esse possit, oc- » cidere »?

S. Leo Epist. ad Theodorum Forojulien. Episc. c. 4, edit. Baller: » His autem, qui in tempo- » re necessitatis, et in periculi urgentis in- » stantia, praesidium poenitentiae, et mox » reconciliationis implorant, nec satisfactio in- » terdicenda est, nec reconciliatio deneganda ».

Innocentius III, in Concil. Generali (Later. IV) c. *Firmiter*, de Summa Trinitate, § 3, de Sacramentis Eccles.: » Et si post susceptionem » baptismi quisquam prolapsus fuerit in pec- » catum, per veram potest semper poeniten- » tiam reparari ».

Clement. l. 5, cap. *Cum secundum statuta canonica*, tit. 9 de poenitentiis et remissionibus.

Trid. sess. 14, cap. 7: » Ut nulla sit reser- » vatio in articulo mortis ».

S. Aug. de Conjugiis adulter. l. 1, c. 28: » Quae autem baptismatis, eadem reconcilia- » tionis est causa, si forte poenitentem finien- » dae vitae periculum praeoccupaverit. Nec i- » psos enim ex hac vita sine arra suae pacis » exire velle debet Mater Ecclesia ».

S. Aug. Serm. 352 in die octava Infantium, § 9: » Solent inde christianis pagani insulta- » re de poenitentia, quae instituta est in Ec- » clesia: et contra nonnullas haereses tenuit » Ecclesia catholica istam veritatem de poeni- » tentia agenda. Fuerunt enim qui dicerent, » quibusdam peccatis non esse dandam poeni- » tentiam; et exclusi sunt de Ecclesia, et hae- » retici facti sunt. In quibuscumque peccatis » non perdit viscera pia mater Ecclesia ». Agi autem de poenitentia, quae ducebat ad reconciliationem patet ex §. anteced.

August. Ep. 93 ad Vincent. Rog. c. 10, n. 42: » Si autem quod veritas habet, et quod Ec- » clesia merito tenet, recte poenitentibus adul- » teris pax dabatur; illi qui in totum locum » poenitentiae contra adulteros claudebant, im- » pie utique agebant, et claves Ecclesiae pul- » santibus subtrahebant; et misericordissimae » patientiae Dei, quae illos propterea sinebat » vivere, ut poenitendo sanarentur, sacrificio

» contriti spiritus, et contribulati cordis oblato, dura crudelitate contradicebant ».

DE CENSURIS.

XLVI. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, qui tantummodo natura sua excludit ab exteriore communione Ecclesiae.*

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans,

Ex S. August. Ep. 250 Auxilio episcopo. Tract. 50 in Joan. num 12.

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

ADNOTATIO.

S. Ambros. de Poenitentia l. 1, c. 15: » Et » bene dicitur tradi Satanae, qui separatur a » Christi corpore ».

S. Aug. Quaest. 39 in Deuteron.: » Hoc enim » nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod » agebat tunc interfectio ».

Tract. 50 in Joan. Evang. n. 12: » Cum ex» communicat Ecclesia, in Coelo ligatur ex» communicatus; cum reconciliatur ab Eccle» sia, in Coelo solvitur reconciliatus ».

S. Aug. Epist. 250 Auxilio Episc. disserens de sententia excommunicationis ab eo episcopo lata: » Spiritualis autem poena, qua fit » quod scriptum est, *quae ligaveris in terra* » *erunt ligata in caelo*, animas obligat.

Contra adversarium legis et prophetarum, l. 1, c. 17, n. 36.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

LIX. Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia;* quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum*, subjungens, *supposito assensu, vel connivenlia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta, dirimentia ipsum contractum matrimonii,*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium; in eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12, sess. 24 Concilii Tridentini eversica, haeretica.

ADNOTATIO.

Nat. Alexander Theol. dogmat. et Mor. de Sacr. Matrim. c. 4, de impedim. Matrim. art. 1, propos. unica: » Ecclesiam potuisse, ac pos» so constituere impedimenta matrimonium di» rimentia, *Dogma fidei est.*

Droulu de Re Sacram. l. 9, q. 6, c. 1, § 1: » Olim Ecclesiam potuisse, et posse etiamnum » constituere impedimenta matrimonium diri» mentia: Dogma fidei est, in Concil. Trid. » nova definitione contra Lutheri temeritatem » assertum ».

Sylvius supplem. q. 50, quaeritur 5, conclus. 5: » Fide certum est Ecclesiam, atque adeo » summum Pontificem, qui est Ecclesiae ca» put, posse constituere impedimenta matri» monii tam dirimentia, quam solum impe» dientia pro christianis ».

Berti de Theol. Discipl. l. 37, c. 5: » Praetermittenda neqnaquam est illa quaestio, penes quos resideat auctoritas ejusmodi impedimenta constituendi. Lutherus enim, Calvinus, et prolixius Marcus Antonius de Dominis in lib. 5 de Christiana Rep. scripserunt nullam Ecclesiae facultatem inesse conditiones et causas apponendi, propter quas aliqui nequeant matrimonium contrahere; in eam sententiam adducti, ex quo matrimonium sit contractus civilis et ad effectum naturalem, corporeumque pertinens; ac propterea causae ad matrimonium ipsum spectantes non sint a spiritualibus judicibus pertractandae. Quam vero *haereticam illam opinionem* damnaverit Trid. Synodus... »

DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI.

LXI. Propositio quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem fore semper honorem divinum datum creaturae.*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi; perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquam nuda caro; sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una, eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex concil. C. P. V gener. can. 9.

Falsa, captiosa, impia, ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito, ac praestando detrahens, et injuriosa.

ADNOTATIO.

Aug. in Psal. 98, n. 9, super verba, *Adorate*

scabellum pedum ejus: » Et quia in ipsa car» ne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis » manducandam ad salutem dedit; nemo autem » illam carnem manducat, nisi prius adora» verit: inventum est, quemadmodum adoretur » tale scabellum pedum Domini, et non solum » non peccemus adorando, sed peccemus non » adorando ».

Damasc. do Fide orthodoxa l. 3, c. 8: » Ne» que enim adorandam esse carnem ejus ne» gamus: quippe quae adoratur in una Verbi » persona, quae quidem ipsi persona et hyposta» sis facta est. Qua in re non creaturae servimus; » non enim illam seu nudam carnem adoramus, » sed velut Divinitati unitam; et quia duae ipsius » naturae ad unam Dei Verbi personam reducun» tur, unamque subsistentiam... Ambas Christi » naturas ob unitam carni Divinitatem adoro ».

» Et lib. 4, c. 3: » Ad eumdem quoque mo» dum caro suapte quidem natura nequaquam » est adoranda: sed cum incarnato Verbo ado» ratur, non quidem propter seipsam, sed » propter Deum Verbum, quod secundum hy» postasim ipsi copulatum est. Neque enim fa» temur nudam simplicem carnem adorari, ve» rum Dei carnem, sive Deum incarnatum ».

Sylvius in 3 part. D. Th. q. 25, art. 2: » Quare » simpliciter dicendum est carnem et animam » Christi, sicut et membra corporis ejus, ado» randa esse adoratione latriae; quae quidem » eis debetur ratione hypostasis Verbi Dei, a » qua et in qua sustentantur ».

Gotti Tract. 7 do Euchar. q. 3, dub. 5, § 3: » Caro enim Christi suppositaliter Verbo uni» ta, ubicumque sit, adoranda est ».

Juveninus part. 4. Dissert. 6, de termino Incarnat. c. 1, conclus. 1: » Humanitas Christi, » etiam in abstracto considerata, coli debet » absoluta adoratione latriae ».

S. Th. 3 p. q. 25, art. 2: » Sed contra est quod » Damascenus.... Sed Verbum incarnatum ado» ratur adoratione latriae. Ergo et corpus ejus, » sive ejus humanitas ». Ad 1: » Et per hoc etiam » patet resp. ad 2 et 3; quia adoratio latriae » non exhibetur humanitati Christi ratione sui » ipsius; sed ratione Divinitatis cui unitur, se» cundum quam Christus non est minor Patre ».

S. Leo serm. 28 edit. Baller. in Nativit. 8, c. 1: » Unde utrique naturae in suis proprieta» tibus permanenti, tanta est unitatis facta » communio, ut quicquid ibi est Dei, non sit » ab humanitate disjunctum; quicquid autem » est hominis, non sit a Deitate divisum ».

Oratio recitanda post officium: » Sacrosan» ctae et individuae Trinitati, Crucifixi Domi» ni Nostri Jesu Christi humanitati ».

Oratio secr. pro Missa in Concept. B. M. V. et aliis: » Unigeniti tui, Domine, nobis suc» currat humanitas ».

Invocatio cum cultu latriae: » Corpus D. N. » J. C. custodiat animam... in vitam aeternam».

Ambr. in Psal. 118, serm. 5, n. 8: » Caro » Christi sine peccato est, quam perfidi con» trectantes, manus suas inquinaverunt; San» cti venerantes pietatis odore flagrarunt ».

Catechis. Rom. de Euchar. Sacram. n. 8: » Atque ad eumdem modum hoc Sacramentum » adorandum esse, nimirum corpus et sangui» nem Domini intelligentes, affirmamus ».

I Thessal. cap. 3; S. Thomas lect. 2: » Ete» nim eo, quod Christus accepit carnem, et » in ea resurrexit, est exemplar nostrae resur» rectionis. Nec solum hoc est, sed et causa » efficiens, quia quae humanitate Christi ge» sta sunt, non solum sunt gesta secundum vir» tutem humanitatis, sed virtute Divinitatis si» bi unitae. Unde sicut tactus suus curabat le» prosum in quantum instrumentum Divini» tatis; sic resurrectio Christi causa est nostrae » resurrectionis, non in quantum corporis, sed » in quantum resurrectio corporis uniti Verbo » vitae ».

S. Basil. tom. 1, Homil. in Psal. 59, n. 4: » Divinitatis autem calceamentum caro est, Dei » gestatrix, per quam ad homines accessit ».

Clericatus de Sacrif. decis. 6, n. 29: » Christus » adorandus est adoratione latriae, non solum » ut Deus, sed etiam ut homo; quia humani» tas Christi ut unita Verbo, includit ipsum » Verbum, et includit totum Christum. De » Lauraea de Incarn. D. 39, n. 68 et seq. ».

Blast. Dissert. c. 12: » Cor Jesu proprie, et » per se sumptum ob hypostaticam unionem » capax est adorationis latriae ».

In festo Sacrarum Plagarum: » Tribue, no» bis, quaesumus, ut qui ab eo suscepta vul» nera veneramur in terris ». Postcom. » Ut qui » vulnera D. N. J. C. hodie devote colimus ». Quid vulnus cordis, nisi cor vulneratum?

Aug. Enarr. in Psal. 120, n. 12: » Ipsa ca» ro Christi caput Ecclesiae est ».

Enarr. in Psal. 127, n. 8: » Quam rem » amamus in Christo? Membra crucifixa, la» tus perforatum, an caritatem? Quando au» dimus quia passus est pro nobis, quid ama» mus? caritas amatur ».

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA.

XXIX. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus: prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam ve-

lut articulum fidei tridentinum concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur,

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses; tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica,

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.

DE FESTIS.

LXXIV. Deliberatio synodi de transferendis in diem dominicam festis per annum institutis; idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum; tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis, per annum ex Ecclesiae praecepto servandis,

Quatenus adstruit episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis, jejuniisve celebrandis, aut inducium missae audiendae praeceptum abrogare,

Propositio falsa, juris conciliorum generalium et summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

Secondo Frammento (1)

INEDITO

USO DELLA VOCE Dottrina

Nella condanna e qualifica degli errori.

Innocenzo III nel Concilio Lateran. IV, cap. II, *De errore Abbatis Joachim*, espone l' errore, dichiara la verità contraria, e termina colla seguente formola di censura:

» Si quis igitur sententiam sive *doctrinam* prae-
» fati Joachim in hac parte defendere, vel ap-
» probare praesumpserit: tamquam haereticus
» ab omnibus confutetur ».

Clemente V, nel conc. di Vienna, an. 1311:
» Porro *doctrinam* omnem seu positionem teme-
» re asserentem aut vertentem in dubium, quod
» substantia animae rationalis aut intellectivae,
» vere ac per se humani corporis non sit for-
» ma, velut erroneam, ac veritati catholicae
» fidei inimicam sacro approbante concilio re-
» probamus: definientes, etc.

Il concilio di Costanza nella condanna degli articoli di Wicleffo, sess. 8.

» Compertum est etiam,libros ejus plures alios
» articulos continere similium qualitatum, do-
» ctrinamque in Dei Ecclesia vesanam (al. ve-
» nenosam), et fidei ac moribus inimicam in-
» ducere ».

Innocenzo X, *Commissio* septem episcopis Franciae super verificatione epistolarum pastoralium archiepiscopi senonen. nec non, etc. (*alias per nostras*) an. 1654.

» Nostrae constitutionis, qua in quinque pro-
» positionibus condemnavimus doctrinam quon-
» dam concilii Jansenii, etc. ».

Innocenzo XI dinota col nome di *dottrine* le proposizioni da lui condannate col suo decreto, an. 1676.

» Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI
» praedictus, ovium sibi a Deo creditarum sa-
» luti sedulo incumbens, et salubre opus in se-
» gregandis noxiis *doctrinarum* pascuis ab inno-
» xiis . . . . persequi volens, plurimas pro-
» positiones, etc. ». E ne' termini stessi Alessandro VIII nel suo decreto di condanna di 31 proposizione, an. 1690.

Clemente XI. Damnatio lib. cui titulus, *Le nouveau testam. en françois* etc. *vel abrégé de la morale de l'evangile*, etc. an. 1708.

» In quibus passim occurrunt doctrinae et pro-
» positiones seditiosae » etc.

Clemens XI. Damnantur et prohibentur denuo quatuor libelli episcopi S. Pontii, an. 1710.

» Libellos supra dictos, et eorum quemlibet,
» utpote continentes docrinas et propositiones
» falsas, perniciosas, scandalosas, seditiosas,
» temerarias, schismaticas, erroneas, atque
» haeresim respective sapientes,nec non in aper-
» tam fraudem, et elusionem constitutionis, ad
» extirpandam penitus jansenianam haeresim
» a nobis novissimae editae,manifeste tendentes.

Formola *ad minus, ut minimum*, etc.

Clemente VIII. Constit. *Sanctissimus*, an.1602.
» Hanc propositionem, scilicet licere per lite-
» ras, seu internuncium confessario absenti pec-
» cata sacramentaliter confiteri, et ab eodem
» absente absolutionem obtinere *ad minus* uti
» falsam, temerariam et scandalosam damna-
» vit et prohibuit ».

Alessandro VII, nell'uno, e nell' altro decreto » praedictas propositiones, ut unamquamque
» ipsarum, *ut minimum* tamquam scandalosas
» esse damnandas ».

Innocenzo XI. Decret. 2 mart. 1676. » Statuit
» et decrevit pro nunc sequentes propositiones
» et unamquamque ipsarum, sicut jacent, *ut mi-*
» *nimum* tanquam scandalosas, et in praxi
» perniciosas esse damnandas » etc.

Clemens XI. Damnatio libelli: *Veritable tradition de l'Eglise sur la predestination et la grace par M. de Launoy*, etc. an. 1704. » Illum ad
» minus tanquam impium,blasphemum, nec non
» fulgidissimo catholicae Ecclesiae lumini, ma-
» ximoque doctori sancto Aug. quin imo ipsi-
» met Ecclesiae atque apostolicae Sedi injurio-
» sum .... Romanorum Pontificum praedecesso-

(1) Questa Scheda, che volta in francese, fu pubblicata tra gli *Analecta juris pontificii*, ottobre 1853, accenna indubitabilmente alla preparazione della Bolla *Auctorem fidei*. E chi potrà maravigliarsi a udire che Gerdil, dopo avere definito il modo migliore di esprimere la condanna, fosse poi scelto egli medesimo a stenderne la formola e compilare la Bolla stessa? Ma di ciò dovremo trattare, se Dio consente, nella Vita del Cardinale. D. A. M.

» rum nostrorum, qui ejusdem sancti doctoris » praecelsam doctrinam magno semper in pretio » habuerunt, totoque mentis affectu amplexi » fuerant . . . . »

Qualifica, *inducere in errorem*, etc.

Oltre il concilio di Costanza allegato sopra, Innocenzo XI nella condanna di Molinos ne taccia i *dommi* » ut quae fideles in maximos er- » rores et turpissima quaeque inducebant ».

Benedetto XIV. Damnatio et probibitio libri cujus titulus est: *Illustrissimorum ac reverendissimorum archiep. Ultraject.... instrumentum appellationis* etc. an. 1745 constit. *Altissimo divinae providentiae consilio.* » Libellum praefatum uti continentem propositiones falsas, seditiosas, scan- » dalosas, captiosas, ad *schisma ac eversionem hie-* » *rarchiae ecclesiasticae pellicientes*, et apostolicae » Sedis praedictae auctoritati injuriosas, et ec- » clesiasticae jurisdictionis eversivas, auctorita- » te apostolica tenore praesentium damnamus et » reprobamus ».

Idem nella condanna di un libro in due tomi sotto il titolo di *Apologia*, ecc, tendente a dimostrare: 1.° L'ingiustizia e l'irregolarità del rifiuto de' sagramenti, sepoltura, ed altre pene decretate contro i non sottomessi alla bolla *Unigenitus*. 2.° A dimostrare la competenza de' giudici laici in siffatte materie. » Utrumque supra re- » lati libri tomum, tamquam continentem *asser-* » *tiones* falsas, temerarias, scandalosas, pia- » rum aurium offensivas, in romanos Pontifices, » apostolicam hanc Sedem, et episcopos injurio- » sas, ecclesiasticae jurisdictioni derogantes, » obedientiae constitutioni *Unigenitus* ab omni- » bus debitae eversivas, schismati faventes, » schismaticas, *in errorem inducentes*, ac erro- » neas respective, etc.

Formola *in obvio verborum sensu*, *et attenta sententiarum connexione.*

Innocenzo XII, nella condanna del libro di M. di Fenelon: » Ex cujus lectione et usu fide- » les sensim in errores, ab Ecclesia catholica da- » mnatos *induci* possent, ac insuper tamquam » continentem propositiones, sive *in obvio ea-* » *rum verborum sensu*, sive *attenta sententia-* » *rum connexione* temerarias, scandalosas . . . » damnamus et reprobamus ».

Formola, *pro quanto*, *qualenus.*

Martino V, nella bolla *Inter cunctas* (sess. 45 ed ult. del concilio di Costanza, presso Labb.) confermativa della condanna fatta nella sess. 8 degli articoli di Wicleffo, sotto l'art. 24, » Fra- » tres teneatur per labores manuum victum » acquirere, et non per mendicitatem », vi soggiunge ed applica la sua particolare censura, in questi termini di cauta dichiarazione: » Pri- » ma pars est scandalosa, et praesumptuose as- » serta, *pro quanto* sic generaliter et indistincte » loquitur: et secunda erronea *pro quanto* as- » serit mendicitatem Fratribus non licere ». E sotto l'art. 41: » Non est de necessitate salutis » credere romanam Ecclesiam esse supremam » inter alias ecclesias »; si aggiunge la cauta precisa dichiarazione: » Error est, si per romanam » ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, » aut *pro quanto* negaret primatum summi Pon- » tificis super alias ecclesias particulares ». Coerentemente Innocenzo X, an. 1647, nel proscrivere varie proposizioni, che insinuavano una totale aguaglianza tra s. Pietro e s. Paolo, usa la stessa cautela di notare il punto preciso dell'errore, ossia del pravo senso su cui cade la condanna. » Propositionem. . . . ita explicatam, » ut ponat omnimodam aequalitatem » etc.

Qual cautela quanto giovi ed opportuna sia a provenire le cavillazioni de' refrattarj, ho procurato mostrarlo in alquanti miei . . . .

Usò pure la medesima cautela lo stesso Innocenzo X nel condannare, an. 1653, la 5 proposizione di Giansenio: » Et intellectam eo sensu, » ut Christus pro salute dumtaxat praedestina- » torum mortuus sit » etc. Che però intese espressamente far precedere la dichiarazione del pravo senso alla definizione che lo condanna. » Mandamus . . . . ne de dictis propositionibus » sentire, docere, praedicare aliter praesumant, » quam in hac praesenti nostra *declaratione* et » *definitione* continetur.

E qui noto: 1.° che la formola *sic explicatam*, *sic intellectam*, sotto cui si premette alla censura la dichiarazione della dottrina che si condanna, ella è la stessa che la formola *pro quanto* adoperata da Martino V e dal concilio di Costanza; e nel decreto della fer. 4, die 18 novembr. 1682: » *Quatenus admittit* usum dictae » scientiae cum gravamine paenitentis » etc. per tacere di più decreti della Facoltà di Parigi, emanati sotto la stessa formola.

2.° Che Alessandro VII, Costituz. *ad Sanctam* an. 1656, nel proscrivere di nuovo, ossia nel confermare la proscrizione già emanata dal suo predecessore Innocenzo X, delle proposizioni di Giansenio, le condannò sotto il nome di Dottrina: » Mandamus omnibus Christi fidelibus, » ne praedictam *doctrinam* teneant » etc.

3.° Che sebbene le proposizioni di Giansenio si potessero di già dire condannate *in globo* negli articoli di Bajo, di cui Giansenio rinnovava la dottrina, come, per esempio, la prima proposizione gianseniana » *Aliqua Dei praecepta... sunt impossibilia*, etc., nell'art. 54 di Bajo: » Definitiva haec sententia Deum homini nihil » impossibile praecepisse, falso tribuitur Au- » gustino, cum Pelagii sit ». E la III gianseniana, *ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*, nell'art. 67 di Bajo: » Homo peccat etiam da- » mnabiliter in eo, quod necessario facit ». Con

tutto ciò non istimò Innocenzo X, che bastasse condannare le proposizioni di Giansenio come rinnovanti gli articoli di già proscritti di Bajo; ma per troncare la radice all'errore, volle devenire ad una propria, particolare, determinata censura delle medesime.

Ed in vero quando avviene, che certi errori, sebbene generalmente proscritti, tuttavia non tralascino di serpeggiare nel grembo della Chiesa, ed infestare gli animi de'fedeli; stimò sempre la santa Sede esser dovere e principale cura della sua pastorale sollecitudine di frenare il corso del contagio con determinate condanne, che manifestino chiaramente l'errore che devesi abjurare da chiunque voglia rimanersi nella Chiesa e professarsi cattolico.

Così Alessandro VIII, an. 1690, condannò sotto la speciale censura di eretica, la seguente tesi o proposizione: » Hunc (Deum) homo non » tenetur amare neque in principio, neque in » decursu vitae suae mortalis ». Sebbene questa fosse una rinnovazione delle proposizioni già condannate *in globo*, cioè da Alessandro VII (prop. 1): » Homo nullo unquam vitae suae » tempore tenetur elicere actum fidei, spei et » caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad » eas virtutes pertinentium »; e da Innocenzo XI (proposit. 5) » An peccet mortaliter, qui a» ctum dilectionis Dei semel tantum in vita e» liceret, condemnare non audemus »; e (prop.6): » Probabile est, ne singulis quidem rigorose » quinquenniis per se obligare praeceptum ca» ritatis erga Deum ». Molto più espressamente ciò si rileva dal modo che tenne Benedetto XIV (constit. *Detestabilem*) nel condannare determinatamente cinque proposizioni intorno al duello, estratte da libro moderno. Rileva egli l'abuso delle interpretazioni colle quali taluni si erano studiati di declinare le condanne, già emanate dalla santa Sede in tal proposito; e segna particolarmente le proposizioni 2, 17, 18 tra le condannate *in globo* da Alessandro VIII, e la 32 tra le condannate *in globo* da Innocenzo XI: *Quas quidem assertiones duellis faventes apostolica Sedes censura notavit, rejecit, proscripsit.* Eppure non si contentò il Pontefice di condannare le moderne proposizioni colla qualifica di rinnovanti le precedenti già condannate *in globo;* ma siccome seguitava l'errore a propagarsi sotto mendicati colori e pretesti, procedette ad una speciale determinata condanna.

4. Vi sono più e più esempi di censure, nelle quali tra le varie qualifiche di falsa, temeraria, erronea, ecc., si aggiunge la qualifica *alias damnata*; ma non mi è occorso di trovare esempio di una condanna, che si ristringa alla sola e semplice qualifica di rinnovante una proposizione di già condannata *in globo*.

Questo modo di censura potrebbe soggiacere a due difficoltà : l'una che darebbe luogo a dire, che con tal censura nulla più si provvede, di quello che si fosse di già proveduto.

L'altra che un tal modo sembra esser quello, che può altresì dare luogo a più e più moleste cavillazioni per parte de' refrattarj. Imperocchè quando la proposizione, che dicesi rinnovante, non sia indenticamente e *ad litteram* la stessa che s'indica come rinnovata, i cavillatori prenderanno sempre da qualche varietà nell'espressioni un apparente motivo di litigare sul senso delle rispettive proposizioni.

Per esempio nella...., sotto il dub. IV, fu discussa la propos. del Sinodo (decreto della grazia, §. 17), » è una pratica piena di pruden» za e di carità il dargli (al peccatore) tempo » di sentire il peso de' suoi peccati, di umi» liarlo innanzi a Dio » ecc. Si nota nel foglio, che due de' . . . . e due degli . . . . , stimarono di aggiungere la qualifica di rinnovante le proposizioni 87 e 88 di Quesnello. Eppure non mancherebbono i difensori del sinodo di rilevare, che in quel passo del sinodo si parla dei peccatori abituati, laddove nella prop. 87 di Quesnello si parla di ogni peccatore in generale.

Circa il punto de' due amori (che è uno dei più importanti, ed al quale si rivolgerà specialmente l'attenzione e l'espettazione del pubblico) quando si voglia stare a dire semplicemente che il sinodo *attenta sententiarum connexione* rinnova le tali o tali proposizioni condannate in Bajo, Quesnello, ecc. si corre rischio di veder tosto insorgere tutte le obbiezioni, e difficoltà promosse dall'autore del cennato scritto, tendenti a mostrare, che la connessione delle sentenze, lungi dal pregiudicare al sinodo, è appunto quella che lo salva, bastando a dileguare ogni sospetto di bajanismo, o quesnellismo. Diranno che non si sono raccolti e combinati a dovere i testi sparsi nel sinodo, e perciò essersi sbagliato nel censurare il sinodo come rinnovante gli errori di Bajo e di Quesnello; e ciò si citerà in esempio ed argomento della fallibilità della Chiesa e della santa Sede nel giudicare del senso de'libri e degli autori; si pretenderà doversi ridurre la questione a discutere, se siano stati bene o male attesi li testi, dai quali dovea risultare il vero senso del sinodo, ed intanto rimarrà scoperto in certa guisa il giudizio della santa Sede, ed esposto ad interminabili alterazioni.

Si può prevedere che saranno queste le inevitabili conseguenze di un tal metodo di censura; il che sembra vie più dimostrare la necessità di cautelare il giudizio della santa Sede tenendo un'altra via, che toiga ogni adito a sì fatte questioni. E questa via ci viene additata ed aperta nella traccia, segnata già da Innocenzo X.

A giustificare pienamente la necessità di questo metodo gioverà moltissimo il mettere in vista da principio il solito artifizio de' novatori, nell'insinuare gli errori che vogliono disseminare, sia palliandoli sotto l' ambiguità di espressioni variamente interpretabili, sia con usa-

re anche or in un luogo, or nell'altro certe frasi conformi alla dottrina cattolica, per mettersi al coperto de' rimproveri che temono. Così fece Pelagio, così Celestio, il quale in un libello pubblicato in Roma, spiegossi in tal guisa, che s. Agostino ebbe a dire (de peccato Originali cont. Pelag. et Caelest. c. 5): » Si nihil de hac » re deinceps diceret, quis non eum crederet » confiteri, etiam infantibus in baptismo ori» ginalia peccata dimitti, dicendo eos in remis» sionem peccatorum baptizari oportere»? Con tale artifizio ingannò Pelagio il sinodo palestino; ma come soggiunge s. Agostino c. 8: » Roma» nam vero Ecclesiam, ubi eum esse notissimum » scitis, fallere usquequaque non potuit; quam» vis et hoc fuerit utcumque conatus, sed ut » dixi, minime valuit ». E cap. 18, spiegando vie maggiormente gl' inganni di quel novatore: » Denique quomodo respondeat advertite, et vi» dete latebras ambiguitatis falsitati praepara» re refugia, offundendo caliginem veritati; ita » ut etiam nos cum primum ea legimus, recta » vel correcta propemodum gauderemus. Sed » latiores disputationes ejus in libris, ubi se » quantumlibet operiat, plerumque aperire » compellitur, fecerunt nobis et ista suspecta, » ut attentius intuentes inveniremus ambigua». Così avviene nel sinodo. Pare che sia corretto in un luogo l'errore, che s'insinna in altro luogo. A discutere pertanto una siffatta ambiguità, conviene colla formola *quatenus, sic explicatam, sic intellectam* fissare precisamente il senso erroneo, cui per la stessa loro ambiguità soggiacciano quelle siffatte espressioni; e facendo cadere su di esso la censura, si sottrae alle suddette cavillazioni il giudizio della santa Sede; mentre per una parte si censura un senso notoriamente erroneo, e tal riconosciuto da tutte le scuole cattoliche; e per altra parte colla cautela, *quatenus*, ecc. si lascia in disparte il punto, che aprirebbe il campo ad interminabili dispute, se questo senso sia quello che risulta dalla continuazione di testi, e se siano stati attesi o no quelli che doveano prendersi in considerazione. Con che svaniscono le opposizioni, fatte nel cennato scritto.

LITTERARUM OBEDIENTIAE

DOGMATICAE CONSTITUTIONI

AUCTOREM FIDEI

S. M. PII VI

AB ANTISTITE NN. PRAESTITAE

EXEMPLUM

CLERO ET POPULO SUAE DIOECESIS

DENUNCIATUM SIMUL ET PRAESCRIPTUM (1)

Acceptam gratissimo vestro munere, PP. EE., dogmaticam Sanctissimi Domini nostri Constitutionem, cujus est principium *Auctorem Fidei*, qua pistoriensis pseudo-synodi *Acta* et *Decreta* damnantur, profiteor me non obedienter modo, sed et omni eo mentis et cordis obsequio complexum esse, quod Petro debetur, loquenti per Pium.

Non mei ingenii, non facultatis est meritis laudibus eam prosequi singularem ac prope divinam in eo edendo decreto pontificii consilii sapientiam; quae (quo majus dici nil potest) vicit expectationem, quam commoverat. Vehementer nimirum, nec immerito damnatio jam dudum expetebatur synodi ejus, quam vel primo aspectu prudens quisque deterrimam diceret hoc ipso, quod ceterarum, quae hactenus laudatissimae habitae sunt, synodorum dissimillima prodiret. Nec omen fefellit eventus. Statim enim ut vagari ea libero coepit, bonis omnibus, qui de summa Religione pie, sapienterque sentirent, dolendum fuit, ab infelicis ejus operis machinatoribus nil minus videri susceptum, quam ut claritati praedicationis evangelicae tenebras offunderent; hierarchici regiminis universi ordinem, jura, libertatem, auctoritatem subverterent; atque importuno restituendae antiquitatis assimulato studio, quam nec ipsi sperarent hae temporum conditione restitui posse, vigentis interea disciplinae statum convellerent: qua dilapsa nil jam ratum, firmumque consisteret, atque aperta vaniloquis et seductoribus effrenata pateret licentia ad subvertendum. Nec reapse, si verum fateri volumus, defuere illis antiquitatis exempla, qui vias inire ex omni memoria temporum a novatoribus tentatas, horumque collectas undique artes, et fallacias, etsi jam pridem ab aetatis cujusque Patribus detectas et profligatas, subsidio sibi comparare non dubitaverint.

Atque in primis, ut ad illud me referam invidiosum caput generalis obscurationis veritatum in Ecclesia, ei earum quidem veritatum, quae dictae sunt a synodo *basis fidei et moralis doctrinae Jesu Christi;* ne ab Artemone usque initium ducere necesse sit, sane cum pelagianorum signifer et princeps Julianus objiceret, *toto penitus Occidente non minus stultum, quam impium dogma esse susceptum* (2): insuper consuetam urgeret querimoniam *de invidia*, quam illi *se sustinere pro veritate jactabant*, *et de paucitate prudentium*, *quibus se placere gaudebant* (3): contra Augustinus ea fretus catholica sententia, tot a se locis adversus donatistas illustrata et confirmata, qua plane significat ac velut fixum, ratumque statuit, non magis Christi veritatem, quam Ecclesiam Christi latere posse: *ubi latet Ecclesia Christi*, *ubi latet veritas Christi* (4)? Satis esse duxit ad arrogan-

(1) Così messo in luce a Venezia nel 1800 coll'*Esame de' Motivi del Vescovo di Noli*: ms l'autografo, che ne conservano i PP. Barnabiti di Roma, aggiunge in fine *Romae ex aedibus S. Caroli ad Catinarios. H. Card. Gerdil Abbas S. Michaelis de Clusa, Nullius.* D. A. M.

(2) Aug. l. 4, cont. duas Epist. Pelag. c. 8.

(3) Cont. Jul. Pelag. l. 5, c. 1.

(4) Enar. in Psalm. 87, n. 9.

tis hominis frangendam audaciam uno verbo reponere, *hanc veterum et novorum omnium vocem esse haereticorum*, *ipsam consuetudine jam sordidatam atque protritam*. Ut mirum videri debeat sordidatam istam ab Augustino contemptam et abjectam generalis obscurationis calumniam ab illis nunc potissimum hominibus renovari, qui se Augustini doctrinae, auctoritati, nomini addictos prae ceteris, devotosque gloriantur.

Quo magis optandum erat, ut per damnationem propositionis synodi, quae prima est inter proscriptas, claritas vindicaretur ad finem usque saeculi permansura praedicationis evangelicae in catholica unitate sub visibili ministerio pastorum, Petri Cathedrae adhaerentium; atque ita irrevocabili tandem judicio fixa et immota consisteret vetusta jam inde ab incunabulis Ecclesiae profecta auctoritas, quam apostolici aevi aequalis prope ac probatissimus auctor Irenaeus hisce verbis testatam prodidit (1): » Et Ecclesiae quidem praedicatio » vera et firma, apud quam una et eadem sa» lutaris via in universo mundo ostenditur. » Huic enim creditum est lumen Dei; et pro» pter hoc *sapientia Dei* (2), per quam salvat » omnes homines, *in exitu canitur, in plateis » autem fiducialiter agit, in summis muris prae» dicatur, in portis autem Civitatis constanter » loquitur*. Ubique enim Ecclesia praedicat ve» ritatem; et haec est ἑπτάμυξος lucerna Chri» sti bajulans lumen ».

Et quidem cum in visibili pastorum ministerio per orbem diffuso, atque una fidei communione sub uno supremo capite devincto, conspicua cernatur *Cathedra unitatis*, in qua profitetur Augustinus Deum posuisse *doctrinam veritatis* (3), idque ad securitatem plebis, ne unquam salubris doctrinae veritate desereretur; profecto liquet, generaliter obscuratam nec esse, nec dici posse partem ullam salubris hujusce doctrinae, quae ad securitatem plebis praedicatur sub visibili ministerio, quo *Cathedra unitatis* continetur; aut si quid affertur a communi ea praedicatione dissentiens, convincatur aberrare a *doctrina veritatis* hoc ipso quod recedit a *Cathedra unitatis*.

Non minus proinde ab Augustini mente, quam ab omni catholico sensu aliena se prodit misera istbaec adversariorum defensio; dum certas quasdam veritates, quae antiquitus tamquam totidem fidei capita passim habitae sint, volunt sic decursu temporum obscuratas esse, ut cum nunc denuo emergunt, novae appareant. Aut enim veritates istae in visibilis ministerii continuata successione *ubique et semper* viguerunt, tumque certe novum nusquam accidere aut videri potuit, quod per visibile ministerium, orbe toto diffusum, Ecclesia communiter praedicare nunquam destitit; aut si quid aliquando tamquam novum hujus visibilis ministerii communi praedicationi objici et apparere contigerit, nequeat hoc ipsum inter veritates illas referri, quas si semel antiquitas tenuit, nunquam deinceps, ne catholicae successionis formam amitteret, deserere ullo tempore potuit. Atque haec una fuit a Tertulliano ad Bossuetium usque plana, certa, planeque invicta perpetuitatis fidei catholicae in communi praedicatione propugnatio adversus insidiosam istam novatorum quorumcumque jactantiam; qui probe nossent non aliam sibi ad fallendum paratiorem viam occurrere, quam si, ut primum prodibant, sese veluti praedicatae olim veritatis ac postmodum desertae, poneque oblitae instauratores et vindices ostentarent. Quo etiam intelligi potest, quae sit istorum, cum quibus agimus, causae ratio; quibus non aliud sit defensionis, quam quod semper fuerit errantium omnium commune perfugium.

Quin et ad hanc eamdem magis magisque depellendam ementitae obscurationis invidiam, tum et ad fidei, sanaeque doctrinae integritatem sartam, tectamque tuendam, non parum est locis et adjumenti allatura provida cautio, quam ex majorum instituto et exemplo sapientissimus Pontifex adhibendam censuit, ut quibus locis sub latebris ambiguitatis suspiciosa se offerret ac periculosa discrepantia sensuum, perversa significatio distincte notaretur, cui error subesset, quem catholicus sensus reprobaret. Qua iucunda ratione Pastor supremus duo illa splendide complexus est cum maxime insignia apostolatus sui munera, ut et docendi magisterio fidelium mentes luce veritatis perfunderet, simul et apostolicae auctoritatis vigore adversos errores profligaret; idque una praestitit quod in causa Pelagii et Caelestii Augustinus (4), africani Patres ab apostolica Sede (5) magnopere expetebant, ut suspectae fidei homines suos errores tergiversando fovere assueti, ad certa et enucleata capita revocati prodere se, suosque sensus cogerentur, atque ita eorum *vel astutia*, *vel correctio dilucesceret*, *nec ulli ambigua remaneret*. Quod institutum renovari nunc maxime praestabat adversus illas praesertim synodi perplexas, implicatasque sententias, quae veint sua sponte prolabuntur, aut saltem facilius flecti valent et solent in eos sensus, quibus ad obterendam Ecclesiae traditam a Christo potestatem profani homines hac aetate avidius, licentiusque abutuntur.

Qua de re saepe jam a sapientibus viris animadversum est, quam sit affinis et consentiens eorum ratio, qui regiminis hierarchici ordinem subvertere moliuntur, cum insanis illo-

(1) Lib. 3, cont. haeres. c. 20.
(2) Proverb. 1.
(3) Epist. 105. ed. Maur.

(4) Lib. 2. cont. duas Epist. Pelag. c. 3.
(5) Epist. 179. n. 6.

rum consiliis, qui potestatis omnis originem a populo repetentes, eamdem perversionem in civilis regiminis ordinem invehere aggressi sunt. Par scilicet utrisque principatus odium, par popularis perversissimae aequalitatis amentissimum studium. illi primum discerpta supremi Pontificatus jura sic inter episcopos exaequare coeperunt, ut ea mox ab episcopo in presbyteros, a presbyteris in plebem transferrent; penes quam summa potestatis consisteret, cujus usum ministris delegaret, quos sibi ipsa selegisset. Isti pari progressu potestatem a supremis imperantibus in magistratus, a magistratibus in populum sic transtulere, ut prior illa hierarchici ordinis informata perversio, exempli sui contagione posteriorem istam civilis totius ordinis perturbatissimam conversionem adduxisse videatur, cujus exitus quam exitialis fuerit, funestissima omnium, quae subsecuta est, nec diu expectata calamitas comprobavit.

Illa quoque apostolicae censurae severitatem magnopere sollicitabant, quae tam multa commota sunt in synodo adversus pios mores et ritus in omni pene colendae religionis officio per universam Ecclesiam servari consuetos: qua disciplinae perversione viderint synodi auctores quid reliqui sibi fecerint ad existimationem, quos nec famae pudor deterruerit ab ea subeunda *insolentissimae insaniae* nota, quam mitissimus atque lenissimus Augustinus non dubitavit eorum temeritati inurere, qui, quod iota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare audeant (1).

Atque in hac ipsa quidem pro arbitrario innovandi licentia eo gravior est culpa novatorum, quo se illi veterum canonum studiosiores profitentur, quibus proinde ignorare non liceat, minus vero auctoritatem negligere vetustissimi canonis inter apostolicos relati, cujus haec est praescriptio tot postmodum conciliorum sanctionibus, perpetuoque more Ecclesiae confirmata: » Episcopos uniuscujusque gentis » nosse oportere eum, qui in eis est primus, » et existimare ut Caput, et nihil facere quod » sit arduum aut magni momenti praeter il» lius sententiam (2) ».

Au vero canonis hujusce auctoritatem sequuta synodus est, dum nulla aut Sedis apostolicae, aut sui etiam metropolitae habita ratione verita non est, parisiensis conventus an. 1682, articulos non dumtaxat adoptare, verum et in decretis ad fidem pertinentibus eo expresso consilio adjicere, ut publica horum, solemnique adoptione, quae passim et sparse per totum illud decretum perperam tradita sunt, concluderet ac velut obsignatis tabulis communiret? Quo sane synodus ab ipsorummet Parisiensis *declarationis* auctorum sententia et verecundia longe recessit: qui primum ne suspicari quis posset eos quidquam velut ad fidem pertinens in ea *declaratione* statuere voluisse, non dubitarunt in *Acta* referre cameracensis archiepiscopi responsum, quo testatum erat, non eam conventus mentem fuisse, *ut ex illa sententia decretum fidei faceret, sed tantum ut eam opinionem adoptaret*. Quod et aliis *Actis* plane confirmat cl. Bossuetius vel quisquis est auctor opusculi, cujus titulus: *Gallia orthodoxa* art. 6, in opere *Defensionis*, etc. Deinde nec et istud praetereundum erat, gallicanos illos praesules ad exponendos suae declarationis articulos non ante devenisse, quam praefati essent se se ab illis longissime abhorrere, qui » Primatum » beati Petri, ejusque successorum romanorum » Pontificum a Christo institutum, iisque de» bitam ab omnibus obedientiam, Sedisque a» postolicae, in qua fides praedicatur et uni» tas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus » gentibus majestatem imminuere non verean» tur ». Contra synodus nil detestandum hoc imminutae pontificiae potestatis crimen verita, non modo expressam illam, quam *declaratio* praesefert, debitae ab omnibus primatus majestati obedientiae professionem turpiter omittit, sed, quam prorsus praeterire non potuit, primatus mentionem jejune adeo, strictimque attigit, ut dum romanum Pontificem *primum* dumtaxat memorat *inter Pastores Christi Vicarios, caput ministeriale, cui velut centro unitatis ceteri juncti sunt; cavere in primis voluisse videatur*, ne paulo plus quidquam romano Pontifici concederet, quam quod ei deferre primarii etiam inter protestantes viri ultro se paratos ostenderint.

Nec vero quemquam fugit in illis adoptandis articulis callido consilio synodum in spem intendisse magni cujusdam ad opportunitatem parandi sibi subsidii; verum et hic etiam astutam saeculi prudentiam vicit religionis plena sapientia Pontificis, qui nempe cum de una synodo judicium instituendum suscepisset, declaratione ipsa, utpote a synodo aliena, eodem loco et statu relicta, quem ex superiorum Pontificum decretis obtinebat, peculiarem, quao synodi propria est, *tot capitibus vitiosam adoptionem* peculiari damnationi subjiciendam censuit velut temerariam, scandalosam, apostolicae Sedi injuriosam, quin et ipsimet gallicanae ecclesiae; quam dignam synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est totum contaminatum decretum.

Atque interea dum haec scriberem peropportune accidit, ut unius ex praestantissimis Galliarum episcopis litterae mihi venerint in manus, quibus amplissimus antistes, cum egregium suum in amplectenda sanctissimi D. N. Pii VI dogmatica Constitutione plenum pietatis obsequium, suamque communem cum aliis de profligatis pseudo-synodi pistoriensis erro-

(1) Epist. 54. n. 6.
(2) Can. XXXIII. Ex interpr. Gent. Herveti.

ribus gratulationem ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium deferret, tum etiam tamquam gallicanus episcopus praecipuo nomine de synodi temeritate gravissime conqueritur, quae verita non sit insigni plane injuria gallicanam ecclesiam afficere, dum hujusce declarationis an. 1682, adoptionem decreto *de Fide* insidiose adjunxit, quo et ei declarationi majoris auctoritatis pondus adjiceret, et hujus dein ac totius Ecclesiae auctoritate ad suos errores tuendos per summam fraudem abuteretur. Jure sane et merito, quod facile quivis intelliget, qui modo ad pauca illa paulo diligentius attenderit, quae sunt ea de re notata, quaeque pro rei gravitate haud piguerit denuo hic, strictimque perstringere.

Ac primum cum in summa expositionis fidei, quam proponit synodus (idque praeter sententiam praesulum gallicanorum, qui ut dictum est, nihil se de fide statuere voluisse testati sunt) profitendos decernit memoratae declarationis articulos, quid aliud innuit, nisi se peculiarem quamdam et suam profitendae fidei normam ex ea declaratione voluisse arcessere; quasi gallicana ipsa ecclesia fidem aliam catholicam agnosceret, quam quae fides est *aeternae Cathedrae*? quae ut praeclare Bossuetius, praestantissimum ejus Ecclesiae decus et ornamentum *a Petro*, *Petrique successoribus edocta nullam novit haeresim* (1): aut sacrum illud effatum oblita esset, quod a majoribus perpetua successione traditum eodem loco idem Bossuetius luculentis hisce verbis extulit: *Romanam Fidem semper esse fidem Ecclesiae*.

Altera injuria, eademque gravissima, extat, proditque se se in conviciis, quibus omni contumeliarum genere synodus *decisiones* vexat, quas vocat *indeterminatas*, aitque nonnullis ab hinc saeculis prodiisse. Quae convicia nemo dubitat, quin potissimum conjecta sint in venerabilem Constitutionem *Unigenitus*, quam nec Pistorienses negare ausuri sunt, designatam ab illa fuisse notis iis, quibus decisiones hujusmodi perstringit, veluti: » Decreta profecta ab una » particulari ecclesia aut a paucis pastoribus, » minus pura mente promota, ad veterem subvertendam doctrinam directa, modis irregu» laribus et violentis intrusa . . . quibus vul» nera Ecclesiae inflicta sunt recenti adhuc » sanguine madentia ». Nec mirum, quibus mirifice Quesnellius placeat, tanto iis odio Constitutionem esse, qua sunt ejus errores damnati.

At profecto quis ignorat, quanto studio fuerit ea Constitutio a gallicanis praesulibus expetita, non quidem a particulari ecclesia, sed ab apostolica Sede omnium ecclesiarum matre ac magistra, quanto sapientissimorum antistitum consensu, obsequio, plausu suscepta? Ut haec etiam praecipua laus fuerit, sic flagranti eorum studio defensam eam, vindicatamque fuisse, ut jam dudum prope sileant in Gallia ora obtrectantium, nec inter abjectissimas, quae illic supersunt, quesnellianae factionis reliquias quisquam fere extet, qui non se ultro in schismaticae ultrajectinae sectae castra conjiciat.

Quamobrem si qui sunt, qui minus aequo animo damnationem tulerint vitiosissimae adoptionis hujusce factae in synodo, velim paullum se se colligant, secumque ipsi reputent, ecquid consilii Patribus ipsis gallicanis capiendum fuisset, siquidem ad eos primum causa delata esset synodi pistoriensis. Num illi vitia tacere potuissent adoptionis, qua declarationis, immo gallicanae ecclesiae auctoritas adscita est ad continuelias obsignandas non minus rectae fidei adversas, quam in universam, et gallicanam praesertim Ecclesiam, summopere injuriosas? Tacuissent? An non hoc ipso suo silentio satis annuissent, non immerito a synodo in gallicanae ecclesiae auctoritate quaesitum fuisse, repertumque perfugium? At nefas quidquam tale, tamque indignum de gallicanis Patribus suspicari. Quae porro alia depellendae a se tam iniquae suspicionis ratio, nisi ejus ipsiusmet infaustae adoptionis aperta reprobatio? Ne videlicet percrebrescere illi alnerent in vulgus, quin et ab ipsismet Pistoriensibus impune jactari, advocatam a se gallicanae ecclesiae auctoritatem ad obsignandum suum decretum de fide, eique advocationi silentio saltem suo Patres gallicanos paruisse. Quis igitur quaerimoniae locus, apostolicae auctoritatis vigore damnationi provisum esse adoptionis ejus *tot vitiis affectae*, quam Patres gallicani pro sua fide, religione, sapientia reprobare ipsi debuissent, si consuluisse sibi vellent?

Nec minus hoc eodem in genere peccatum a synodo est, quod ad suum arbitrium revocare ausa sit abstrusiorum, quae in scholis agitantur quaestionum judicium: quodque mirandum est magis, dato congregatis tridui spatio ad cognoscenda decreta domo allata; de quibus prope per ludibrium sententiam rogati, vocem in judicium, non mentem et sensum afferre valerent.

Par temeritas pari animadversione digna se prodit ea parte, qua synodus de reformatione Regularium agere instituens, talem ejus peragendae rationem praescribit, quae spectat non ad provehenda in melius regularia instituta, verum ad infestam illam augendam, quam dudum sustinent Regulares, ab heterodoxis praesertim, in se conflatam invidiam; quorum conviciis turpe semper synodo fuerit obsequentiorem aurem praebere voluisse, quam verissimis laudibus, quibus orthodoxi Patres, iidemque clarissimi, uberrimos pietatis ac doctrinae fructus ex multiplici probata Ordinum regularium

(1) Serm. de Unit.

varietate prodeuntes commendare nullo unquam tempore destiterunt.

Indignissimum vero illud est, quod *in majorem partem monialium* generatim et indistincte foedum conjicitur *carnalis spiritualitatis* convicium (cujus tamen vocis contumeliam aequiore sibi animo sacrae virgines perferendam ducent, si modo hanc eamdem noverint, eisdemque verbis in devotionem ipsam erga sacratissimum Cor Jesu ab impugnatoribus ejusdem passim jactari, atque a praesule ipso (1), qui synodo praefuit, expresse jactatam esse). Ac revera quocumque modo *carnalis* isthaec *spiritualitas* intelligatur, a qua jubet synodus avocandas moniales, *ut solidis exercitationibus ac praecipue labori addicantur*, sive talem intelligi placeat, quae admixtum quid habeat impurae labis, tumque non sine maledicissima, impudentissimaque calumnia dici potuit, hanc *facere occupationem* (quae expressa est littera synodi) *majoris partis monialium;* quippe nimium abest foeda ista suspicio ab sacris illis aedibus, in quibus *Angelorum vitam* intueri *in terris* sibi videbatur Ambrosius, *quam quondam in Paradiso amiseramus* (2): sive, quod planius ex contextu toto elicitur, *carnalis* ea *spiritualitas* refertur ad exercitationes frequentari solitas in monasteriis, quas nominatim placuit synodo pluribus locis notare veluti a solidae pietatis exercitatione alienas; tumque aperte criminatio illa recidit in multiplicia illa pietatis exercitia, quae reapse *faciunt*, ut ait synodus, *occupationem majoris partis monialium:* exercitia nempe diuturnioris psalmodiae, frequentioris confessionis venialium, determinati numeri precum et salutationum in sacris statis votivisve caeremoniis, expiationibus, supplicationibus, aliisve religiosis muneribus obeundis; tum specialis cultus erga certas potius, quam alias imagines, easdemque specialibus et probatis titulis insignitas, aliasve affines devotiones, quas per summum errorem synodus rejicit tamquam noxias, periculosas, superstitiosas, erroneas: quae ipsae notae sunt, quibus carnalis illa spiritualitas designatur, cujus ignominiam devotioni erga sacrum Cor Jesu praesul ipse (ut ante dictum est) inurere veritus non est in ea instructione, quam synodus adoptavit. Quamobrem facile perspicuum est, quam pie, quam juste coercenda fuerit temeraria illa synodi cum iniquissima criminatione conjuncta praescriptio, qua fictae carnalis spiritualitatis nomine moniales avocare studet ab religiosis illis exercitationibus, quibus, sive ex suarum quaeque Regularum praescripto, sive ex piis inductis consuetudinibus, sive ex flagrantiori quodam studio perfectionis evangelicae, cum laboris etiam dispendio pleraeque distinentur. Nec enim ita *praecipua* debet esse cura laboris, cui laudabiliter suum quoque tempus impenditur, quin potior multo ratio habenda sit piarum divini cultus exercitationum, quibus assidue colendis exaedificata sunt a saeculari strepitu segregata claustra sacra monialium.

Non omnia ego mihi commemoranda sumo, quae in apostolica hac dogmatica Constitutione catholici orbis gratulatione et plausu celebrantur. Sed cum in praeclaris plurium praestantissimorum praesulum responsis, quae videre mihi contigit, animadverterim alios alia, prout cuique visum est, in ejusdem Apostolici judicii commendationem adnotasse; in hanc spem inductus sum non aegre vos, EE. PP., laturos, si et ipse pauca longiore quidem sermone, quam epistola, breviore vero quam epistolae argumentum postulat, capita attingerem; quae, ut fert varietas ingeniorum, nonnulli etiam generi hominum existimavi profutura.

Neque id tamen (quod probe notatum velim) quasi putem humanis qualibuscumque rationibus et argumentis vim pendere apostolici judicii, quae promissionis Christi divina plane, aeternaque auctoritate nititur, suamque firmitatem ab ejus Petrae soliditate mutuatur, adversus quam portae inferi nunquam sunt praevaliturae. Scilicet huc spectat hujusce scriptionis ratio, nec aliud aut mihi aut aliis in hoc argumento versantibus propositum est, quam ut rudioribus praesertim aditus paretur ad planiorem quamdam rerum definitarum intelligentiam informandam; qua instructi facilius etiam fraudes eorum atque insidias effugere valeant, qui perversa loquuntur, ut abducant discipulos post se. Quo in genere et istuc potissime, omninoque cavendum, ne si quid forte scribenti exciderit, quod minus aptum, minusve firmum videri queat, hoc ipsum contra jus retorqueatur, aut quidquam valere putetur ad vim infirmandam definitae sententiae, cujus veritas per se una, planeque immota, ut dictum est, apostolici judicii auctoritate confirmata, divinitusque sancita innotescat.

Nunc ut ad illa, quae ante diximus, antistitum responsa redeamus, quis in tam brevi intervallo, quo tam multa, tamque insignia undique allata sunt, quis, inquam, non divinum plane miretur aut suspiciat praesentis in Ecclesia providentissimi Numinis immortale beneficium, ut ad vocem Petri tam prompta et parata responderit clarissimorum undique antistitum in apostolica suscipienda Constitutione, plena debitae venerationis et obsequii, consensio? Qua nempe illi *suarum successionum* consanguinitatem doctrinae testati sunt cum principe illa, omnium maxima, omnibus cognita, in Sede Petri a Deo constituta Ecclesia (3), per cujus Pontificum successiones praeconium veritatis in omnes gentes ad omnem futuri temporis memoriam propagaretur: ut nullus jam vel

(1) Instruct. 32, in Append.
(2) De Instit. Virginis c. 17.
(3) Iren. cont. haeres. l. 3, c. 3.

pertinacissimis obtrectatoribus obloquendi locus relinquatur; nisi si qui spreta successionum per orbem diffusarum, et cum principali successione convenientium auctoritate, vocem ipsam contemnere non vereatur unitatis catholicae, quae illa successionum cum prima Sede consensione et nexu coalescit, continetur et efflorescit.

His ego salutaris orthodoxae doctrinae praesidiis miserante Deo munitus, dictumque memoria repetens beati Caesarii arelatensis episcopi (1): » Sicut a persona beati Petri Apostoli Episcopatus » sumit initium, ita necesse esse, ut disciplinis » competentibus ab apostolica Sede singulae ecclesiae, quid observare debeant, erudiantur »; spondeo quoad vires ferent, daturum me operam, ut ab iis, qui pastorali meae curae subjecti sunt, praefatae dogmaticae sanctissimi Domini nostri Constitutioni debita obedientia tribuatur. Interea, dum vobis, PP. EE., salutaria omnia et prospera ab omnium bonorum Largitore precari non desino, votaque mea cum vestris conjungere, ut misericors Deus Ecclesiae suae sanctissimum Dominum nostrum quam diutissime servet ac praestet incolumem, EE. VV. manus humillime deosculor.

Romae die 24 Decembris 1794.

(1) Libel. ad Symmacum ap. Labb.

DE EADEM RE

ALIAE LITTERAE (1)

Eminentissimi et Reverendissimi Domini mei obsequentissimi.

Constitutionem dogmaticam a sanctissimo Domino Nostro Pio P. VI editam, et legitime publicatam, cujus exemplum Eminentiae VV. ejusdem Summi Pontificis nomine ad me humanissime vestris cum litteris miserunt, cupidissimo animo accepi. Qua sane perlecta, in eam admirationem divinae providentiae in tuenda Ecclesiae fide me abreptum sensi, ut sublatis ad caelum manibus Deo Optimo Maximo gratias egerim, quod supremo Pastori in tanta re tam manifesto numine adfuerit; eidemque tam divinam sapientiam, animique firmitatem indiderit, qua negotium adeo implicatum ac periculosum tanta cum Ecclesiae gloria ac populorum salute posset expedire. Itaque cum vehementissime gaudeo, dogmatico hoc Petri loquentis oraculo, tot execrandis doctrinis damnatis, occursum impiorum malitiae esse, quae eo spectabat potissimum, ut absurdis perniciosisque hisce legibus omnem cum sacram tum civilem potestatem commisceret, ac deinde etiam everteret, quemadmodum iisdem captiosis artibus in Gallia potuit: tum eam sapientissimam, ac vere a divina Sapientia ipsa dictatam Constitutionem obsequentissimo animo quoad omnes partes amplector; eamque tamquam dogmaticam Ecclesiae vocem dioecesibus meis palam me facturum polliceor: daboque operam, ut oves meae, quamquam pro ea, qua sunt Ecclesiae fide, impias ac haereticas illas doctrinas semper animo respuerint ac reprobaverint, securius etiam atque constantius in posterum, accedente nunc dogmatica hac ipsarum damnatione, rejiciant ac detestentur. Eminentiis autem vestris, quae pro vestra humanitate Constitutionis ejusdem exemplo ad me statim misso, ne minimum quidem temporis retardari mihi tantam voluptatem non sunt passae, immortales gratias ago, eisque humillime manus deosculor.

Romae die 11 Sept. 1794.

(1) Fra gli *Analecta juris Pontificii*, gennaio 1854. D. A. M.

ANIMADVERSIONES IN NOTAS

QUAS NONNULLIS PISTORIENSIS SYNODI

PROPOSITIONIBUS DAMNATIS

IN DOGMATICA CONSTITUTIONE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII VI.

QUAE INCIPIT: *AUCTOREM FIDEI*

CL. FELLER

CLARIORIS INTELLIGENTIAE NOMINE ADJICIENDAS CENSUIT (1).

AMPLISSIMO PRAESULI N. N.

Notas dogmaticae constitutioni, *Auctorem Fidei*, clarioris intelligentiae nomine a cl. Dusseldorpiensi, ut ferunt, editore (2) adjectas, quas nosti istinc ad nos pervenisse, ad te, praesul amplissime, remitto suis animadversionibus notatas. Simul vero cum non dubitem, plerosque fore, quibus non vacet ejusmodi se sè disceptationibus implicare, qui tamen quaesituri sint, quorsum haec spectent, unumque se hoc scire cupiant, quid inde ad rectam de rebus divinis sentiendi, loquendive regulam sumere debeant; operae pretium existimavi me facturum, si pauca haec te praemonerem, quibus instructus ad satisfaciendum eorum votis paratior accederes. Dices nempe; omnia haec ad tria referri catholicae institutionis capita, quae totidem censurarum formulis in apostolica constitutione ab infestis, perniciosisque synodi pistoriensis captionibus et calumniis provida sunt summi Pontificis auctoritate vindicata.

Primum caput ad Eucharisticae consecrationis efficaciam pertinens dogmate continetur ab synodo tridentina expresse nominatimque definito, singularis ejus, mirabilisque *conversionis*, quae per consecrationem efficitur *totius substantiae panis in corpus*, *et totius substantiae vini in sanguinem Christi:* cujus dogmatis fidem sub *Transubstantiationis* vocabulo universa Ecclesia sancte, inviolateque profitetur. Sacri porro hujus dogmatis, ut et vocaboli, quo solemnis ejus professio continetur, non sine gravi doctrinae catholicae offensione et discrimine mentionem plane omnem praetermisit synodus pistoriensis in sua expositione fidei de Ritus Consecrationis efficacia.

Jam vero cum Pontifici pro apostolici sui muneris ratione nil antiquius esse debeat, quam ne qua excidat, aut negligatur particula sacri dogmatis; provido sane consilio inconsultissimam eam, suspiciosamque omissionem apostolica censura perstringendam censuit, » qualenus nempe per eam notitia subtrahitur, tum

(1) Stampate da principio a Roma nel 1793; poi nella collezione romana al tomo XIV. D. A. M.

(2) Cujus nomen, ut ad nos perlatum est, fama jam publica vulgatum innotuisse, silendum hic etiam de causa non duximus, ne alia ejus multa, et praeclara in religionem merita taceremus.

» articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vo-
» cis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam
» professionem adversus haereses; tenditque a-
» deo ad ejus oblivionem inducendam, quasi
» ageretur de quaestione mere scholastica ».

Itaque exponas oportet, hoc primo capite id unum provisum esse, ut in fidei expositione de Consecrationis efficacia, pura et incorrupta servetur dogmatis ejus integritas, quod sub *Transubstantiationis* vocabulo a tridentina synodo sancitum, denuo in solemni juramento professionis fidei Pius IV expressis verbis profitendum praescripsit. Qua proinde formula censurae nemo futurus est catholico sensu imbutus, qui non eam ipsam doctrinam recognoscat, quam facile meminerit, sibi a pueritia inter prima christianae institutionis elementa traditam, traditque consuetam.

Alterum caput est de adoranda humanitate Christi, de qua constans est Ecclesiae, perpetuo, et universali, adversus apollinaristas praesertim, Patrum consensu firmata doctrina, sicut in Christo duae sunt Naturae divina et humana, ita ambas in Christo adorandas naturas esse: divinam *propter se*, humanam propter personalem eam conjunctionem cum Verbo, ut cujus *duae Christi naturae ad unam Verbi Dei Personam reducuntur, unamque subsistentiam* (1): quo fit, ut tametsi duae sint Naturae adorandae, una tamen eademque sit adoratio, qua una eademque Verbi Persona in utraque natura subsistens, in utraque adoratur.

Hujusce porro etiam adorationis ratio per importunam quandam ambiguitatem sic effertur in synodo, ut verendum esset, ne dum synodus vocabulis utitur Patribus insuetis, captioso suo more fidelium mentes a Patrum sensu latenter abduceret. Quare sedulo quoque providendum fuit, ut omni ambiguitate remota, sincera eluceret catholicae doctrinae integritas de duabus naturis ita in Christo adorandis, ut nihilominus pro unitate Personae, quae in utraque subsistit, et adoratur, una sit adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; ut est can. 9 concilii generalis V, definitum.

Tertium est caput de Cultu sacri Cordis Jesu, de quo sic disserit synodus, primum ut per summam injuriam fideles, Christi Cordis cultores, promiscue hoc nomine arguat, » quod non adver-
» tant sanctissimam carnem Christi, aut ejus
» partem aliquam, aut etiam humanitatem to-
» tam cum separatione, aut praecisione a di-
» vinitate adorari non posse cultu latriae ».
Dein captiose simul insinuet, ab omni cultu, qui carneo Christi cordi quoquo modo deferatur, nunquam separationis istius, aut praecisionis vitium abesse.

Utrumque falsum. Nam primo falsum crimen in fideles Christi Cordis cultores generaliter conjectum, non satis eos advertere carnem Christi cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae; quasi aliqua fieret separatio hujusmodi, vel praecisio, etiam dum Cor Christi adorant, ut est Cor Jesu, Cor Personae Verbi, cui est inseparabiliter unitum, idque ad eum modum, quo exangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a divinitate (fatentibus ipsismet adversariis) adorabile fuit in sepulcro.

Item falsum, separationis hujusce, aut praecisionis vitium quoquo modo in cultum incurrere, qui carni, atque adeo carneo ipsi cordi Christi deferatur, pro hypostatica ejus inseparabili unione cum Verbo. Et revera manifeste repugnat, nec per mentem quidem fingi potest, praecisionem fieri a divinitate in eo cultu, qui praecise tribuatur propter conjunctionem cum divinitate: quo nempe cultu dum Cor Jesu adoratur, non *ut simplex, et nuda caro, sed ut caro Verbi Dei* (Damasc. de fide Orthod. l. 3, c. 8), ipsamet reapse Persona Deitasque Verbi cum propria sua divina carne adoratur. Nulla igitur separationis, aut praecisionis a divinitate suspicio in ejusmodi cultum cadere potest, nisi haec duo componantur quae, ut dictum est, pugnant inter se, nempe ut praecisio a divinitate in eo actu intelligatur, quo actu spectatur conjunctio cum divinitate.

Quo fit, ut quemadmodum ipsamet sepulta Persona Verbi adorata censeri debuit eo cultu, quem in triduo mortis corpori ejus exangui ob permanentem hypostaticam ejus unionem cum Verbo, tribuendam fuisse nec ipsimet adversarii diffitentur; sic eadem Persona Verbi reapse semper adorata intelligi debeat omni eo cultu, qui Carni ejus vivificae ob eandem personalem conjunctionem tribuatur.

Accedit quod et in hymnis ipsis, qui pro persolvendo pii hujus cultu Officio praescripti sunt, Sacrum Cor Jesu celebratur, atque venerationi fidelium proponitur, velut *e quo scisso vibrantis hasta militis Ecclesia Christo jugata nascitur*, et quod *vulneratum ictu patenti caritas voluit*; ut proinde cultus, qui cordi sic scisso, et vulnerato exhibetur, sua velut sponte in cultum quodammodo recidat omnibus probatum vulne-

(1) Damasc. de Fide Orthod. l. 3, c. 8.

rati lateris, alterque ex altero mutuam lucem recipere, vicissimque reddere sibi videatur.

Uno verbo formularum summa de cultu sacri Cordi Jesu ad hoc breve caput redit christianae institutionis: nullam fieri separationem, aut praecisionem a divinitate in eo cultu, sive quo sub symbolo Cordis immensa Christi caritas recolenda proponitur, quo refertur a summis Pontificibus approbata hujusce cultus institutio: sive quo in adorando Corde Jesu praecise pro sua conjunctione cum divinitate, Divinitas ipsa, Personaque Christi, utpote primario spectata, ita primario quoque uno eodemque latriae cultu adorata intelligitur.

Quae si rite, ut par est, exponentur, quod planius quam ego potuerim, te facturum non dubito; nil morae fuerit, quin quotquot sunt in coetu fidelium pio religionis affectu, et studio praediti, atque ab omni disputandi ambitione remoti, nec aliud scire ament, quam quod in Ecclesia communiter docetur, ut ei quae secundum pietatem est, doctrinae acquiescant: hi ipsi non aegre patiantur, se carere notarum ejusmodi subsidio, quas facile intelligant vel hoc ipso, quod ad tria illa percipienda doctrinarum capita, quae censurarum formulis continentur, minus necessariae forent, tales exire debuisse, quae perspicuitati formularum officerent potius, quam quidquam lucis ad *clariorem intelligentiam* afferrent.

PROOEMIUM

In editione Constitutionis Dogmaticae Sanctissimi Domini Nostri PII VI, cujus principium est: *Auctorem Fidei*, quae typis Dusseldorpiensibus, ut ferunt, solo apposito *Romae* nomine, curante *Fellero* prodiit, clar. editor saepe jam, et diu de catholica religione bene alioquin meritus, improviso nescio quo consilio inductus, *notulas* quasdam suas nonnullis propositionibus, *ad clariorem*, ut ultro sibi persuasit, *intelligentiam* adjiciendas censuit. Quinque omnino sunt illae numero: ex bis tres, quibus in perscrutandis censurarum *formulis* ita versatus est, ut eas ad sensum *synodi pistoriensis* accommodare potius voluisse videatur, quam reprobatae per eas doctrinae pravitatem agnoscere. Quo exitu, facile quisque intelliget, qui modo notas cum formulis contulerit. Nihil deprehendet in formulis, quod clariorem lucem desideret; nihil in notis, quod vel minimum lucis afferre valeat: nisi forte, proh dolor! quod aegre Feller tulerit, a Pontifice in dogmaticam suam constitutionem totidem verbis ex tridentino canone translatum esse sacrum dogma *conversionis totius vini in sanguinem*, quas ille *voces* non reformidaverit palam edicere, *secundum litteram falsitatis argui debere*. Qua tamen reprehensione, utpote cum violata simul canonis tridentini, et sacri ab eo dogmatis definiti sanctitate, conjuncta, nil sane afferri poterat ad pontificii decreti commendationem illustrius. Nec minus alienum a pristino illo suo pleno pietatis sensu erga Sedem apostolicam, quod alio loco excidere sibi passus est, *merito culpari* piam precationem *Sacrosanctae individuae Trinitati, Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi humanitati*, etc. solemni publicarum precum officio a Pontificibus adjunctam, diuturno jampridem ac frequenti per orbem Ecclesiae usu consecratam: quae qui legat, vix oculis suis credere audeat, talia unquam a viro catholico, et eo quidem pio religionis cultore scribi, et apostolicae constitutioni opponi potuisse. Ut jam mirandum minus videri debeat, eo usque illum progressum esse, ut, ipsomet pontificii decreti mutilato contextu, veritus non sit apostolicae ipsius constitutionis venerandam omnibus, plenoque mentis obsequio suscipiendam integritatem audaci facinore minuere: quo editioni suae omnem prorsus fidem abrogavit (1).

Nec tamen fas est credere, virum clarissimum Pistoriensibus potius, quam aut tridentini concilii, Sedisve apostolicae auctoritati, aut frequentatis per Ecclesiam moribus, et institutis suffragari voluisse. Hoc potius existimandum, abreptum eum flagrantiore illo studio, quo minus caute interdum pii alioquin religiosique viri per eas regiones ducuntur, concordiae catholicos inter et heterodoxos conciliandae; faciliorem se praestitisse ad ea emollienda sive dogmata, sive dogmatum vocabula, quae dissidentium auribus duriora solent accidere, prout suo loco breviter indicaturi sumus. Ceterum ex subjectis animadversionibus, quas *fellerianae notae* prorsus efflagitant, perspectum iri confidimus, siquidem ea sana verborum forma est, quae sit Ecclesiae totius sensu comprobata, ita ex Patrum, conciliorum, Pontificum sententiis contextas esse censurarum formulas, nihil ut in illis immutari, aut inverti queat, quin inde par quaedam et respondens in aliqua parte probatae doctrinae, vel disciplinae perversio consequatur. Quod ut luculentius pateat, nec aliquid in perpendendis fellerianis notis videamur subterfugere voluisse reticendo; operae pretium duximus, animadversionibus nostris primum damnatas pistorienses propositiones cum censuris; deinde subjectas censuris fellerianas notas omnium oculis expositas praeponere.

Monitì demum loco notandum, in hac ipsa editione, ad calcem *notarum*, rite indicata per interpositas lineas, ut moris est, separatione, adjectum a Fellero esse alterius planeque diversi argumenti *Extractum* quoddam, in quo agitur de nullis irritisque dispensationibus, quae super lege abstinentiae inconsulta sancta Sede conceduntur. Quo in *Extracto* Epistola refertur praestantissimi Nuntii Apostolici ad tractum Rheni, ea de re data Coloniae idibus Sextil. 1794, cum apposita consueta subscriptione *B. Arch. Damiat. N. Ap.*, ut liquido pateat, hanc subscriptionem, quae in extrema pagina legitur, ad illam tantum epistolam, nullo vero modo ad mutilam editionem, notasve illi adjunctas pertinere.

Ceterum minime dissimulandum, quod aequitatis ratio maxime postulat, valdeque pertinet ad meritam Felleri laudem, egregiis ab eo notis illam ipsam apostolici nuntii epistolam illustratam esse, quibus ille praeclarum suum religionis, et ecclesiasticae disciplinae, tum et supremae Sedis apostolicae auctoritatis tuendae, et vindicandae studium luculenter testatum reliquit.

(1) Nisi aequius est cogitare (quod sane mallem) id errati indiligentia potius librarii, vel typographi accidisse, quam data opera editoris tam saepe, tam bene antea de religione meriti.

SYNODI PISTORIENSIS

Propositio 29, damnata

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA

DE EUCH. §. 2.

XXIX. Doctrinam synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos, docendi munere fungentes, abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2. Tunc omnem panis, et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus: prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei tridentinum concilium definivit, *et quae in solemni fidei professione continetur:*

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses; tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica,

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.

NOTA FELLERI

Pag. XIX. Prop. XXIX. Equidem confitendo 1. realem, ei substanstialem Christi praesentiam, 2. cessationem omnis substantiae panis, et vini, remanentibus speciebus, genuinam fidei catholicae doctrinam enuntiant. Sed improbat Pontifex 1. quod per Pistojenses sacramentum quidem eucharistiae, quale est post consecrationem, rite exprimatur, sed ipsa sacramenti confectio, seu *ritus consecrationis efficacia* (uti *titulus paragraphi* habet) taceatur. Aliud enim est Christum praesentem esse; aliud per consecrationem praesentem fieri: primum in sacrificio solo peragitur: manet alterum, quamdiu species perdurant. 2. Pontifex improbat quod vox *transubstantiatio* neglecta, aut studio omissa sit, tanquam male a Patribus adhibita esset velut maxime idonea ad rejiciendum *impanationem*, et *companationem*. Quamvis reipsa nimis grammaticaliter, aut metaphysice accipi ea vox non debeat, quasi nimirum ex una substantia, ut medio, aut materia, fieret altera jam praevie existens, aut unum substantiae qualiscumque individuum posset (sicuti quidam olim absurde docebant) fieri aliud individuum: qui sensus est a ratione, aeque ac Tridentino alienus. Porro dum, quae hic asserimus, concilium vera omnino declarat, caetera, quae ad mysterii tanti modum, hominibus sane impervium, spectant, in medio reliquit, nec decidere quacunque ratione voluit. Quemadmodum post sensatos theologos omnes, novissime observabat *Benedictus Stattler*, vir inter catholicos scriptores plane insignis: » Communis doctorum scholae cum Bellarmino sententia est, modum, quo Christus » realiter in eucharistia praesens est, ad dogma neutiquam pertinere; sed solam realem, » veram, ac substantialem Christi praesentiam, » omnis panis ac vini substantia ac reali praesentia remota, ab omnibus vere fidelibus certa fide credendam esse. Hoc gemino dogmate catholica Ecclesia se, filiosque suos ab omnibus sectis acatholicorum universe discernit: » *Totus Christus vere praesens est in eucharistia:* » *nihil autem substantiae panis, et vini, praeter* » *statum sensibilem utriusque* » (Theolog. Christ. theoretica Tract. 6, cap. 3). Hoc certum omnino, nusquam Tridentinum fecisse ex transubstantiatione articulum a recitata modo professione distinctum. Quare cum Bulla Pii VI concors sane cum concilio sit; ita explicanda omnino, sicuti hic a nobis factum. Quod autem ad nimiam terminorum grammaticalitatem fugiendam, uti supra diximus, hac in materia pertinet, locuples sunt exemplum eae voces, quae in eadem Bulla ex Tridentino referuntur: *Conversio totius vini in sanguinem;* quae quidem secundum litteram argui falsitatis debent: cum enim corpus Christi integrum, et perfectum sub specie quoque vini sit, in sanguinem *totum* vinum non vertitur. Adeo verum est, a divinorum mysteriorum fide, aut theologica etiam explicatione, sicut, et universim ab Ecclesiae decretis (uti sapienter monet Melchior Canus) o-

mnem subtilitatem, aui terminorum curiosiorem inquisitionem, ubi semel mens scopusque definitionis iu aprico est, abesse omnino debere.

ANIMADVERSIO

§. I.

Per Pistoriensem, Fellerianamve efficaciae Consecrationis expositionem derogari Dogmati Catholico a Tridentina Synodo expresse definito.

Ad rectum instituendum judicium de *nota*, quam cl. Feller censurae Prop. 29 synodi subjiciendam censuit, opus in primis est tres proferre iu medium dogmaticas veritates de consecrationis efficacia, seu de eo, quod vi consecrationis iu eucharistiae sacrificio efficitur; cum perpetua Ecclesiae fide, tum lateranensis IV, tridentinaeque synodi definitione comprobatas: Prima, *Christum in eucharistia vere, realiter, substantialiter contineri;* et haec quidem est sess. 13, Trid. can. 1, definita: Altera, *nil remanere substantiae panis, et vini una cum corpore, et sanguine Christi, manentibus duntaxat speciebus panis et vini:* Tertia, *in eo sacramento mirabilem fieri conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, quam conversionem*, subjungit Tridentinum, *aptissime a catholica Ecclesia transubstantiationem appellari:* quae posteriores duae veritates distinctis duabus partibus canonis 2, distincte definitae continentur his verbis: » I. » Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sa» cramento remanere substantiam panis, et vi» ni una cum corpore, et sanguine Domini No» stri Jesu Christi; 2. Negaveritque mirabilem » iliam, et singularem conversionem totius sub» stantiae panis in corpus, et totius substantiae » vini in sanguinem, manentibus duntaxat spe» ciebus panis, et vini, quam quidem conver» sionem catholica Ecclesia aptissime transub» stantiationem appellat: anathema sit ». Quae rursum conversio sub hoc ipso transubstantiationis nomine confitenda praecipitur in formula juramenti professionis fidei, a Pio IV edita.

Ex his tribus veritatibus duas priores duntaxat synodus pistoriensis proponit velut ad fidem pertinentes, scilicet, 1. Christum realiter existere iu eucharistia; 2. totam in ea cessare panis, et vini substantiam. Tertiam vero, nempe conversionem substantiae panis in corpus, et substantiae vini in sanguinem (in qua tamen inest ratio existentiae Christi, et cessationis panis, et vini in eucharistia) (*Ex Bellarm.*) prorsus omittit, seu potius rejicit iuter scolasticas opiniones de modo existendi Christi iu eucharistia, a quibus ita parochos cupit abstinere, ut eas ne memoratu quidem dignas existimet.

Jam vero si nefas est iu iliis exponendis, quae de quovis doctrinae capite ad fidem pertinent, veritatem praeterire ab Ecclesia definitam, cujus insuper expressa confessio in solemni fidei professione edenda praescribitur; quis jam diffiteatur, non aequum modo fuisse, sed et ad integritatem tuendam fidei depositi prorsus necessarium, ut apostolica censura omissio notaretur, qua *notitia subtrahitur cum articuli ad fidem pertinentis, tum et vocis ab Ecclesia consecratae, ad illius tuendam professionem adversus haereses; tenditque adeo ad ejus oblivionem, inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica*, ut declaratum est, in formula censurae?

Haec ipsa tamen omissio est, quam notula sua cl. Feller omni suspicione criminis levandam suscepit, contendens, *Pistajenses confitendo: 1. realem, et substantialem Christi praesentiam. 2. Cessationem omnis substantiae panis, et vini remanentibus speciebus, genuinam fidei catholicae doctrinam enuntiare.* Cumque probe cerneret diminutam hujusmodi expositionem ad cauonis tridentiui litteram, qua parte *transubstantiationis* dogma profitendum sanciiur, accommodari non posse; fidenti animo aggressus est litteram ipsam Tridentini ad Pistoriensium sensum inflectere.

Et quidem ad hanc opinandi rationem adductus Feller in primis videtur auctoritate Benedicti Stattler, cui laudem tribuit *viri inter catholicos scriptores plane insignis*, cujus etiam *novissimam observationem* quamdam, qua se potissimum tuetur, profert in medium his verbis: » Communis doctorum scholae cum Bellarmi» no sententia est, modum, quo Christus reali» ter in eucharistia praesens est, ad dogma » neutiquam pertinere; sed solam realem, ve» ram, ac substantialem Christi praesentiam, » omni panis, ac vini substantia, ac reali prae» sentia remota, ab omnibus vere fidelibus cer» ta fide credendam esse: hoc gemino dogmate » catholica Ecclesia se, fil'osque suos ab omni» bus sectis acatholicorum universe discernit: » *Totus Christus vere praesens est in eucharistia:* » *nihil autem substantiae panis, et vini, praeter* » *statum sensibilem utriusque* »: Cui sententiae continuo suam Feller adscribit, subjungens: » Hoc » certum omnino, nusquam Tridentinum fecis» se ex transubstantiatione articulum a recitata » modo professione distinctum ».

Nunc autequam ad Stattlerianam (1) obser-

(1) Verba Benedicti Stattler superius citata, et in quibus tantopere confidit Dominus Feller, reipsa in eo doctissimo auctore reperiuntur in tractatu de Sacramentis art. 496, p. 221. Sed in eorundem intelligentia dominus Feller quammaxime hallucinatus est. Circa eucharistiam duo quaeri possunt. Primum: *quomodo corpus Domini existat in eucharistia?* Alterum: *quomodo corpus Domini ponatur in eucharistia?* De primo agit cl. Stattler eo in loco, unde verba illa desumpta sunt: ibi rejectis aliquorum opinamentis circa modum quo corpus Domini existit in eucharistia, ait, circa praedictum modum duo tantum dogmata Ecclesiam docere; absentiam nimirum panis, et vi-

vationem, atque ad Bellarmini sententiam propius recognoscendam accedamus, ut vel primo aspectu pateat, quam longe Stalleriana illa, Pistoriensisve expositio absit a germana catholicae fidei professione; prodeat, velim vir acatholicus, qui suos de ritu consecrationis errores ejuraturus, paratum se dicat duas illas veritates amplecti, quae solae velut ad fidem pertinentes in ea professione proponuntur, scilicet: « 1. Christum realiter in eucharistia existere. 2. Totam in eucharistia cessare panis, » et vini substantiam »; sic tamen ut ne ulterius quidquam cogatur profiteri, quod ad cessationis modum pertineat, sive quis eam velit per qualem cumque conversionem fieri, sive per migrationem de loco in locum, sive per discessum in materiam primam, aut merum et simplicem reditum in nihilum, nulla conversionis, seu transmutationis habita ratione: ille profecto, Fellero judice, genuinam cum Pistoriensibus, et Stattlero catholicae fidei doctrinam profiteri censendus erit. Quod si postmodum hac mente imbutus, atque ita, ut dictum est, ad catholicae fidei professionem institutus, oculos adjecerit ad memoratum canonem tridentini concilii, profecto, si constare sibi volet, nullus dubitabit, quin sibi fas sit eam canonis partem rejicere, qua *conversionis* articulus continetur; utpote qui neque in Pistoriensi, neque in Stalleriana expositione comprehenditur, cui uni sese ille stricte addixerit. Aliunde certum est, a nemine rejici posse partem illam tridentini canonis, quin *ad litteram* implicet se se, diro illo anathemate, quo expressis verbis percellitur qui *negaverit mirabilem illam conversionem... quam Ecclesia catholica aptissime transubstantiationem appellat*. Hinc novum istud emerget mirandum dictu, et portenti simile; ut qui pro negata professione articuli *conversionis* a Tridentino definiti, concilii ejusdem anathemate constrictus ad litteram teneatur; ille nihilominus ad formam Stattlerianae, Pistoriensisve professionis, genuinam catholicae fidei doctrinam edere censendus sit: utpote qui, licet cessationis modum per *conversionem* a Tridentino definitum profiteri non desinat: quae duae veritates sunt, quas solas velut ad fidem pertinentes pistoriensis formula coadiectilur;constansque ita maneat in gemino dogmate, quo interprete Stattlero Ecclesia catholica se, suosque filios ab omnibus Acatholicorum sectis discernit (1).

Nunc ut ad Stattleri observationem redeamus, etsi locus non indicatur, e quo deprompta sit sententia Bellarmino adscripta; dari facile potest, longe illum abfuisse, ut dogmata inter quaestiones referret, quae de modo existendi Christi in eucharistia libere inter catholicos in scholis disputantur: verum quod in eam classem venerabilis Bellarminus modum rejecerit, quo Christus ii! praesens in eucharistia vi mirabilis ejus conversionis, quam Ecclesia catholica transubstantiationem appellat, id vero fidenter dico, quantum a catholico dogmate, tantundem a Bellarmini sensu, ac mente abhorrere. Quod ut manifestum fiat, satis fuerit oculos conjicere in tertiam illius controversiam generalem *de sacramento eucharistiae;* in cujus prooemio mentem suam dilucide

ni; et realem, veramque Corporis Christi praesentiam. Verba ergo illa Stattleri restrictim dicta de modo, quo Corpus Domini in eucharistia, perperam intellexit dominus Feller, quasi generatim circa eucharistiam dicta fuissent, et proinde ac si Ecclesia generatim circa eucharistiam nihil aliud doceret, praeter duo illa dogmata: Hanc esse Stattleri mentem patet ex toto contexto illius articuli, nec non ex verbis illis, quibus utitur: *Modum, quo Christus realiter in eucharistia praesens est, ad dogma non pertinere.* Sed evidenter, et absque ulla controversia mens Stattleri patet ex articulo proxime sequenti 499, pag. 225, ubi praedictus Stattler agens *de modo, quo corpus Domini ponitur in eucharistia*, aliud tertium dogma catholicum transubstantiationis ait esse credendum. En quomodo incipit articulus ille. » In sanctissima eucharistia non manet substantia panis, et vini; sed vera » conversione commutatur in sanctissimum corpus, et » sanguinem Christi Domini. Dogma catholicum clare » probatur ». Assertionem istam quam dominus Stattler merito dicit *dogma catholicum*, latissime ibidem probat ex Scriptura, Patribus et conciliis, nominatim ex illis verbis concilii tridentini, quibus utitur Eminentissimus Gerdil; eamdemque assertionem, ac nominatim vocabulum ipsum transubstantiationis luculentissime vindicat ab heterodoxorum objectionibus. Deceptus ergo evidentissime est dominus Feller, et in deceptionem induxit Eminentissimum Auctorem qui ipsi fidenter adeo Stattlerum citanti credens, hunc quoque rejecit, perinde ac si a dogmate *conversionis*, pro quo tamen accerime stetit, reipsa defecerit; quod sane contra fecisset, si ejus Opus habuisset ad manus; caussae enim, quam tuebatur, non parum interat, gravissimi theologi auctoritatem in rem suam convertere, et in adversarium, qui ea potissimum nitebatur, retorquere. *Notam antecendentem loco huic subjiciendam doctus quidam vir transmisit; cui ut mos gereretur, quod libenter facimus, et postulati aequitas, et ipsamet veritatis ratio, omnino postulabat.* E. R.

(1) Ne locus relinquatur migrandi de quaestione in quaestionem, notandum, non hic agi utrum fidelis quisque utcumque simplex et rudis teneatur explicite credere articulum conversionis a Tridentino definitum; sed utrum in genuina expositione, quam pollicetur synodus, doctrinae catholicae de ritus consecrationis efficacia, articulus ille sine gravis offensionis periculo praetermitti potuerit, et, quod gravius est, inter scholasticas quaestiones indiscriminatim rejici, quas silentio premere parochi debeant: atque ideo utrum homo, cujus oculis subjiciatur 2 pars memorati canonis tridentini, refragari ei valeat, ob eam causam, quod praeter existentiam Christi in eucharistia, et cessationem totius substantiae panis et vini, modus praeterea credendus proponatur singularis illius et admirabilis conversionis, qua Christus vi verborum praesens fit in eucharistia, et in qua proinde ritus consecrationis efficacia proprie consistit. Qui modus si rejici non valet ab eo, cui proponatur ut a Tridentino sub anathemate definitus; liquet profecto, genuinam dici non posse pistoriensem expositionem de ritus Consecrationis efficacia; frustraque in ea excusanda operam suam Fellerum insumere voluisse.

explicat his verbis: » De sacramento eucaristiae lis omissis, quae catholici doctores inter se disputare salva fide, et christiana pace » solent, quatuor hoc tempore inter catholicos, » et haereticos versantur controversiae principales, de quibus .... disputare aggredimur. » Prima igitur ac praecipua controversia est de » vera, ac reali, et substantiali praesentia ... » Altera de modo, ac ratione existentiae Christi in eucharistia; sit ne ratio existentiae » Christi in eucharistia conversio panis et vini » in corpus, et sanguinem Christi, quae ab Ecclesia dicitur transubstantiatio; an potius assumptio panis, et vini ad unionem hypostaticam corporis, et sanguinis Domini, aut omni-praesentia, sive ubiquitas, ut quidam loquuntur, humanitatis Christi, an aliquid aliud ».

Tantum ergo abest, ut Bellarminus *modum* seu rationem existentiae Christi in eucharistia per eam conversionem, quae ab Ecclesia transubstantiatio dicitur, inter scholasticas quaestiones rejecerit, quin potius ad illam tanquam dogma catholicum adversus haereticos vindicandam magnam tertii libri partem insumserit. Quippe orsus a cap. XI, inscripto, *De modo existentiae corporis Domini in eucharistia*, confutatis per subsequentia capita berengarianorum, aliorumque erroribus, tum demum cap. 18 progreditur ad explicandam Ecclesiae sententiam, quam in transubstantiationis doctrina constitutam ostendit; ejusdemque probationes totidem pariter capitibus repetit ex *Verbo Dei*, *testimoniis Patrum*, *ex definitione*, *et consensu Ecclesiae ab annis quingentis*, *ex convenientia rationis*, ac demum objecta refellit Chemnitii, et Petri Martyris, a quibus hoc ipsum transubstantiationis speciale dogma speciatim fuit oppugnatum.

Et quidem ex prolatis a Bellarmino Patrum testimoniis, in quibus splendida se prodit continuata series traditionis, valeat instar omnium Cyrilli Hierosolymitani auctoritas *Catech. 4 Mystag.* de corpore, et sanguine Christi, n. 2., quo in Opere insigne documentum extat catholicorum dogmatum, quibus in primis illis christianae doctrinae institutionibus alumni fidei ad rectam ejus professionem imbuebantur: « Aquam, » inquit sanctus Pater, olim in vinum, quod » sanguini affine est, in Cana Galileae transmutavit, et eum parum dignum existimabimus cui credamus, quum vinum in sanguinem transmutavit »? Quo loco transmutatio vini in sanguinem, ea ipsa fide credenda proponitur, qua fide dignum est nos Christo credere, quo sane certius nullum catholici dogmatis argumentum. Consentit et sententia, quae in lectionibus infra Octavam Corporis Christi (fer. 4) publicis in precibus recitatur, deprompta ex lib. de Sacramentis inter opera s. Ambrosii l. 4, c. 4: » Sed panis iste, panis est ante verba » Sacramentorum: ubi accessit consecratio, de » pane fit caro Christi.... Si ergo tanta vis est » in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse » quae non erant: quanto magis operatorius est, » ut quae erant in aliud commutentur »?

Hoc eodem transmutationis verbo sic passim utuntur alii Patres, ut plane intelligi queat constantem eorum sensum fuisse, Christum fieri praesentem in eucharistia, quatenus vi consecrationis substantia panis, et vini in substantiam convertitur corporis et sanguinis Christi, unde illud per universam Ecclesiam celebratur: *dogma datur christianis, quod in corpus transit panis, et vinum in sanguinem*: Et rursum: *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit*, *fitque sanguis Christi merum* (1).

Quamquam et in hujusce conversionis expressa confessione praetermittenda eo gravior culpa est synodi, quod illa expresse traditur in Catechismo, quem ad puerorum institutionem paullo ante florentinis typis edi curaverant quatuor dioecesium antistites, inter quas Pistoriensis enumeratur. In eo scilicet Catechismo (part. 4, lect. 5) ubi series exponitur *actionis* Christi in eucharistiae institutione, aperte declaratur, hujus actionis *effectum* fuisse, quod *Christus panem, quem prae manibus habebat, mutavit in suum corpus; et vinum, quod erat in calice, in suum sanguinem.* Tum additur, *Christum Apostolis, omnibusque sacerdotibus mandatum dedisse, et potestatem mutandi eodem modo panem in corpus ipsius, et vinum in ipsius sanguinem.* Porro *mutationem istam fieri in sancto missae sacrificio, quando sacerdos in Jesu Christi nomine repetit actionem, et verba consecrationis.* Demum *istam mutationem vocari transubstantiationem*, *idest mutationem unius substantiae in aliam.* Luculentius certe doceri non potuit, efficaciam consecrationis (cu-

(1) Et sane si ex institutione Christi verba quibus sacramenta perficiuntur, vim habent efficiendi quod significant, quod fide certum est; cum sacerdos Christi personam gerens mystica verba profert, *hoc est Corpus meum*, hanc horum verborum vim esse necesse est, ut de pane quem ille gerit prae manibus, verum sit dicere, panem illum fieri corpus Christi: secus verba illa non praestarent id quod significant: quod profecto singularem illam atque mirabilem conversionem inducit, quam Ecclesia credendam, non explicandam proponit. Ac ne plura opus sit monumenta colligere, una satis esto Berengarii jurata fidei professio in romana synodo, an. 1079. » Ego Berengarius » corde credo, et ore confiteor panem et vinum, quae » ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis » et verba Nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem » et sanguinem Jesu Christi Domini Nostri». Quid expressius? Accedat magna lateranensis IV synodi auctoritas, cap. 1. *de fide Catholica:* » Idem ipse sacer» dos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et » sanguis in sacramento Altaris sub speciebus panis » et vini veraciter continentur; transubstantiatis, pa» ne in corpus, et vino in sanguinem potestate divi» na ». Quibus locis, aliisve rite expensis cl. Bossuetius (Histor. Variat. l. 15, n. 132 et seq.) animadvertit, mutationem istam panis et vini, habitam semper fuisse tanquam doctrinam universalis Ecclesiae.

jus ritus repetilione actionis, et verborum Christi in sacrificio missae peragitur) positam esse non in nuda cessatione panis, et vini, qualis sola in pistoriensi formula exponitur; sed in ea, quae a synodo praetermittitur, vera, et propria mutatione substantiae panis in corpus, et substantiae vini in sanguinem, quae transubstantiationis aptissima voce designatur. Mirum proinde pistoriensem synodum parochos hortatam esse abstinere ab ejus conversionis commemoratione, quam expresse profitendam Pistoriensis Catechismus praecipit. Qua in pugna synodum inter et Catechismum haud scio quam facile se se parochi expedire potuerint, qui si consulerent synodum, audirent: *Tace*: sin Catechismum: *Doce*.

Accedat alterius prohibiti quidem, sed tamen synodo pistoriensi non invisi Catechismi auctoritas, sub titulo: *Educationis*, *et institutionis christianae*, *seu catechismi universalis. Genuae an.* 1779. In hoc porro (tom. 2, tract. de Euchar. part. 2, c. 6, §. 4, *De Transubstantiatione* nominatim inscripto) praemisso quaesito: *Quae altera veritas est, quam credere oportet circa eucharistiam?* Respondetur non simpliciter, ut in pistoriensi expositione, hanc esse cessationem panis, et vini manentibus speciebus; verum apertis verbis edicitur, per hujus alterius veritatis professionem opus credere. » Vi consecra» tionis panem, et vinum mutari in corpus, et » sanguinem Christi ».

Haec una ex verbis ipsismet Evangelii ducta Ecclesiae sententia: quam constans, ac perpetua Patrum traditio in tridentinorum Patrum animis defixerat, prout illi cap. 4, *de Transubstantiatione* apertissime declarant; » Quoniam » autem, inquiunt, Christus Redemptor Noster » corpus suum id, quod sub specie panis offe» rebat, vere esse dixit; ideo persuasum sem» per in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo » sancta haec synodus declarat, per consecra» tionem panis, et vini, conversionem fieri totius » substantiae panis in substantiam corporis Chri» sti Domini Nostri, et totius substantiae vini in » substantiam sanguinis ejus; quae conversio » convenienter, et proprie a sancta catholica » Ecclesia transubstantiatio est appellata ». An expressius quiddam dici potuit, quo refelleretur dictum, quod supra imprudentius certe Fellero excidisse memoravimus: » Hoc certum omnino » nunquam Tridentinum fecisse ex transubstan» tiatione articulum a Stattleri professione di» stinctum »?

§. II.

Quae Fellero causa fuerit aberrandi a littera tridentini canonis, quo anathemate sancitur dogma catholicum sub transubstantiationis *nomine a Tridentino definitum.*

Sed haec praecipua errandi causa Stattlero, atque Fellero fuisse videtur, quod in animum sibi induxerint, in toto illo tridentini decreto nil aliud Patribus propositum fuisse, quam ut realem Christi praesentiam contra sacramentarios assererent, et inductam a Luthero *impanationem*, *consubstantiationemve* refutarent. Verum non his duobus tota vis comprehenditur tridentini decreti. Liceat hic iterum ac tertio utramque partem proferre in medium laudati secundi canonis. Et quidem in priore qua damnatur, *Si quis dixerit in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine Domini Nostri Jesu*, manifestum est non modo confirmari praesentiam Christi, quae primo jam canone sancita fuerat, sed, et hoc ipso *impanationem* excindi, quo decernitur nil remanere substantiae panis; quippe sublato pane impanationem, seu quamcumque cum pane mixtionem tolli necesse est; cujus proinde lutherani erroris depulsio, si, ut isti existimare videntur, una fuisset tridentinis Patribus proposita; an illi adeo hebetes fuissent, ut non intelligerent priore sui decreti parte, nullum amplius ei errori locum reliqui? Nil igitur caussae suberat, cur adeo sollicite posteriorem alteram partem adjicerent, qua indicto anathemate plectitur, si quis praeterea negaverit mirabilem illam conversionem, quae transubstantiatio appellatur ab Ecclesia. Sed nimirum eo spectabant Patres tridentini, ut quam ex perpetuo Ecclesiae sensu et persuasione haustam de consecrationis efficacia doctrinam cap. 4 antea declaraverant, eam integram, et incorruptam subjecto canone sub anathemate sancirent.

Et revera quidem, ut cum aliqua saltem adumbratae verisimilitudinis specie fingi, cogitarive posset, concilium tridentinum per vocabulum conversionis, non aliud intelligi voluisse praeterquam *cessationem* meram, aut *remotionem* panis, et vini; oporteret utrique huic voci eandem plane vim, et notionem subjectam esse, quae subjecta est voci *conversionis*; adeo ut commutatis vocibus, immutata maneret significatio, idemque prorsus esset dicere panem converti, et transubstantiari, atque dicere panem cessare, vel removeri. Verum secus est: multo quippe latius patet significatio cessationis, remotionisve, quam conversionis, seu transubstantiationis. Quot enim cessationis, ac remotionis modi occurrent, si quis arbitratu suo harum vocum significationes persequi velit? Enim vero, ut jam animadversum est, per conversionem cessare panem in eucharistia, vel removeri intelligere possumus, sive panis, et vini substantia migrare puletur de loco in locum, sive quatenus resoluta in primigenia elementa abeat in auras, sive quis eam velit in materiam primam, aut in merum nihilum redigi absque ullo conversionis interventu; quemadmodum veteres nonnulli opinati sunt, quos memorat, ac refellit s. Thomas 3 p. q. 75, art. 3. Atqui certum est nullum ex hisce modis probari potuisse

Tridentino, utpote quorum commune id vitium sit, ut quicunque admittatur, sua jam veritas consecrationis verbis constare nequeat: quorum scilicet efficaciam semper Ecclesiae persuasum fuit (ut ex cap. 4 paullo ante prolato) in eo sitam esse, non ut panem a speciebus avulsum alio transferat, non ut illum aut in sua elementa, aut in merum nihilum redigat, sed ut *fiat corpus, et sanguis Christi*, prout nempe fert dogma datum christianis, *quod in carnem transit panis, et vinum in sanguinem*. Quod idem dogma solemni cantu tota Ecclesia celebratur: *Verbum caro panem verum Verbo Carnem efficit, fitque Sanguis Christi merum*. Si ergo hac efficientia consecrationis, qua panis in corpus transit, et vinum in sanguinem, seu qua panis caro efficitur, vinumque fit sanguis, veritas fidei continetur, quae in mera cessatione, vel remotione minime comprehenditur; fatendum profecto Tridentinum in illa definienda conversione articulum statuisse ab illa merae cessationis pistoriensi professione omnino distinctum.

Quin etiam distincti articuli luculentum aliud argumentum ex alia cum Bellarmini, tum et Juenini, aliorumve animadversione ducitur. Scilicet ut tradit Juenius (Dissert. 4, *de Euchar. ut est Sacram*. q. 4, c. 2, art. 2): » Lutherus in » libro de Captivitate Babylonica, quem an. » 1520 conscripsit, asseruit: 1. Panem una cum » Christi corpore in eucharistia remanere. 2. » Transubstantiationem, aut non transubstantiationem ex iis articulis esse, qui ad fidem » non pertinent. Sed non multo post tum in responsione ad Henricum VIII, Anglorum regem, tum in epist. ad Valdenses transubstantiationem rejecisse, quasi fidei fundamenta » convellat ». Lutheri verba ex respons. ad Regem recitat sorbonicus doctor Ludovicus Habert (de Euchar. c. 13): » Nunc transubstantiare » volo sententiam meam, et dico: Antea posui » nihil referre, sive sic, sive sic sentias de tran- » substantiatione; nunc autem decerno impium, » et blasphemum esse, si quis dicat panem tran- » substantiari ». Itaque Lutherus eum inducto pridem *impanationis* errore adhuc per aliquod tempus transubstantiationem velut articulum indifferentem tolerasset; non multo post hanc eundem articulum velut impium, et blasphemum insectari coepit.

Quis porro catholicus in hac impudentissima contumelia pristino impanationis errori, cum transubstantiationis tolerantia conjuncto, novum non agnoscat a Luthero errorem superadditum? Ut proinde nec dubitandum sit, quin tridentini Patres hos etiam specialim de transubstantiationis indifferentia, et impietate Lutheri errores, illa sui canonis parte perstrinxerit, qua nimirum anathemate dicto in eos, qui negaverint in eucharistia fieri conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, simul et hunc conversionis articulum fidei dogma esse definivit, ejusdemque dogmatis velut ad fidem pertinentis sanctitatem asseruit.

§. III.

Conversio

transubstantiationis nomine a Tridentino definita, minime confundenda cum specialibus eam explicandi modis, de quibus libera est scholarum disputatio.

Nunc ut ad potissimam rationem veniamus, qua inductus videtur cl. Feller ad pistoriensem articuli *conversionis* omissionem defendendam, tota ex hoc ambiguo nec satis explicato principio pendet, quod Stattlero duce censuerit modum existendi Christi in eucharistia neutiquam ad fidei dogma pertinere. Qua in re isti eum ad communem doctorum scholae sententiam provocant, convicti sunt ab eorum mente longissime abscedere. Etenim, ut ex paullo ante exposita Bellarmini doctrina patet, scholae doctores dum ultro profitentur ad fidem non pertinere peculiares quaestiones, quae de hoc existentiae modo inter ipsos *salva fide, et pace* disputantur; si quis tamen modus ab Ecclesia sub certa verborum formula profitendus proponitur, hunc profecto modum ab eo quaestionum genere prorsus removent. Quam in rem aptissime cadit ratio, qua Natalis Alexander petitam ex heterodoxis, *Polani* calumniam refellit, Dissert. 12, de Trid. Concil. art. 8, *de Sess*. 13, *Decretis* n. 5. » Sibi ipsi contradicere concilium, dum » ex una parte ait conversionem panis, et vini » in corpus, et sanguinem Christi vix posse » exprimi; ex alia vero parte ait eam *proprie* » et convenienter appellari transubstantiatio- » nem ». Etenim ut sapienter ille animadvertit. cap. 4.: » Quamvis ratio ipsa mysterii nec » humanae mentis intelligentia comprehendi, nec » verbis, adaequatam, plenam, claramque illius » notionem parientibus, possit exprimi; voces ta- » men habemus, quibus id exprimere possumus, » quod de mysteriis mens nostra fide illustrata » concipit; ut ipsis nomina quaedam Scriptura, » vel Patres tribuerunt. Sic aeterni Verbi proces- » sio ineffabilis est, et tamen convenienter, et pro- » prie generatio Filii Dei nominatur.... Quid- » ni ergo ratio existendi corporis, et sanguinis » Christi in eucharistia, etsi ineffabilis, proprie » tamen et apte transubstantiatio appelletur »? Profecto in eo certe theologi plures elaborarunt, ut peculiares quosdam modos indagarent, quibus planius intelligi queat, cur processio filii a patre generationis potius quam alterius processionis vim habeat. Quamvis autem ultro de- tur peculiares istiusmodi explicationes, quae in scholarum disputationibus versantur, ad fidem non pertinere, non inde fit, ut non ad fidem pertineat modus ille, quo per viam generationis et non aliter Unigenitus, qui est in sinu Pa-

tris, credendus est a Patre procedere. Sic pariter etsi ad dogma non pertineant peculiares modi, quibus planior quaedam notio comparari valeat conversionis panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi; non iccirco minus certa fide profitenda est ratio illa existentiae Christi in eucharistia, quae fit per conversionem illam singularem, et mirabilem, quae sub transubstantiationis propria, et convenienti appellatione credenda proponitur.

Quod ergo cl. Felier admonet » reipsa nimis » grammaticaliter aut metaphysice accipi eam » (transubstantiationis) vocem non debere» valeat quidem ad comprimendam curiosiorem omnem, quam par sit, inanem, temerariam, periculosam in mysteriis investigandis audaciam; non eo usque ut fides modis illis derogetur, qui sunt universalis Ecclesiae sensu, et oecumenicarum synodorum definitionibus apertissime definiti. Atque ut res tota unius argumenti conclusione conficiatur: aut concedis, aut negas, vel saltem ambigis possibilem Deo esse talem conversionis modum, qualis ab Ecclesia sub transubstantiationis vocabulo credendus praescribitur: si negas, aut ambigis, impius profecto, nec haereticae pravitatis expers fueris; quod si concedis, quid jam morari te potest, quominus in illius conversionis professione acquiescas, cujus modum certe aliquem, etsi minus intelligentia consequi valemus, cogitatione tamen per fidem illustrata assequi possumus, et constantissime credere debemus?

Eusebianis certe, aliisve aliarum perditarum sectarum gregalibus subtilitates nunquam defuere grammaticales, aut metaphysicae, quas vocabulis objecerunt *Trinitatis, consubstantialis, ingeniti, unionis personalis, Deiparae*. Non his tamen conviciis deterrita est Ecclesia, quominus et sua dogmata, et verborum formulas, quibus eorum est alligata professio, constantissime retineret, atque in his formulis defixam catholicae fidei doctrinam ad omnem futuri temporis memoriam commendaret (1).

§. IV.

Vox a catholico sensu abhorrens: voces, *quibus dogma* conversionis totius vini in sanguinem *canone tridentino sancitum est*, secundum litteram falsitatis argui debere.

Sed jam ad aliam me refero, et quidem plane invitus, *notae* particulam, quam nescio quo nomine appellem: adeo refugit animus quidquam exprimere, quod paullo durius dictum videri queat in cl. virum. Unum dicam, quod omnino taceri non potest, me non satis intelligere, qua demum ratione, sine catholici sensus offensione viro catholico excidere potuerit, quod in ea nota scriptum legitur his verbis: » Quod » autem ad nimiam terminorum grammatica» litatem fugiendam, uti supra diximus, hac in » materia pertinet, locuples sunt exemplum eae » voces, quae in eadem Bulla ex Tridentino re» feruntur; *conversio totius vini in sanguinem*: » quae quidem secundum litteram argui falsi» tatis debent ». Itane? An non satis erat in exemplum proferri grammaticae nimiae garrulitatis, nisi etiam falsitatis secundum litteram argueretur sacri dogmatis vox *conversionis totius vini in sanguinem*, totius Ecclesiae fide consecrata, ex oecumenici concilii canone in pontificiam dogmaticam sanctionem translata? Ecquid aliud convicium est ab heterodoxis omni aevo in Ecclesia jactatum, quasi haec filios suos cogat tanquam totidem fidei articulos plura sua decreta profiteri, quae falsitatis argui debeant? Quod si falsitas *secundum litteram* verborum formulae subesse potest, quibus catholicam veritatem profitendam synodus oecumenica praescribit; cur non et pari jure veritas ad litteram subesse verborum formulis poterit, quas falsitatis arguendas Ecclesia censuerit? Itaque actum jam erit de certo, firmo, stabili Ecclesiae judicio in quarumcumque formularum, seu propositionum sensu dijudicando, utpote quae illudi sibi sic aliquando patiatur, ut veritatem sibi comprehendere videatur sub talibus verborum formulis, quae falsitatis ad litteram argui debeant; nec adeo diffitendum sit, quin pari jure falsitatem videatur sibi deprehendere sub talibus verborum formulis, quae veritatem ad litteram prae se ferant.

Quod si labi, falli, decipi Ecclesia potest in componendis verborum formulis, quibus catholica dogmata profitenda sunt; quae jam superstes rata, et certa norma fuerit, qua sanam verborum formam a profanis novitatibus fideles discernere valeant? Quam normam si semel ab Ecclesiae judicio disjunxeris; omnia necesse est in privati spiritus vanitatem, et inconstantiam relabi. Plura subjungere nec opus, nec locus est.

Pergit porro Felier hanc ejus dicti sui rationem reddere: » Cum enim, inquit, corpus

(1) Ad omnes istas, quae opponi solent grammaticales, metaphysicasve aut subtilitates aut argutias, una valeat gravis, plenaque catholicae sapientiae Catechismi Romani animadversio (p. 2, *de Euchar. Sacram.* n. 41): » Sed illud saepissime a sanctis Patribus repetitum fi» deles admonendi sunt, ne curiosius inquirant, quo » pacto ea mutatio fieri possit. Nec enim a nobis per» cipi potest, nec in naturalibus mutationibus, aut in » ipsa rerum creatione ejus rei exemplum aliquod ha» bemus. Verum, quid hoc sit, fide cognoscendum » est; quo modo fiat, curiosius non inquirendum».Fide ergo credenda mutatio, quam transubstantiationis nomine Ecclesia appellat: quod si profitenda, non ergo ejus professionis omissio in synodo excusanda.

» Christi integrum, et perfectum sub specie » quoque vini sit, in sanguinem *totum* vinum » non vertitur ». Quid ais? Attende quaeso paullisper. Haec verba » *in sanguinem totum vinum non vertitur* » duplicem significationem habere possunt: vel quod totum vinum non vertatur, sed pars vertatur, pars in sua vini substantia remaneat; isque error foret manifestus contra fidem, a Fellerl mente prorsus alienus: vel quod vinum non *totum* in sanguinem vertatur, sed pars in sanguinem, pars etiam in corpus; quod perinde est a catholico sensu disjunctum. Certe quidem Christi corpus sub specie quoque vini integrum, et perfectum est. Verum non idcirco necesse est, quod non satis attendisse Feller videtur, partem vini verti in corpus Christi. An non sub specie cum panis tum vini anima Christi existit una cum ipsius corpore, et sanguine? Num propterea opus esse censebimus partem panis, partemve vini verti in animam Christi? Apage. Nota est vel ipsismet theologicae disciplinae alumnis vera certaque *coexistentiae* hujusce ratio, quam dilucide explicat synodus tridentina, cap. 3: » Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim » post consecrationem verum Domini Nostri » corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, et vini specie una cum ipsius anima, et » divinitate existere; sed corpus quidem sub » specie panis, et sanguinem sub vini specie ex » vi verborum, ipsum autem corpus sub specie » vini, et sanguinem sub specie panis, animam sub utraque vi naturalis illius connexionis, et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, » non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem » illam ejus cum corpore, et anima hypostaticam unionem ».

Ad extremum concludit Feller his verbis: » Adeo verum est a divinorum mysteriorum » fide, aut theologica etiam explicatione, sicut » et universim ab Ecclesiae decretis (uti sapienter monet Melchior Canus) omnem subtilitatem, aut terminorum curiosiorem inquisitionem, ubi semel mens scopusque definitionis in aprico est, abesse omnino debere ».

Etsi nec locus hic notetur, e quo deprompta sit Melchiori Cano adscripta sententia, in eo tamen quod monuisse dicitur, nimiam subtilitatem, terminorumve curiosiorem inquisitionem a divinorum mysteriorum fide, theologicave explicatione, sicut et universo ab Ecclesiae decretis removendam esse, libens agnosco praestantis viri plenum prudentiae monitum. Minime vero adduci possum, ut existimem hanc sapienti, doctissimoque theologo mentem insedisse, ut si quandocumque sibi quis videatur dogmaticae cujusquam definitionis vim, et scopum attigisse, fas ei sit litteram deserere, qua definitum dogma continetur. Absurdum commentum ad foedam institutionis catholicae universae perversionem comparatum. Atqui tamen hoc ipsum vitium in pistoriensi fidei expositione manifeste deprehenditur, in qua synodus omni *conversionis* mentione praetermissa, non vocem solummodo *transubstantiationis* Ecclesiae usu, et canonis tridentini littera consecratam, sed et *ipsum conversionis dogma* hoc ipso canone comprehensum, et sancitum in perniciosissimae oblivionis discrimen adduxit.

Quod si pastoralis universae sollicitudinis nullum sanctius officium est, quam providere in primis, ne integritas depositi quidquam detrimenti capiat; quid aequius, quid supremo gregis custodi antiquius esse debuit, quam ut apostolicae censurae auctoritate catholici dogmatis integra, aperta, suaque propria voce declarata professio ab intentato per insidiosam illam omissionem oblivionis periculo vindicaretur? Atque id quidem providentissimum consilium dilucide adeo, enucleateque in formula censurae propos. 29 explicatum est, ut ad clariorem intelligentiam nullius cujusquam, minus certe fellerianae *notae*, subsidium requireret.

Quorsum igitur, inquies, tam longa disputatio in illam tam brevem fellerianam notulam? Prompta, expeditaque responsio. Prorsus ita necesse fuit, quippe non aliter satis commode aperiri poterat involuta ratio, et via quam vir cl. in sua pistoriensis omissionis defensione inire instituit: qui nempe videri voluit in primis id a se susceptum, ut Bulla Pii VI, cum tridentino concilio *concors* plane appareat. Deinde cum probe animadverteret pistoriensem expositionem non satis apte ad litteram tridentini canonis accomodari posse, proprius nil esse duxit, quam ut ad Pistoriensium sensum Tridentini litteram inflecteret: insuper cum et vereretur, ne ex tam aperta canonis littera scrupulus tamen aliquis in piorum animis resideret, eo demum usque progressus est, ut palam diceret, voces eas *conversionis totius vini in sanguinem*, quas Pontifex ex tridentino canone in suam censuram transtulit, *secundum litteram falsitatis argui debere*. Quo loco minime praetereundum est, quam praeclare ille, praeterquam existimarit, de *Bulla* meritus sit, qui hac sua interpretandi ratione palam fecerit, ementitae illius falsitatis crimen in pontificiam censuram non aliter tanquam venenatum telum conjici potuisse, quam ante per latus Tridentini trajiceretur. Atque ad has quidem captiones explicandas, quo breviore contextu sunt in felleriana notula implicatae, nemo mirabitur eo longiorem disputationem adhibendam fuisse.

§. V.

Minime tuta ratio emolliendi dogmata, dogmatumve vocabula, conciliandae concordiae nomine catholicos inter et heterodoxos.

An vero propterea censebimus virum cl. pistoriensibus maluisse, quam tridentinis Patribus favere? Absit tale quidquam de tali viro suspicari. Non id profecto est: hoc potius, ut supra jam dictum est, quod obsequentiorem se illis praebuerit, qui jam dudum per eas regiones flagrantiore, nec tamen semper cauto satis studio ducti concordiae inter catholicos et heterodoxos conciliandae, faciliores praebere se videntur ad ea emollienda sive dogmata, sive dogmatum vocabula, quae duriora solent istorum auribus accidere: nec satis advertunt de religionis causa, non de forensi lite agi, in qua dissidentibus liceat de jure suo quidquam utrinque remittere, ut aliquid tandem emergat, quod omnibus ex aequo placere videatur.

Non hic locus est demonstrandi, quam periculosa sit haec de rebus fidei tractandi ratio; quam adversa spiritui veritatis, quo Ecclesia sic regitur, ut huic uni pro ea quae ipsi credita est verbi Christi summa custodia, de suis dogmaticis decretis nefas sit dubitare aliquando, minus vero transigere, aut minimum quidquam detrahere; quam demum aliena ab incorrupto illa ab Ecclesiae incunabulis retento more, et instituto, ut qui ad fidem petendam accederent, non ante societati fidelium aggregarentur, quam se obligavissent ad fidem profitendam, non de qua cum ipsis per pacta conventum esset, sed quae in ipso Ecclesiae ingressu per baptismum a pastoribus profitenda sibi traderetur. Qua de re planius disputatum est singulari libro inter *Opuscula ad Hierarchicam Ecclesiae Constitutionem spectantia* (Vid. supra tomo praeced. pag. 135 et seqq.).

Praesenti nostro instituto satis hoc uno factum esse arbitror, quod ea sit inter pontificiam censuram, et sanctionem tridentinam patefacta doctrinae consensio, ut una disjungi ab alia nequeat: proindeque necesse sit censurae firmitatem consistere, quoad sua tridentino canoni firmitas constiterit. Atque id quidem, pro clarissima luce, qua tota illa censurarum series perfunditor, de ceteris ita certo affirmare non veremur, si quis earum quamcumque, aut erroris inscitia, aut contentionis studio, aut clarioris intelligentiae nomine, quocunque modo vexandam susceperit; nihil ut afferre possit, quod non aut ad caput aliquod labefactandum catholici dogmatis, aut ad Ecclesiae in constituenda disciplina nativam auctoritatem evertendam perinde recidat. Quod speciatim in duabus, quae supersunt, fellerianis notulis expendendis plane perspectum iri confido, una, quam censurae propos. 61, *de adoranda humanitate Christi*, altera, quam propos. 63, *de cultu Sacri Cordis Jesu* vir. cl. subjiciendas putavit.

SINODI PISTORIENSIS

Propos. 61, damnata

DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI.

DE FIDE §. 3.

XXI. Propositio, quae asserit, adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae.

Quatenus per hoc verbum directe *intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi; perinde, ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una, eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur:*

Ex Concil. C. P. V Gen. cap. 9.

Falsa, captiosa, pio, ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito, ac praestando detrahens, et injuriosa.

NOTA FELLERI

Pag. XXXIII, Prop. LXI. Difficile est scire quid Pistojenses per vocem *directe* intelligant, cum nunquam a divinitate Christi separetur humanitas, ne per mentem quidem, et intentionem fidelium. Adoratur indivisibiliter indivisibilis Christus, Deus, et Homo. Unde merito (si accuratio theologica spectetur) culpatur illa separatio in Oratione, *Sacrosanctae, et individuae Trinitati, Crucifixi Domini Nostri Humanitati* &c. Quod autem supponi videatur nudam car-

nem adorari, eo absurdius est quod nequidem uniri divinitati mera caro possit, cum nonnisi mediante anima Verbum Dei corpus assumpserit.

ANIMADVERSIO

§. I.

Exponitur Ecclesiae catholicae sensus, de adoranda humanitate Christi, *ex Patrum*, *Doctorumque sententiis depromptus.*

Quod in superiore animadversione ad rectum de felleriana nota instituendum judicium visum est maxime pertinere, hoc idem in praesentis notae dijudicatione par causa monet pari jure faciendum; nempe ut reliquae toti disceptationi brevis praemuniatur expositio catholicae doctrinae *de adoranda humanitate Christi.* Atque hanc quidem depromendam duximus ex fonte, quem suspectum adversarii habere nequeant: ex parisiensis theologiae scholae censura contra berruyeranos errores edita, quam Camillus Blasius in suam *de Festo Cordis Jesu* elucubrationem transtulit (not. in fin. cap. 30, p. 105); » Omnes theologi (verba sunt censorum) unanimiter sciscunt tanquam dogmata ad catholicam » fidem pertinentia. 1. Supremum latriae cultum » soli Deo, solis Personis Divinis, Patri, Filio, » et Spiritui Sancto esse impendendum *in se*, » *et propter se*, seu solum Deum esse simul obje» ctum, et motivum adorationis latriae. 2. Hu» manitatem Christi Verbo Divino unitam, a» dorandam esse quidem supremo latriae cul» tu *in se*, *sed non propter se*, idest eam esse » objectum, sed non motivum supremi illius » cultus. Nimirum, ut loquitur S. Joan. Damasc. » l. 3, de Fid. Orthod. cap. 8. *Carnem* (Christi) » *adoramus*, *sed velut divinitati unitam*, *et quia* » *duae ejus naturae ad unam Verbi Dei perso*» *nam reducuntur*, *unamque subsistentiam. Car*» *bonem tangere vereor ob ignem cum ligno con*» *junctum. Ambas Christi naturas ob unitam* » *carni divinitatem adoro*. ». Notat porro Blasius Damasceno a Parisiensibus adjungi » Sanctos » Thomam, Athanasium, aliosque communiter » Ecclesiae Patres; quin et Augustinum inter » celeros audiendum. »

Itaque Parisienses ex communi Patrum, et doctorum sensu docent, humanitatem Christi, prout unita est divinitati, *objectum* esse adorationis latriae *in se* quidem, *sed non propter se.* Atque hoc loco ante omnia sedulo advertendum, quod quidem per sese perspicuum est, omnem quamcumque, et cujusvis generis actionem vi sua certo modo *dirigi* in id quod est ejus actionis objectum. Quippe haec sunt ex natura rei connexa, ut actio *dirigatur* in objectum, quod per actionem *attingitur*. Si ergo humanitas Christi objectum est adorationis latriae, etsi non propter se; profecto fieri non potest, quin haec adoratio dirigatur in eam ipsam humanitatem, quae per illum adorationis cultum attingitur. Quod et illustrari potest similitudine ipsa carbonis igniti, quam modo ex Damasceno a Parisiensibus allatam protulimus, in quo tangendo lignum directe attingitur, ita tamen, ut simul eodem actu ignis attingatur, quo totum est lignum comprehensum. Atque id quidem, ut dixi, sedulo praemonendum fuit, ne diutius ludificari nos sinamus veteratoria ambiguitate verbi *directe*, quod insidiose positum est in propositione synodi (1).

Sed jam paullo amplius haerendum in auctoritate Damasceni, antequam ad superioris, inferiorisve memoriae Patres, ac doctores accedamus, ex quorum collectis testimoniis luculentior eniteat series, et continuatio traditionis. Ita-

(1) Ne ad praesentis disceptationis statum obscurandum, dubitatio aliqua forte suboriatur ex adoratione illa hyperduliae, de qua disputant etiam nunc theologi, quatenus, et qua ratione tribui valeat humanitati Christi; sedulo notandum est, hanc adorationis rationem non aliter ab istis theologis admitti, nisi prout humanitas Christi spectatur velut a divinitate sejuncta vel praecisa. Sic egregius s. Th. interpres Carolus Renatus Billuart (Dissert. 23, *de adorat. Christi*, ecc., art. 3): » Dico 3. Humanitas se» cundum se sumpta, et ut per intellectum praecisa » a Verbo, potest adorari cultu inferiori ob perfectio» nes suas creatas, v. g. ob gratiam habitualem ec. ». Patet proinde nihil quaestionem hanc pertinere ad *formulam censurae*, in qua unice et expresse agitur de adoratione praestanda humanitati Christi pro sua cum Verbo hypostatica conjunctione. Porro sub hac ratione adorationem latriae humanitati Christi deberi, luculenter probat idem Billuart ex conciliis et Patribus. » Dico 2. eadem adoratione latriae adoranda est » divinitas Christi et ejus humanitas » profertque inter alia depromptam auctoritatem ex act. 5, 7. Synodi: » Cum adoratur Christus, non separatur hu» manitas a divinitate, sed utraque ut unum adora» tur latria ». Quod subinde latius explicans ostendit, hanc adorationem ob hoc deberi humanitati Christi, quia » humanitas constituit unum totum subsi» stens, idemque esse personale cum Verbo: Ergo, » (concludit), una cum Verbo partialiter terminat » eandem, quae ipsi defertur, adorationem latriae » indeque colligit, hanc adorationem humanitatis non » debere dici relativam, sicut ea quae defertur ima» gini Christi, sed propriam et absolutam, quia a» doratur persona cujus est natura, totum cujus est » pars, adeoque, ut dictum est, ipsa ut pars totius » adorati terminat etiam adorationem: secundario ta» men et minus principaliter, quia adoratur non pro» pter seipsam, sed propter Verbum conjunctum, ad » quod ideo primario et principaliter terminatur ado» ratio ». Ex quibus liquet, quam necesse fuerit occurrere offensionis periculo, ne fideles audientes humanitatem Christi *directe* adorari non posse, decepti ambiguitate hujus vocis, a qua Patres caute, ut mox dicetur, abstinuerunt, existimarent adorationem quae debetur humanitati Christi etiam prout est unita Verbo, genus esse potius adorationis cujuspiam relativae, qualis defertur imagini Christi, quam adorationis absolutae, quae ad humanitatem quoque suo modo terminetur, secundario scilicet, et minus principaliter, nec propter seipsam, sed propter Verbum in assumpta humanitate subsistens.

que ad particulam textus a Parisiensibus producti, quo clarior eluceat sancti Doctoris mens, et auctoritas, adnectendum est principium paragraphi, e quo illa est extracta particula: » Quapropter, inquit sanctus Doctor, unus est » Christus, Deus perfectus, et Homo perfectus, » cui unum, eandemque adorationem cum Pa» tre, et Spiritu, non exclusa immaculata ejus » carne, adhibemus. Neque enim adorandam » esse carnem ejus negamus: quippe quae ado» ratur in una Verbi persona, quae quidem » ipsi persona, et hypostasis facta est. Qua in » re non creaturae servimus, non enim illam, » ceu nudam Carnem adoramus, sed velut di» vinitati unitam...».

Major vis adhuc ex responso, quod sanctus Doctor adhibet (lib. 4, de Fid. Orthod. cap. 3) » adversus eos, qui ita objiciunt: Si duae na» turae Christus est, aut creaturam colitis na» turam creatam adorando, aut alteram natu» ram dicitis adorandam, alteram non adoran» dam. » Scilicet praecipua haec erat apollinaristarum criminatio adversus catholicos, utramque in Christo naturam adorantes, ut scite animadvertunt Maurini (art. in loc. Ambr.) mox proferendum: » Apollinaristae, inquiunt illi, » ut impium suum dogma de unica in Christo » natura statuerent... dictitabant, siquidem non » unius, sed duplicis naturae Christus esset, a » catholicis unam adorari, alteram non adora» ri oportere ». Ita videlicet: Catholici humanam in Christo naturam adorabant. Apollinaristae adorari oportere negabant: Videant adversarii, utris malint sese adjungere catholicis adorantibus, an apollinaristis adorari oportere negantibus.

Interim videamus ipsi, qua ratione apollinaristarum criminationem Damascenus diluat. Repetita nempe similitudine carbonis, urentis non vi sua, sed ignis, pergit: » Ad eundem quo» que modum caro suapte quidem natura ne» quaquam est adoranda, sed cum incarnato » Verbo adoratur, non quidem propter seip» sam, sed propter Deum Verbum, quod se» cundum hypostasim ipsi copulatum est. Ne» que enim fatemur nudam simplicem carnem » adorari, verum *Dei carnem*, sive Deum in» carnatum » (1). Quibus verbis ita contexta est formula censurae propos. 61. Pistoriensis, ut in ea Damascenum facile potuisset Fellerus agnoscere.

Quis jam tam ineptus Notarum Artifex (intelliget Fellerus quo haec referantur) quis, inquam, tam ineptus fabulator, qui Damasceni dictum, in carne Christi *carnem Dei* adorari, sic pervertendum putet, quasi ex eo consequens esset: Igitur *Deus erit caro*; indeque inferat: et quidem si *non est Deus*, *quo titulo adorari poterit?* Quasi Christi caro, etsi non est Deus, hoc ipso tamen quod hypostatice Verbo unita est, non rectissime dicatur et sit *caro Dei*; eoque titulo rectissime dixerit Damascenus, hanc non ut nudam simplicem carnem, et propter se, sed ut carnem Christi adorari, qua nempe adoranda Deus incarnatus adoratur. Apage proinde istas falsi nominis scientiae ineptias, contemnendas potius quam serio refutandas, nisi rudiorum, insipientiorumve offensioni occurrendum esset.

Jam ut ad antiquiores Patres accedamus, prima se nobis offert Athanasii epistola ad Episcopum Adelphium contra Arianos. Exponunt porro Maurini Editores in sua *Praemonitione*, qui error esset arianorum, quos hic sanctus Doctor oppugnat. Hi nimirum » Christi » corpus negabant esse adorandum: vel potius, » ut videtur, negabant a catholicis rite posse » adorari, qui nimirum crederent Verbum per» fectam assumpsisse humanam naturam, cor» pus scilicet, mentemque humanam... id» circo autem hi lucifugae se Verbum homi» nem factum recte adorare arbitrabantur, » quod, ut vane putabant, animae locum Ver» bum ipsum obtineret... Hoc ex erore alius » videtur emanasse, eorum nempe qui car» nem Domini conjunctione cum Verbo in» creatam factam esse existimabant. Quippe » illi ad sui defensionem dictitabant, nos rem » creatam non adoramus: iidemque catholicos » appellabant ἀνθρωπολάτρας (hominicolas).... » Cujus quidem erroris fundamentum hac in » epistola diruit sanctus Athanasius. » Idem proinde ariani isti, quod superiores Apollinaristae testimonium perhibent christianae fidei, qua imbuti catholici et Christum duplicis naturae esse, et utramque in Christo adorandam naturam profitebantur.

Horum porro arianorum criminationem sic repellit Athanasius: » Rem creatam non ado» ramus... sed rerum creatarum Dominum » carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi » enim ipsa caro seorsum spectata pars sit re» rum creatarum, attamen *Dei facta est corpus*. » Neque vero hujusmodi corpus a Verbo divi» dentes adoramus, neque cum Verbum volu» mus adorare, ipsum a carne removemus. » Quorum verborum vim commode Iuenius explanat (Instit. Theolog. p. 4, Dissert. 6, de Termino incarn. q. 14, c. 1) hoc fere modo: » Qui vetat, ne Christum adorans, humanita» tem a Verbo dividat, vult sane ut simul cum » Verbo humanitas adoretur: Si enim adorans » adorationis speciem humanitati exhiberet se» junctam ab ea, quam exhibet Verbo, huma» nitatem, saltem in sua mente, a Verbo di-

(1) Damasceno in hac loquendi ratione praeluxerant Athanas. l. 1. cont. Apollinar. n. 10: » Non dictum » est, caro Verbum facta est, sed Verbum caro fa» ctum est, quia *Verbi facta est caro* ». Tum et Leo M. Serm. 14. de Passione, c. 5. » Cum incorporea » sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Chri» sto habitat, nisi quia caro nostri generis facta est » *Caro Deitatis* »? Hospes necesse est sit in Patribus, si quem conturbet de Christo audire *carnem Dei*, *carnem Verbi*, *carnem Deitatis*.

» videret: atqui divisionem vetat Athanasius: » ergo vult, ut latriae adoratio ipsimet humanitati cum Verbo conjunctae exhibeatur. »

8. Cyrillus Alexandrinus (*lib. de recta in Jesum fide*, ap. Labb. tom. 3, edit. Ven. part. 1, *continente, quae Synodum Ephes. antecesserunt n.* 6.): » Alii turpe pudendum rati, si hominem » adorare videantur, terrenamque carnem summo bonore afficiant, dum foedo hoc inscitiae » morbo, pravaque et adulterina religione laborant, Verbum ex Deo natum in ossium, » et nervorum carnisque naturam demutatum » affirmant ». Notat Cyrillus eorum impietatem, qui Verbum in carnis naturam mutatum affirmabant, ex foedo inscitiae morbo, pravaque, et adulterina religione ortum daxisse, quod hominem adorare, terrenamque carnem honore summo afficere vererentur. Si foedus hic fuit inscitiae morbus, si prava, et adulterina religio; profecto pia, sincera, plenaque sanctitatis religio in eo cultu inerat, quem illi respuebant, quo nempe catholica Ecclesia Christum hominem adorandum, humanamque adeo naturam, qua assumenda Verbum caro factum est, honore summo in Christo afficiendam profitebatur. Quem cultum pergit Cyrillus comprobare n. 27 his verbis: « Arbitror enim Dei » Verbum post assumptam semel carnem, ab » humanae naturae conditionibus non esse penitus excludendum, neque humanitati rursum, si, ut in Christo est, consideretur, » gloriam quae Deum decet non esse denegandam ». Quin etiam (lib. ad Reginas ap. Labb ibid.) quo loco superiorum Patrum testimonia recenset *de recta fide in Jesum*, profert in primis praeclaram auctoritatem Athanasii ex lib. *de Incarnat. Verbi* illis plane sententiis congruentem, quas supra ex Athanasio ipso descripsimus. Haec porro ejus verba sunt, a Cyrillo prolata: » Si quis autem aliud ex divinis litteris docuerit .... aut ejusdem Domini Nostri carnem, veluti nudi hominis minime adorandam dixerit; hunc anathemate » plectit sancta, et catholica Ecclesia. ... Huc » usque beatus Athanasius ». Ita Cyrillus: anathemate a sancta catholica Ecclesia plectitur, qui carnem Domini Nostri velut nudi hominis carnem adorandam dixerit. Ergo ex doctrina, et fide sanctae catholicae Ecclesiae firmiter credendum, Christum Dominum Nostrum non esse nudum hominem, ejusdemque adeo carnem a Verbo assumptam, velut carnem Verbi propriam, in Christo esse omnino adorandam.

Neque alius fuit latinorum patrum sensus, inter quos recensendus in primis magnus Ambrosius, a quo notant Maurini Editores (not. supra indicata) quaestionem de adoratione Christi etiam secundum humanitatem non sine causa (adversus apollinaristas) paullo diligentius tractatam esse lib. 3, *de Spiritu S.* c. XI, cujus haec verba sunt n. 76: » Adorant autem (Angeli) non solum divinitatem » ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, sicut scriptum est: *Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* ». Et n. 79: » Videamus tamen ne terram illam adorandam » dicat propheta, quam Dominus Jesus in carnis adsumptione suscepit. Itaque per scabellum pedum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino » Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque » enim divisus est Christus, sed unus: neque » cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex » Virgine denegatur ».

Idem in Psal. 118, serm. 5, num 8. » Caro » Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes manus suas inquinaverunt; Santi venerantes, pietatis odore flagrarunt ». Illud ergo Christi corpus, quod in passione subjectum fuit perfidorum manibus, a quibus est crudeliter dilaceratum, illud, inquam, idem corpus est, quod Sancti piae suae venerationis *objectum* sibi fecere, cum illud venerantes veneraitone certe a Verbi veneratione non divisa, in sepulcro reposuerunt.

S. Augustinus fidelissimus Ambrosii Discipulus, ut eodem loco ajunt Maurini, in exponendo versu Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus* » non solum ambrosianas sententias; sed » et verba ipsa mutuatus est ». En verba Aug. *Enarr. in Psal.* 118. *num.* 9. » Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero » hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit; et quia in ipsa carne hic » ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur » tale scabellum Domini, et non solum non » peccemus adorando, sed peccemus non adorando ».

Profecto nomine scabelli perspicuum est Augustinum non divinitatem, sed carnem Christi designasse: itidem perspicuum est, minime in eo elaborandum, ut modus inveniatur, per quem modum divinitas sine impietate adoretur. Cum ergo s. Augustinus per assumptam carnem a Verbo ostendit inventum esse modum, quo sine impietate adoretur *scabellum pedum Domini*, manifeste loquitur de adoratione carni exhibenda, quam nomine scabelli apertissime denotat. Idcirco autem illam dicit sine peccato adorari, immo non posse non adorari sine deccato, quia est caro quam Verbum suscepit, suamque suscipiendo effecit.

Quin etiam in Serm. *De verbis Domini* dudum, et diu vulgato sub nomine Augustini, cujus extrema pars a Maurinis in Append. a. 246 rejecta est velut auctoris incerti, quem tamen ut antiquum, atque adeo remotioris me-

moriae idoneum testem proferre possumus; in eo, inquam, sermone n. 5. legitur: » Sed illi » (ariani) ad hoc replicabunt, et dicent, quid » quod carnem ejus, quam creaturam esse non » negas, simul cum divinitate adoras, atque ei » non minus quam divinitati deservis? Ego » dominicam carnem, immo perfectam in Chri» sto humanitatem propterea adoro, quod a » divinitate suscepta, atque Deitati unita est: » ut non alium atque alium, sed unum eun» demque Deum, et hominem Dei Filiam esse » confitear ».

S. Leo (Serm. 28, edit. Baller.): » Unde u» trique naturae, in suis proprietatibus perma» nenti, tanta est unitatis facta communio; ut » quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate » disjunctum; quidquid autem est hominis, non » sit a Deitate divisum ». En praeclare positum fundamentum adorationis, quae debetur humanitati Christi. Quippe cum quidquid est hominis in Christo non sit a Deitate divisum, et quidquid est Dei non sit ab humanitate disjunctum; profecto cultus, qui humanitati defertur, prout est humanitas Christi, totum complectitur, quod in humanitate Christi nunquam est a Deitate divisum, atque adeo Deitatem, quae nec ipsa est unquam ab humanitate disjuncta.

Succedunt proprioris aetatis doctores. S. Thomas 3. *p. q.* 25, *art.* 2, proposita quaestione, *utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriae*, subjectis continuo more suo, quae in adversam partem facere videntur, hoc modo: *Videtur quod humanitas Christi non sit adoranda adoratione latriae*, suam dein sententiam promit per verba: *Sed contra*, ubi argumento ducto ex auctoritate Damasceni, subjungit: » Sed Verbum incarnatum adoratur ado» ratione latriae: ergo et corpus ejus, sive e» jus humanitas ». Et in extremo articulo: » Et » per hoc etiam patet responsio ad 2. et 3., » quia adoratio latriae non exhibetur humani» tati Christi ratione sui ipsius, sed ratione di» vinitatis, cui unitur ».

Sylvius, praeclarus divi Thomae interpres, in eum sancti Doctoris locum: » Quare simpli» citer dicendum est carnem, et animam Chri» sti, sicut et membra corporis ejus, adoran» da esse adoratione latriae, quae quidem eis » debetur ratione hypostasis Verbi Dei, a qua, » et in qua sustentantur ».

Catechismus Romanus (de Sacram. Euchar. n. 8): » Atque ad eundem modum hoc sacra» mentum adorandum esse, nimirum corpus, » et sanguinem Domini intelligentes affirma» mus ».

Iuveninus (P. 4. Dissert. 6. de termino Incarn. c. 1.) patrum auctoritatibus, quas plures profert, singulis singulas argumentationes subjicit, quibus ad leges dialecticas adstricta patrum sententia nitidius ac distinctius enodata pateat.

Praestanlis vir doctrinae Card. Gotti (Tractat. 7. de Euchar. Q. 3. Dub. 5. §. 3.): » Caro » Christi suppositaliter Verbo unita, ubicun» que sit, adoranda est ».

Io. Clericatus, qui inter munia, quibus operam suam B. Gregorio Card. Barbadigo praestitit, ac probavit, insigni cleri patavini ecclesiasticorum studiorum exercitationibus praefuit (De sacrif. missae decis. 6. n. 29.): » Chri» stus adorandus est adoratione latriae non so» lum ut Deus, sed etiam ut homo, quia hu» manitas Christi ut unita Verbo includit ipsum » Verbum, et dicit totum Christum ». Laudatque doctissimum cardinalem de Lauraea, *de Incar.* Decis. 29. n. 68. Dictum sane valde accommodatum illustrandae Basilii sententiae, qua caro Christi (Homil. 59. n. 4.) ab eo dicta est *Caro Dei gestatrix*, tum et similitudini e carbone ignito a Damasceno depromptae; quibus declaratur, quod plurimum valet adversus obloquentium criminationes, adorationem, quae tribuatur humanitati, de qua verum sit dicere, *eam Verbum Divinum includere, et dicere totum Christum*, talem esse, quae non duplicem adorationem prae se ferat, sed unam eandemque adorationem, qua Verbum ipsum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur: prout est Can. 9. concilii generalis V. expresse traditum (1).

§. 11.

Reprehensiones Fellerianae diluuntur. Precatio pio Ecclesiarum usu consecrata: Sacrosanctae individuae Trinitati, crucifixi D. N. J. C. humanitati, *vindicatur.*

Hactenus praeclare jacta sunt fundamenta defensionis nostrae adversus fellerianas compellationes, quas tanto minus metuendas nobis esse intelligimus, quanto pluribus, firmioribusque patrum, ac doctorum auctoritatibus causa nostra nititur. Fellerum tamen audiamus.

Sic ille orditur: » Difficile est scire, quid Pi» stojenses per vocem *directe* intelligant, cum » nunquam a divinitate Christi separetur hu» manitas, ne per mentem quidem, et inten» tionem fidelium ».

Hac ipsa de causa providendum fuit, ut in hac vocis ambiguitate prava significatio distincte notaretur, qua fideles decepti in hunc errorem inciderent: fieri non posse, ut adoratio *dirigatur* in humanitatem Christi, prout in nonnullis tamen publicis Ecclesiae orationibus dirigitur, quin humanitas a divinitate separetur, atque adeo tribuatur creaturae honor soli Deo debitus. Qui error perspicue in formula censurae

(1) Non quasi Verbi immensitas carnis angustiis, veluti clausa teneatur, sed quod tota ipsa Verbi persona in carne sive humanitate, hypostatice sibi unit, subsistat.

depulsus est, qua declaratur adorationem, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, sed prout unita est divinitati, non esse honorem divinum impertitum creaturae, sed unam, eandemque adorationem, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur (1).

Pergit Feller: » Adoratur indivisibiliter in» divisibilis Christus, Deus, et homo ».

Utique sane. Sed mirum, Fellerum non vidisse per adorationem qua humanitas Christi adoratur ut Verbo unita, non tolli quin Christus indivise cum sua humanitate adoretur, quemadmodum ex verbis censurae modo recitatis apertissime intelligitur.

Atque in hac quidem tota disceptatione videtur Feller in eo deceptus esse, quod putaverit, si quidem duae distinctae naturae adorentur in Christo, duas consequenter adorationes esse distinguendas. Quod secus est. *Ambas Christi naturas*, inquit Damascenus, *ob unitam carni divinatem adoro*. Num propterea duas illas adorationes induxisse putabimus? Absit; attamen si ambae Christi naturae adorandae sunt, duo utique proposita sunt a s. Doctore adorationis objecta, divinitas certe *in se*, *et propter se*, humanitas *non propter se*, sed *ob unitam carni divinitatem*. Nec tamen inde sequitur duas esse distinguendas adorationes, quippe cum vi unionis hypostaticae *humanitas includat ipsum Verbum*, ideoque quidquid est Dei, nunquam sit ab hac humanitate disjunctum; profecto inde fit, ut quo actu per adorationem humanitas attingitur, per eundem plane adorationis actum et ipsum Verbum attingatur, quod nunquam est ab humanitate sua divisum: quemadmodum (si aequa proportione uti licet ipsiusmet Damasceni similitudine carbonis igniti) in carbone ignito lignum tangi non potest, quin eodem actu tangatur ignis, quo totum est lignum comprehensum.

Immo posito quod cultus, qui uni objecto praestatur, non aliter ei praestetur, nisi prout est alteri objecto indivise unitum, repugnat, ut ne quidem per mentem divisus concipiatur honor, qui totus in indivisa illa unione fundatur. Et revera quidem cum humanitas Christi non possit intelligi sub hac ratione *humanitatis Christi*, seu qualenus est humanitas Christi, nisi simul intelligatur esse unita personae Verbi; profecto necesse est, ut cum sub hac ratione humanitas adoratur, et ipsa persona Verbi adoretur; quae nisi simul cum sua humanitate adoraretur, nec intelligi posset humanitatem adorari, ut est humanitas Christi (2).

(1) Si adverbium *directe* vi sua, et communi acceptione significaret *separatim*, *primario*, *propter se*, recte synodus dixisset adorationem latriae directe tributam humanitati Christi, fore semper honorem divinum impertitum creaturae. Verum non ea est nativa, communisve latius adverbii acceptio. Quippe haec adverbia *directe*, *separatim*, *primario*, disparatas omnino significationes prae se ferunt, ut patet ex lexicis, et usu communi. Neque verum est, id quod alio dirigitur, semper sistere ac terminari in eo ad quod dirigitur; velut ictus lanceae, qui dirigitur in latus, non semper sistit in latere, sed ad cor penetrat, in eoque terminatur. Itaque fieri potest, ut adoratio *directa* tribuatur humanitati Christi, quin ei tribuatur *separatim*, *et primario*, aut in ea terminetur. Igitur, qui generatim, et universe statuit humanitatem Christi non posse *directe* adorari adoratione latriae; hoc ipso generatim et universe excludit omnem modum, quo talis adoratio dirigi potest ad humanitatem Christi, etiam cum ad eam dirigitur non propter se, non separatim a divinitate, sed ita dirigitur, ut tamen non in ea terminetur, sed in Verbo, quod ei factum est subsistentia, ut loquitur Damascenus. Sublata proinde generatim quacunque *directa* adoratione latriae humanitati Christi, hoc ipso tollitur omnis eidem exhibenda latriae adoratio; nec enim intelligi aut fieri potest, ut qualiscunque cultus exhibeatur, quin ad illum dirigatur, cui exhibetur, et eo modo dirigatur, quo modo exhibetur. Porro sine errore negari nequit, quin adoratio latriae exhibenda sit humanitati Christi, non quidem propter se, sed prout est unita divinitati per hypostaticam unionem cum Verbo. Hinc etiam, quod sedulo notandum est, valdeque ad rem pertinet, in tam multis quas collegimus patrum ac doctorum auctoritatibus, semper quidem illi monent, cavendum ne adoratio latriae tribuatur humanitati Christi *propter se*, nunquam vero, illam *directe* adorari non posse. Ut proinde suspicione non careat novitas hujus verbi *directe*, quod in hac materia communi patrum, ac doctorum locutioni nulla necessitate substitutum est a Synodo. Et revera si non alius erat Synodi, quam qui semper fuit patrum et doctorum sensus de adoratione humanitatis Christi, cur non et eundem in eo explicando planum, dilucidum, expeditum eorum loquendi modum sibi etiam tenendum censuit, a quo sine aliquo offensionis periculo vix unquam receditur? Quamobrem animadversione indigebat propositio Synodi, quae generatim, et universe negans, *directe* adorari posse humanitatem Christi, per indeterminatam ambiguitatem illius verbi *directe*, in eam fraudem fideles impellere facile poterat, ut existimarent nullo modo dirigi posse; nec adeo exhiberi adorationem latriae humanitati Christi, etiam cum ad eam dirigitur, et eidem exhibetur, prout est humanitas personae Verbi, in qua adoratio terminatur: quasi talis adoratio *foret honor divinus impertitus creaturae*, et non potius una eademque adoratio, quo persona ipsa Verbi, subsistens in humanitate assumpta, simul cum unita sibi humanitate adoratur; prout in formula censurae declaratum est ad normam canonis IX. concilii generalis V.

(2) Quod vulgari etiam nec prorsus inepta comparatione, seu similitudine illustrari potest. Nam qui v. gr. honorem defert cuidam homini, non quidem prout certus quidam homo est, sed prout est sacerdotali honore insignitus, eique caput submittit, ejusque manus Chrismate sacro delibutas osculatur, profecto fieri non potest, ut in honore qui homini ei defertur, non comprehendatur ipsa sacerdotalis ordinis dignitas propter quam honor ille defertur: verumque adeo sit dicere, in honore qui homini defertur, ut sacerdos est, sacerdotalem dignitatem, et personam honorari. Ad eum modum, quantum fert similitudinis ratio, nec per mentem intelligi potest, in adoratione quae defertur humanitati Christi, non propter se, sed propter personam Christi cui unita est, non ipsam Christi personam adorari, propter quam unice adoratio latriae humanitati defertur, prout nempe humanitas est Christi, seu personae Verbi, quod in ea subsistit, et a quo, et in quo illa sustentatur.

Demum et istud considerari potest: Quemadmodum duae naturae, quae distinguuntur in Christo, nihil officiunt unitati personae, ita nec quidquam officit unitati adorationis, quod duae in Christo naturae adorentur, quae in Christo ut loquitur Damascenus, *ad unam Verbi Dei personam reducuntur*.

Pergit Feller: » Unde merito, si accuratio » theologica spectetur, culpatur illa separatio » in oratione: *Sacrosanctae, et individuae Tri-* » *nitati, crucifixi Domini nostri humanita-* » *ti etc.* ».

Immo non excusandus Feller, qui separationem adorationis humanitatis ab adoratione divinitatis finxerit sibi in ea oratione, quae cum dicit *humanitatem Christi*, hoc ipso etiam dicit *personam Verbi*, sine qua humanitas illa nec esse, nec intelligi posset ut humanitas Christi. Perinde ac si, ut vulgari comparatione utar, arguatur quis a persona optimi regis honorem separare, quem regiae potestati defert, quam rex sustinet. Sed de toto isto fictae separationis crimine dictum jam satis. Ceterum distincta mentio, quae in ea oratione fit de Trinitatis, et humanitatis Christi crucifixi, eo spectat, ut post absolutum canonicarum precum officium distincte recolantur, ac velut in recitantium mente defixa teneantur duo praecipua fidei nostrae distincta mysteria, sacrosanctae nimirum Trinitatis, et Incarnationis Christi Domini, beataeque passionis, quam pro generis humani salute in sua humanitate sustinuit. Ex quo certe nulla talis inducitur separatio, qualem suspicatus est Fellerus.

Hoc porro dolendum valde, cl. virum non minimum videri a pristino illo suo pleno pietatis in Apostolicam Sedem obsequio descivisse, dum affirmare non est veritus, *merito culpari* (spectata videlicet accuratione theologica) orationem, quam non ignorat a Summis Pontificibus jam ab Leone X. commendatam, gratiis spirtualibus auctam, a sacris ministris tam longo intervallo recitari consuetam, nullo reclamante, cujus aliqua fuerit in Ecclesia nominis auctoritas. Utinam ille meminisset sapientis moniti, quod in alia nota descripsit ex Morino, Morinus traxit ab Augustino epist. 54. » Insolentissima est insania non modo disputa- » re contra id, quod videmus universam Ec- » clesiam credere; sed etiam contra id, quod » videmus eam facere ».

Quod si fictae separationis illius nomine culpanda oratio *Sacrosanctae;* pari jure et haec erit culpanda, quae in sacrae liturgiae secretis non semel per annum recitari consuevit: *Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas:* culpanda item invocatio cum latriae cultu conjuncta, quae fit a Sacerdote sacram hostiam sive sumente, sive porrigente: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam*, vel *tuam in vitam aeternam*. An hic etiam metuendum suspectae separationis periculum? Absit. Satis hoc uno se se tuetur sacrae illius invocationis sanctitas, quod in Christi corpore, prout corpus est Christi, Christus ipse invocatur. Ceterum ad plenius cognoscendam vim efficientiae, quam ex unione hypostatica cum Verbo ad salutem humani generis traxit caro Christi, ut instrumentum divinitatis, consulendus s. Thomas 3. p. q. 48. *art.* 6. *et in* 1. *thessal. c.* 3. *lect.* 3.

§. III.

Effatum theologicum: Verbum assumpsisse corpus mediante anima, *praeter rem a Fellero productum*.

Concludit Feller: » Quod autem supponi vi- » deatur *nudam carnem adorari*, eo absurdius » est, quod nequidem uniri divinitati mera » caro possit, cum nonnisi mediante anima » Verbum Dei corpus assumpserit ».

Primum, nescio quo referatur illud, quod *supponi* Feilero visum est, *nudam carnem adorari*. Nullibi certo id supponitur in formula censurae, in qua contra potius verbis e Damasceno depromptis expresse declaratur, *nudam carnem non adorari*. Nec mirum Fellero videri debuit, usurpata esse in pontificia sanctione verba Damasceni.

Deinde in eo quod sequitur, magnum quiddam Feller, viroque plane theologo dignum ostentare maluisse videtur, quam quidquam afferre, quod ad rem faceret. Illud nimirum profert ex intima theologia depromptum, *Verbum carnem assumpsisse mediante anima*. Utinam vero non eum piguisset in ipsam quaestionem penitius intrare, non ipsum tantummodo quaestionis titulum inspicere: profecto ab omni ejus mentione abstinuisset, ne aut a quaestionis statu aberrare, aut extra propositum vagari videretur. Etenim quaero quid ille sibi finxerit a theologis intelligi per haec verba, *mediante anima*? An forte in conjunctione Verbi cum carne animam veluti glutinosum medium intercedere, per quod caro jungatur cum Verbo, ita ut unio Verbi cum carne non sit aeque immediata, atque unio est Verbi cum anima? Atque id quidem ad suum propositum aliquantum facere posse videretur. Verum non ea est in illa versanda quaestione theologorum mens, et sententia: qui contra in tali refutando errore consentiunt planissime. Paucis proinde, quantum fieri poterit, exponenda nobis est tota hujusce quaestionis ratio. Theologi nempe in disputatione, quam instituunt de convenientia, modo, et ordine Incarnationis, inter cetera inquirunt, an, et quemadmodum dignum, et congruens fuerit, Verbum carnem assumere. Ajunt porro Verbum in assumendo corpore, non corpus spectasse simpliciter ut caro est; sed cum vellet humanam naturam integram, perfectamque assumere, ideo et

corpus assumere voluisse non ut corpus merum, sed ut corpus humanum, pertinens videlicet ad integritatem constituendam humanae naturae; corpus autem non aliter humanum esse intelligitur, nisi ex ordine, quem habet ad animam. Hinc fit ut anima fuerit in ordine dignitatis, et congruentiae veluti causa media, propter quam Verbum voluerit corpus assumere. Neque tamen ex hoc sequitur non aeque hypostaticam, atque adeo immediatam Verbi unionem fuisse cum corpore assumpto, quam fuerit cum anima. Ita scilicet ex mente divi Thomae Sylvius (In 3. p. q. 6. art. 1. in responsione ad 3.) inquit: » Observandum est, » Verbum esse immediate unitum carni sicut » animae, et independenter ab animae infor» matione; eo quod anima non sit medium » colligantiae, id est per quod ista extrema » verbum, et caro ligantur ad invicem, sicut » duo corpora junguntur ad invicem interve» niento glutino: sed est medium congruentiae, » id est ratione cujus congruum est aliqua duo » perduci ad unionem, sicut nobilitas, et pul» chritudo est medium congruentiae, ut aliqua » mulier jungatur regi in matrimonium, quem» admodum explicant Bonaventura, et Richar» dus etc. »

Quin et ipse s. Thomas cum sibi objecisset, ea, quae per medium conjunguntur, tum separari cum medium removetur; ideoque si Verbum corpori unitum esset per medium animae, futurum, ut separata anima a corpore, separari quoque oportuisset Verbum ab ipso corpore; respondet: « Dicendum, quod nihil » prohibet aliquid esse causam alicujus quan» tum ad aptitudinem, et congruitatem, quo » tamen remoto illud non tollitur ...., sicut si » inter aliquos amicitia causatur aliquo me» diante, eo recedente, adhuc amicitia rema» net ... et similiter separata anima remanet » unio Verbi ad carnem ».

Et qu. 50. art. 2. ad 2. » Dicendum quod » Verbum Dei dicitur unitum carni mediante » anima, in quantum caro per animam per» tinet ad humanam naturam, quam filius Dei » assumere intendebat; non autem ita quod ani» ma sit quasi medium ligans unita. Habet au» tem caro ab anima, quod pertineat ad hu» manam naturam, etiam postquam anima se» paratur ab ea; in quantum scilicet in carne » mortua remanet ex divina ordinatione qui» dam ordo ad resurrectionem. Et ideo non tol» litur unio divinitatis ad carnem ».

Frustra igitur Feller hanc suam *mediantis animae* mentionem in locum non suum injecit. Nil juvat eum haec alienae quaestionis in alienam sedem coacta immigratio. Cum enim ordo ille dignitatis, et congruentiae (vel etiam necessitatis, ut alii volunt, de quo nil attinet hoc loco disputare), quo anima media intelligitur inter Verbum, et corpus, nil minuat de immediata hypostatica unione Verbi cum carne; nil quoque detrahit de fundamento, quo nititur cultus adorationis, qui debetur humanitati Christi *non propter se*, sed prout hypostatice unita est Verbo divino, quemadmodum supra explicatum est.

Summa haec esto; quam, etsi una eademque sententia comprehensam, sub triplici tamen expositionis aspectu, ac veluti forma uberioris, planiorisve declarationis gratia proponendam ducimus. Prima forma: humana natura in Christo vi unionis hypostaticae subsistit, sive (ut loquitur s. Thomas 3, p. q. 2. art. 2. ad 2. et 3) *existit in persona Verbi*, quae facta est ei hypostasis, et subsistentia (Damasc.); ambae proinde naturae in Christo adorandae, divina in se, et propter se, humana non propter se, sed propter unitam carni divinitatem. Tametsi vero ambae naturae adorentur, una tamen est adoratio, quatenus ambae naturae ad unam Verbi personam reducuntur (Damasc.). Quo fit ut persona ipsa Verbi adoretur in ea natura, quae non adoratur, nisi prout in Verbo subsistit. Sitque adeo verum dicere, cum caro Christi adoratur, ut est caro Christi, id est Verbi incarnati; non duas adorationes introduci per hoc, quod Christus in duabus naturis adoretur; sed revera una adoratione *Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius Carne adorari*.

Altera forma: Duae sunt veritates ex communi patrum sensu de adoratione Christi omnino profitendae. 1. Cum duae sint in Christo naturae, divina, et humana, ambas in Christo esse adorandas; divinam propter se, humanam non propter se, sed propter divinam, cui conjuncta est per unionem hypostaticam cum Verbo. 2. Cum per hanc hypostaticam unionem humana natura subsistat, seu *existat*, in Verbo; etsi ambae naturae in Christo adorentur; non propterea duas adorationes introduci, sed unam tantum, quatenus unus eademque est persona Verbi, quae subsistens in duabus naturis adoratur in utraque adorata natura. Quo fit, ut per adorationem utriusque naturae in Christo, totus idem Christus Deus et homo in suis ambabus naturis adoretur. Atque adeo cum caro Christi adoratur, prout est caro Christi Verbo hypostatice unita, hoc ipsum intelligatur quod est a concilio generali V. definitum, una eademque adoratione Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorari. Utraque proinde veritas ad catholicae doctrinae integritatem de incarnationis mysterio pertinet, ut humanam naturam Verbo divino unitam in Christo, propter hanc ipsam unionem adorandam profiteamur; et simul Christum totum in [illegible] a sibi unita humanitate, una eademque [illegible] ne adoratum intelligamus. Cavendum [illegible] ne dum unam veritatem retinere vo[illegible] Christum totum, Deum et homi[illegible] m profitemur, alteram veritatem [illegible] Christi humanitatem una ea-

demque adoratione cum Christo toto, Deo et homine, adorandam profiteri debemus.

Tertia forma: Quisquis Christum adorat, verum Deum et hominem, vel comprehendit humanitatem in adoratione latriae, quam Christo exhibet Deo et homini, vel eam non comprehendit. Si non comprehendit, cum tamen aliquod genus adorationis debeatur humanitati Christi, necesse est, ut in adoratione, quae debetur Christo Deo et homini, duae separatim adorationes introducantur; una quae tribuatur Christo ut Deo, altera quae ipsi tribuatur ut homini. Atque hoc ipsum est, quod can. IX. concilii generalis V. reprobatur contra eos, qui ex eo quod Christus dicatur *in duabus naturis adorari*, *ex hoc duas adorationes introducunt*, *separatim Deo Verbo*, *et separatim homini*. Si ergo nulla separatio fieri potest in adoratione latriae, quae debetur Christo Deo et homini; necesse est ut humanitas comprehendatur in hac una adoratione latriae, quae Christo debetur Deo et homini. Quippe si humanitas in ea non comprehenderetur, haec ipsa latriae adoratio *separatim* tribueretur Christo Deo Verbo, et alia inferior adoratio *separatim* Christo homini tribuenda esset. Si ergo humanitas comprehenditur in adoratione latriae, quae debetur Christo Deo, et homini, verum est dicere, humanitatem in Christo adorandam esse. Quia vero vi unionis hypostaticae humanitas adoratur in unitate personae Christi Dei et hominis; simul verum est dicere, personam ipsam Christi Dei et hominis comprehendi in adoratione latriae, quae humanitati defertur, prout subsistit in unitate personae ipsiusmet Christi Dei et hominis.

SYNODI PISTORIENSIS

Propos. 63, damnata

DE CULTU SACRI CORDIS JESU

DE ORAT §. 10. ET APPEND. N. 32.

LXIII. Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae.

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a divinitate, adorabile fuit in sepulcro:

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

NOTA FELLERI.

Pag. XXXIV. Propos. LXIII. Ad rudiorum intelligentiam addi fors posset, nullo modo adorari Cor Jesu quasi circumscriptive, et praecisive a totalitate corporis, ut quidam nuper germanus insulse scripsit, neque formaliter a-deo et directe; id enim minime licet de quacunque corporis parte, quia nullam determinate, et formaliter partem Verbum assumpsit, sed ipsam corporis totalitatem, et idipsum quidem mediante anima. Porro Cor Jesu schema est seu symbolus, quo Christi erga nos charitas et infinita ipsius amabilitas exhibentur, ut nos vicissim in ejus amore incalescamus. Atque haec est tota substantia, ac mens illius devotionis, quae vocatur *de Corde Jesu*, a qua omnis adoratio Cordis Jesu materialiter, aut formaliter sumpti (etsi huic quoque sua reverentia debeatur uti omnibus ad Christum pertinentibus) omnino abest, et abesse debet: quemadmodum Summi Pontifices Clemens XIII., et Pius VI. declaraverunt, et hic quidem conceptissimis verbis in suo ad pistojensem Episcopum rescripto: *Sancta Sedes modum jam turbis, et quaestionibus imposuit, satisque declaravit, quo substantia illius devotionis, ab omni certo superstitiosa materialitate immunis, revera spectet: ut in SYMBOLICA CORDIS IMAGINE immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur, atque veneremur.*

ANIMADVERSIO.

§. 1.

Reprehensio Felleri ex eo ducta, quod Verbum nullam determinate et formaliter corporis partem assumpserit, diluitur.

Quae superiore animadversione dicta sunt de adoranda humanitate Christi, nullo negotio transferri valent in disceptationem, quae superest

de cultu sacri Cordis Jesu, de quo in propositione Synodi duo praesertim occurrunt, quibus sua fuit adhibenda correctio. Unum quod cultores Cordis Jesu generatim arguat, quasi non advertant, nec partem ullam humanitatis, nec totam ipsam humanitatem cum separatione aut praecisione a divinitate, adorari posse adoratione latriae: alterum quod per hanc reprehensionem insinuet, in omni adoratione Cordis Jesu hanc reprobatam fieri separationem, aut praecisionem a divinitate. Atque ad primam quidem partem quod attinet, arcusatio illa Synodi depulsa est in censura, velut in *fideles Cordis Christi cultores injuriosa*. In altera vero parte, qua propositio notata est velut *captiosa*, depulsa itidem est, latens sub ea reprehensione insinuatio, qua fideles in hanc fraudem induci possent, ut existimarent Cor Jesu adorari cum separatione, aut praecisione a divinitate, tum etiam cum adoratur, ut est Cor Jesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est. Quod, quam alienum sit a communi Ecclesiae sensu, declaratum est insuper exemplo tridui mortis, quo Christi Corpus ab anima et sanguine separatum, semper tamen a Verbo indivisum, adorabile fuit in sepulcro. Qua in moderatione censurae nil sane se offert implexum, involutum, nihil quod uberioris explicationis lucem requireret. Nisi forte de corde Christi durius fuit dicere, *cor personae Verbi*, quam quod de carne Christi passim dictum est a patribus *Carnem Dei, Corpus Verbi*, *Carnem Deitatis?* Aut etiam quod in sacris publicis precibus, tot saeculis Ecclesia una voce per orbem celebrat » Et *Dei* manus, » pedesque stricta cingit fascia »?

Attamen audiendus Feller: » Ad rudiorum » inquit, intelligentiam addi fors posset, nullo modo adorari Cor Jesu quasi circumscriptive, et praecisive a totalitate corporis, » ut quidam nuper germanus insulse scripsit, » neque formaliter adeo et directe; id enim » minime licet de quacunque corporis parte, » quia nullam determinate, et formaliter partem Verbum assumpsit, sed ipsam corporis » totalitatem, et idipsum quidem mediante » anima ».

Nisi Feller notam notae adjunxerit, vereor ut ad clariorem rudiorum intelligentiam multum profuerit insuetis illum verbis insusurrantem audire, minime licere adorare *circumscriptive, et formaliter* partem ullam corporis Christi; eo quod Verbum nullam *determinate et formaliter* corporis partem, sed *totalitatem* assumpserit, idque *mediante anima*. Quin vereor ne quid ad clariorem dictorum suorum intelligentiam Fellero ipsi defuisse videatur. Certe quod hoc loco repetit de assumpto corpore *mediante anima*, abunde supra declaratum est, quam parum effati hujusce vim et sententiam ille assecutus sit; quam parum inde ad suam causam adjumenti consequi potuerit.

Quod porro attinet ad assumptas partes corporis *mediante toto*, hoc ipsum eodem sensu effertur a theologis, atque illud superius de assumpto corpore *mediante anima*: nempe cum verbum perfectam humanam naturam vellet assumere, sicut corpus assumpsit in ordine ad animam, prout videlicet humanum est, ad integritatem pertinens humanae naturae; ita et cum vellet corpus totum assumere, partes assumsit (in ordine intentionis, ut theologi explicant) *mediante toto* (1), scilicet propter ordinem, quem habent ad totum constituendum. Nec id tamen obstat, quominus hypostatica fuerit unio Verbi cum singulis partibus, quae cum *maxima sit unionum* (s. Th. 3. p. qu. 2. art. 9.), nulla sane major, magisve determinata intelligi potest.

Atque id quidem patet in triduo mortis, quo partes humanae naturae separatae sunt: nec tamen haec obstitit separatio, quin Verbum hypostatice, atque adeo determinate cum utraque parte separata, corpore videlicet et anima unitum manserit prout inferius ex communi, planeque certa patrum sententia, immo et Ecclesiae totius mente, ac sensu demonstraturi sumus. Jam vero cum per mortem nulla sit facta nova hypostatica unio, profecto si post mortem divinitas, vi unionis hypostaticae cum Verbo, determinate unita fuit cum corpore, singulisque corporis partibus; necesse est fateri illam eandem determinatam unionem cum corpore, suisque partibus, ante separationem ab anima praeextitisse.

Ex hac hypostatica immediata unione Verbi cum singulis corporis partibus, haec necessario profluit profitenda catholica veritas, quam Sylvius his verbis enuntiat: *Carnem, et animam Christi, et membra corporis ejus adoranda esse adoratione latriae*. Quam veritatem totius Ecclesiae sensu ita firmatam vel ipse Blasius intellexit, ut expressam ejus professionem edere non dubitaverit hoc inscripto titulo ad *cap.* 12. sui notissimi opusculi. » Cor Jesu proprie et per se sumptum ob hypostaticam unionem capax est adorationis latriae ».

Verum luculentius multo ejusdem veritatis firmiusque testimonium ex longe graviori auctoritate ducitur, nempe ex solemni officio, quinque plagarum Redemptoris, ubi (orat. post com.) sic orat sacerdos: *Ut qui vulnera Domini nostri Jesu Christi hodie colimus*. Quid porro est vulnus lateris (ut in eo haereamus, quod propius cor attingit) quid, inquam, vulnus est lateris, nisi latus ipsum vulneratum? En proinde cultus adorationis determinate directus ad unam partem corporis, in ipsa *totalitate* cum ceteris partibus coexistentem (2).

(1) V. S. Th. 3. P. q. 6. art. 5.

(2) Nihil officit discrimen, quod alicui placuit intercedere inter vulnera et cor Christi, ex eo ductum, quod *vulnera nihil sunt aliud, quam ipsummet corpus*

Nisi ergo dicere volumus in hoc frequentando, celebrandoque officio ecclesiam a pii cultus ratione aberrare; fatendum omnino, nil officere partium cohaerentiam in toto, quominus ad unam determinate partem cultus pie riteque dirigi valeat, ut mox explicaturi sumus.

Itaque haec sedulo notanda: primum, cum singularis pars, in quam adoratio dirigitur, non adoretur, nisi propter unionem hypostaticam cum persona Verbi; profecto intelligitur in adoratione, quae illi parti exhibetur, adorari personam ipsam Verbi, atque adeo Christum totum, cujus alia non est quam Verbi persona. Quo fit, ut cum Christus totus in sui corporis parte adoretur, nullo pacto ab ejus partis adoratione, remota et exclusa intelligi debeat humanitatis totius adoratio. Et revera, nemo unquam reperietur plus cultor Cordis Jesu, qui dum Cor Jesu adorat, ut est Cor Jesu, in eo adorationis cultu non intendat personam ipsam Christi, atque adeo divinitatem ejus, totamque sacrosanctam humanitatem comprehendere.

§. II.

De mystica significatione, quae in speciali cultu Cordis Jesu, aliisque similibus institutionibus recolenda proponitur.

Deinde ad eorum eximendum scrupulum, qui vereri videntur, ne inducto semel determinato quopiam cultu erga singularem quampiam determinatam partem corporis Christi, pari jure tot cultus inducendi sint pro uniuscujusque arbitratu, quot vel minimae partes in corpore Christi distingui possunt, quae licentia facile posset ignarum praesertim vulgus in superstitiosae pravitatis vitium pertrahere; sedulo et hoc animadvertendum, nunquam hanc datam esse privatis licentiam, privatum fictumque pro suo cujusque arbitrio cultum sibi adsciscendi; verum totam religiosi cultus rationem ex Ecclesiae sanctissimis praeceptionibus, et institutis pendere; quae cum Spiritu Dei regatur, nihil sinit in suas institutiones obrepere, quod sit a pietatis spiritu sejunctum. Hinc fit, ut in specialibus festis illis, quae ad specialem quandam Christi corporis partem referuntur, mysticam quandam significationem spectet potissimum, quae specialem afferat in speciali eo cultu defixam recordationem mysterii cujuspiam, insignisve cujusdam redemptionis beneficii.

Mystica ejusmodi significatio in quinque plagarum cultu ex Chrysostomo deprompta (3. lect. 3. noct.) pie recolenda proponitur. » De latere sanguis, et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica, atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum, et mysteriorum aquam illam, et sanguinem demonstrare .... Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam.... ». Unde apparet quemadmodum hoc singulari cultu erga sacrum latus apertum Christi excitari valeant fideles ad magni hujus mysterii plenam pietatis recolendam memoriam, quo Ecclesia aedificata prodit *e latere Christi, velut secundi Adae dormientis.*

Ad eundem modum, quod attinet ad cultum sacri Cordis Jesu, libentes agnoscimus recte dictum a Feilero: » Porro Cor Jesu schema est, seu symbolus, quo Christi erga nos charitas, et infinita ipsius amabilitas exhibentur, ut nos vicissim in ejus amore incalescamus ». Recte, inquam, et eo quidem rectius quod Christus ipse piarum affectionum, quas nos ab ipso mutuari vult, sedem in ipso corde suo demonstrarit: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* Quo patet, nil quoque rectius in ea institutione ab Ecclesia fieri potuisse, quam ut in hac potissimum sede flagrantissimam Christi erga nos charitatem recolendam proponeret.

Ad extremum, notam suam Feiler his verbis concludit: » Atque haec est, inquit, tota substantia, et mens illius devotionis, quae vocatur *de Corde Jesu*, a qua omnis adoratio Cordis Jesu materialiter, aut formaliter sumpti (etsi huic quoque sua reverentia debeatur, uti omnibus ad Christum pertinentibus) omnino abest, et abesse debet: quemadmodum summi Pontifices Clemens XIII., et Pius VI. declaraverunt, et hic quidem conceptissimis verbis in suo ad pistojensem Episcopum rescripto: *Sancta Sedes modum jam turbis, et quaestionibus imposuit, satisque declaravit, quo substantia illius devotionis, ab omni certe superstitiosa materialitate immunis, revera spectet; ut in symbolica cordis imagine immensam charitatem, effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur, atque veneremur* ».

Hoc loco, primum quidem ultro concedendum Feilero, speciali probando cultu erga Cor Jesu, in id Pontifices potissimum intendisse, ut in symbolica cordis imagine immensam Christi charitatem fideles meditarentur, atque venerarentur. Quod quidem quam pie ab illis, quam sancte statutum sit, facile intellectu est

Christi in iis locis ex disjunctione carnis apertum. Nam primo semper verum est, in adoratione vulneris partem ipsam vulneratam speciatim spectari et coli. Quemadmodum ergo sine separatione a toto spectatur et colitur latus ipsum apertum, quid vetat quin eodem modo spectetur cor in aperto latere contentum? Deinde si ex regula fidei verum est dicere, totum Christum (etsi non secundum totum) vere et proprie sepultum esse, prout §. ult. declaratur; verum quoque est dicere, personam Christi vere adorabilem esse in quacunque parte hypostatice sibi unita, licet ab aliis separata, velut in corpore, quod in sepulcro separatum quidem fuit ab anima et sanguine, sed tamen Verbo semper unitum.

ex his, quae paullo ante dicta sunt de mystica significatione, quam ad specialem mysterii cujuspiam, aut beneficii redemptionis memoriam recolendam in ejus generis institutionibus Pontifices maxime propositam habuerunt. Et sane cum sacrum Cor Jesu duplici ratione spectari possit, vel ut corporea pars carnis ejus, vel ut symbolum ejus in nos immensae charitatis; profecto minus erat causae, cur sub priore aspectu specialis cultus ratio pro ea parte distingueretur, quae in toto comprehenditur. At contra valde ad pietatem conducebat', ut in ea parte, quam Christus, ut dictum est, velut piarum suarum affectionum sedem demonstravit, tanquam in aptissimo symbolo immensa ea charitas recoleretur, qua ille dilexit nos, et seipsum tradidit pro nobis. Non ergo in eo fallantur adversarii, quod hanc dicant substantiam esse hujusce devotionis, prout est a Pontificibus pie, sancteque probata; sed in eo, quod hoc ipsum pugnare velint cum adoratione, quae ob hypostaticam unionem, ut corpori toto, sic, et singulis corporis Christi partibus debetur: qua fit ut in Corde Jesu adorando, ut est Cor Jesu, idest personae Verbi, Verbum ipsum cum ea parte corporis assumpti adoretur; et id quidem una eademque adoratione, ut in formula censurae declaratum est.

Istud etiam verum, certissimumque est, nihil antiquius, nihil optatius fuisse summis Pontificibus, quam ut, quemadmodum a coteris omnibus, ita et ab speciali hac devotione erga sacrum Cor Jesu, illam sedulo propellerent *materialis*, *et carnalis* devotionis invidiam, quam tot maledici clamatores in eam conferre non desistunt, quasi per illam merum et simplex musculosum carnis frustum fidelibus adorandum proponeret: qua inferenda calumnia, dum pios Cordis Jesu cultores *cordicolas* per contemptum appellant, non satis advertunt, quam ipsi sibi imprudentes inurant ignominiae notam, vetere illa renovanda contumelia, quam in catholicos humanitatis Christi adoratores, Apollinaristae velut ἀνθρωπολάτρας (hominicolas) per summam impudentiam conjicere non verebantur.

§. III.

Fellerus refellitur argumento ducto ex reverentia, quam fatetur materiali quoque Cordi Christi deberi.

Nec vero silentio praetereunda *parenthesis*, quam Feller in hanc extremam notae suae particulam inclusit, e qua nemo theologus non facile valeat firmum adorationis latriae, quae Cordi Jesu, ut est Cor Jesu, debetur, argumentum ducere. Quippe facta ibi expressa mentione Cordis Jesu *materialiter*, *aut formaliter* sumpti, quatenus nempe cor est carne compactum, ei tamen *materiali* cordi concedit, immo affirmat, *suam quoque reverentiam deberi*. Jam vero cum fide constet, cor istud *materiale* hypostatice Verbo unitum esse; quaero ex Fellero quam ille reverentiam ei cordi, *ut suam*, deberi velit? Latriae ne adorationem, an genus aliud inferius adoratione latriae? Quis porro catholicus ferre possit, si quis dicat, cordi Christi prout divinitati unito (de quo uno sermo habetur in formula censurae) non aliam reverentiam deberi, quam quae sit inferior adoratione latriae? Restat igitur ut quisquis fateatur materiale Cor Jesu, prout est Cor Jesu, hypostatice esse Verbo unitum; ei quoque fatendum sit, si qua reverentia ei cordi sic unito debetur, hanc reverentiam non aliam esse, quam qua Verbum cum propria sua carne adoratur, quae certo inferior esse nequit adoratione latriae.

Frustra porro quis objiceret, agnitam tamen esse a sancto Thoma (3. p. q. 25. art. 2.) adorationem quandam hyperduliae, quae humanitati Christi tribui valeat. Quippe sanctus Doctor aperte loquitur *in hypothesi*, qua humanitas Christi aut separata esset reapse ab hypostasi Verbi, aut per mentem separata conciperetur. Ita ille dilucide mentem suam explicat *respons. ad* 1., ubi ad glossae textum quemdam in object. positum respondet: » Quod glossa illa non est » sic intelligenda, quasi seorsum adoretur (ado» rat. hyperd.) caro Christi ab ejus divinita» te; hoc enim posset contingere solum hoc » modo, si esset alia hypostasis Dei, et ho» minis ». Quem statum rite notat Sylvius, nec esse, nec unquam futurum. Posita porro, etiam ficta per mentem, hypothesi disjunctionis humanitatis a divinitate, pergit sanctus Doctor: » Tunc » sic intellectae, ut separatae a Dei Verbo, de» beretur sibi adoratio duliae, non cujuscunque, » puta quae communiter exhibetur aliis creatu» ris, sed cujusdam excellentioris, quam hyper» duliam vocant ». Missa proinde omni alia supervacanea quaestione de hoc hyperduliae cultu, illud quod unum ad rem pertinet, ex hoc ipso loco patet apertissime: hanc sancti Doctoris, ut et omnium theologorum constantem semper fuisse mentem, ac sententiam, genus hoc reverentiae, quod hyperduliae cultu continetur, estque adoratione latriae inferius, nullum erga humanitatem Christi locum habere, nisi quatenus humanitas, aut a Verbo reapse divisa concipiatur, aut, ut pauci opinati sunt, abstractione facta per mentem ab unione cum Verbo, in se se duntaxat, ut humanitas est, spectetur.

Eligat proinde Feller de duobus utrum statuere malit de reverentia, quam materiali quoque cordi Christi, ut *suam*, deberi fatetur: aut placet ei loqui de reverentia, quae illi cordi debetur, prout est divinitati unitum, tumque omnium catholicorum consensu referenda haec est ad cultum latriae: aut subsistere mavult in aliquo inferiori gradu reverentiae, tumque cum haec locum habere nequeat,

nisi per separationem, aut qualemcunque abstractionem ab unione cum Verbo, hoc ipso inconsideratissimo vagari convincitur extra formulam censurae; quae tota vertitur in adoratione, quae Cordi Jesu debetur, prout est Cor Jesu, cor proinde personae, quae non alia est quam persona Verbi, cui sacrum illud cor indivisa prorsus, atque inseparabili est unione conjunctum. Eo proinde Fellerus adigitur, ut ei fateri necesse sit, rite positum esse in formula censurae, adorationem quae cordi Christi, prout est Verbo hypostatice unitum, debetur, ad latriae cultum referendam esse; nisi velit aut verba ipsa formulae foede pervertere, aut a catholico sensu aperte desciscere.

§. IV.

De indivisa hypostatica unione Verbi cum corpore, ab anima separato in triduo mortis.

Vix intelligi potest, quid in hanc mentem Fellerum impulerit, ut ex apostolica constitutione veritus non sit particulam demere, quae, explanationis loco posita in superiore formula censurae, sensum refert pietati non minus quam sanae doctrinae plane consentaneum his verbis: *Ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro.* An forte non satis illi certum, exploratumque fuit, unionem Verbi cum corpore in triduo mortis ita firmam constitisse, ut vi hujusce unionis corpus Christi sine separatione aut praecisione a divinitate una eademque adoratione, prout supra explicatum est, adorabile fuerit in sepulcro?

At primum de permanente hypostatica unione Verbi cum corpore in triduo mortis, omnem ei scrupulum gravissima eximere debuerat auctoritas, ex catechismo romano petita in explanatione Symboli, qua de singulis articulis sana verborum forma, ex constanti Ecclesiae sensu deprompta, non minus accurato, quam nitide exposita traditur. Jam vero in expositione *art. 4. n. 7.* haec de Christo mortuo, et sepulto *constanter credenda, et confitenda* doctrina proponitur: » Quare cum Jesum mortuum » esse dicimus, id significamus, ejus animam » a corpore divisam esse: neque tamen concedimus divinitatem sejunctam a corpore; quin » potius constanter credimus, et profitemur, » animam ejus a corpore divisa, divinitatem » tum corpori in sepulcro, tum animae apud » inferos conjunctam semper fuisse ». Et n. 10. » Neque vero hoc solum credimus, Christi corpus sepultum esse, sed illud praecipue his » verbis credendum proponitur, Deum sepultum esse; quemadmodum ex fidei catholicae » regula verissime etiam dicimus, Deum mortuum, et ex Virgine natum esse: nam cum » divinitas nunquam divisa fuerit a corporo, » quod in sepulcro conditum est, recte confitemur Deum sepultum esse ».

Eandem doctrinam ex eadem fidei regula haustam luculenter exponit sanctus Th. (3, p. q. 50, art. 2:) » Ea quae sunt humanae naturae, non » dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis: » sed de Filio Dei dicitur id quod convenit » corpori Christi post mortem, scilicet esse » sepultum, ut patet in Symbolo fidei, ubi dicitur, quod Filius Dei *conceptus est*, et natus ex Virgine, passus, mortuus, *et sepultus*. » Ergo corpus Christi non fuit in morte a divinitate separatum ».

Haud mirum proinde, doctrinam ex ipsamet regula fidei ductam communi patrum traditione in Ecclesia perpetuo retentam esse, ac in fidelium animis penitus defixam insedisse.

1. Tertullianus certe (L. de carne Christi c. 5.) Marcionem impugnans: » Quid enim, » inquit, indignius Deo? Quid magis erubescendum? Nasci, an mori? . . . Circumcidi, » an suffigi? Educari, an sepeliri? In praesepe deponi, an in monumento recondi?

Qui dicit, non magis Deo indignum fuisse in monumento recondi, quam in praesepe deponi; profecto statuit, sic verum esse dicere, fuisse Deum in monumento reconditum, quemadmodum verum est dicere, Deum fuisse in praesepe depositum; sed ideo vero dicitur, Deum fuisse in praesepe depositum, quia non solum corpus, sed corpus Verbo unitum depositum fuit in praesepe; ergo, ut et eodem etiam modo verum sit dicere, Deum fuisse in monumento reconditum, necesse est fateri, non corpus tantum, sed corpus Verbo unitum in monumento fuisse reconditum. Quin et paulio post idem Tertullianus subjicit, minime pudendum esse fateri Dei Filium crucifixum, mortuum, et sepultum; quid porro pudendum in eo fuisset, sepultum fateri corpus a divinitate sejunctum?

2. Sanctus Athanasius (l. 1, contra Apollinarium n. 18,) modum exponens, quo Christus emisit spiritum: *Haut*, inquit, *expirationem nemo dixerit Deitatis transmigrationem, sed animae discessum.* Quid significant haec verba, *nemo dixerit*, nisi constantem planeque universalem Ecclesiae sensum?

Et l. 2, n. 14. » *Cum Deitas neque corpus* » *in sepulcro desereret, neque ab anima inferis* » *separaretur* ».

3. Sanctus Cyrillus Hierosolym. (Catech. 13, de Christo crucifixo, et sepulto n. 35,) super haec verba Jeremiae (Lament. c. 3, v. 53,) *Morti dederunt in lacu vitam meam, et posuerunt lapidem super me*, Christum inducit sic loquentem: » Ego lapis angularis, electus, » pretiosus intra lapidem condor ad modicum » tempus, lapis offensionis Judaeis, et salutaris credentibus ». Et pergit: » Insitum est » igitur lignum vitae in terra, ut haec, quae » maledicta fuerat, benedictionem consequere-

» tur, et ut liberarentur mortui ». Corpus Christi conditum in monumento a Cyrillo dicitur *lignum vitae insitum in terra*. Quomodo porro *lignum vitae*, nisi prout Verbo unitum? Quin et corpori huic, *intra lapidem condito*, ea tribuuntur quae nonnisi Christi personae conveniunt, ut sit lapis angularis, electus, pretiosus. Personam igitur Christi cum corpore conditam in sepulcro agnovit Cyrillus.

4. Sanctus Gregorius Nyssenus l. 1. *contra Eunomium tom.* 2, *p.* 55, (ut tradit le Quien, nota in Damasceni locum, paullo post indicandum): » Verbum a corpore, quod susceperat, sejunctum in morte non fuisse confirmat hoc effato, quod hodieque perseverat: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit* ». Verba recitat le Quien sancti Doctoris: *A neutro separata Deitas est, quicum semel contemperata fuit.* Dein subjungit, a Gregorio, velut etiam a Damasceno explicatum esse » qui factum sit, » ut, sejunctis per mortem corpore, et anima, » una duntaxat hypostasis extiterit, scilicet » *propter insertam utrique Verbi deitatem. Per » corpus enim quod erat in corde terrae, superatum fuisse illum, cujus erat mortis imperium* ». In corpore itaque, quod erat in corde terrae, insertam uterque Pater hypostasim agnoscit, qua ille superatus est, cujus erat mortis imperium.

5. Sanctus Cyrillus Alexand (lib. *De recta in Jesum fide* ad Theodosium ap. Labb. tom. 3, edit. Ven. inter acta, ad 1. partem concilii ephesini pertinentia n. 21,) super illud, *Quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. » Nec enim, inquit, fas » est dicere, carnem Verbo unitam aliquando » potuisse corrumpi, aut divinam illam ani» mam intra inferi portas detineri ». Christi carnis incorruptionem in sepulcro manifeste hic repetit Cyrillus ex ejus unione cum Verbo.

Quin ejusdem unionis constantem perpetuitatem clare jam satis indicaverat sanctus Pater n. 20: » Quemadmodum ergo caro, posteaquam » Verbi omnia vivificantis caro effecta est, mor» tis et corruptionis imperio superior evasit ». Ex eo nempe caro imperio mortis superior evasit, quod semel caro effecta sit Verbi omnia vivificantis; quae non semel tantum vivificanti Verbo unita esset, si posteaquam semel unita, inde in morte separata, iterum in resurrectione unita fuisset.

6. Sanctus Ambrosius *de Isaac et anima* n. 31, loquens de expectata praesentia Christi, Filii Dei: » Saliens quomodo venit? Saltu quodam venit » in hunc mundum. Apud Patrem erat, in Vir» ginem venit, et ex Virgine in praesepe tran» silivit. In praesepi erat, et fulgebat in cae» lo; descendit in Jordanem, ascendit in cru» cem; descendit in tumulum, surrexit e tu» mulo, et sedet ad Patris dexteram ». Ambrosius ad eundem modum loquitur de Filii Dei descensu in tumulum, atque de illius descensu e sinu Patris in Virginem, in praesepe, in Jordanem. Jam vero par non fuisset ratio descensus Christi Filii Dei in tumulum, nisi quemadmodum Filius ipse Dei cum corpore fuit in praesepe, ita et idem Dei Filius fuisset cum corpore in tumulo. Eadem eisdem pene verbis repetit Ambrosius *in Psalm.* 118, *serm.*6, *n.* 6.

Idem (De benedictionibus patriarcharum n. 20:) » Habes ergo incarnationem, accipe pas» sionem: *Recumbens*, inquit, *dormisti ut » leo...*, sicut ipse ait: *Ego dormivi, et requievi, » et surrexi, quoniam Deus suscepit me*. Un» de et Jacob ait: *Quis suscitabit eum*; hoc est, » quem Dominus suscipiet. Quis est alius qui » resuscitet, nisi ipse se sua Patrisque resu» scitet potestate? Video natum auctoritate pro» pria, video mortuum propria voluntate, vi» deo dormientem potestate propria ». Ad passionem refert Ambrosius dormitionem Christi. Idemque ab eo designatur dormiens in sepulcro, qui passus in cruce. Sed certe in cruce passus est Dei Filius in corpore sibi unito; ergo et in corpore sibi unito requievit in sepulcro. Quid porro, quod Ambrosius *dormientem* illum declarat *potestate propria?* An corporis a divinitate sejuncti propria potestas esse potuit, qua se sua patrisque potestate resuscitaret?

Idem (in psal. 36, n. 36, super illud Joban. c. 31), *Quod erat ab initio.... quod perspeximus, et manus nostrae scrutatae sunt de Verbo vitae, et vita apparuit:* » Caro ergo est, quae » in Christo apparuit, vel Christus in carne: » ipse in omnibus nostra vita est. Ipsius divi» nitas, vita est.... ipsius mors vita est: ipsius vul» nus vita est.... ipsius sangnis vita est: ipsius » sepultura vita est: ipsius resurrectio vita » est... divisio facta est in ipso, vita est: se» pultura facta est in ipso, vita est ». Sicut ergo caro Christi vita est, quatenus conjuncta est ei divinitas, eademque ratione passio vita est, et mors, et resurrectio; ita nec sepultura vita dici potuit, nisi prout et carni sepultae divinitas coniuncta erat. *Divisio* etiam quae *facta* est animae, et corporis, et subsecuta sepultura, ideo vita, quia in divisione divinitas, quao vita est, nec ab anima divisa est, nec a carne sepulta.

Nisi ergo volumus Ambrosium turpiter a se discrepantem inducere, quam ille dixit (Exposit. evang. sec. Luc. l. 10, n. 137,) factam in morte Christi *secessionem divinitatis, et corporis* prorsus intelligere cogimur *derelictionem*, qua factum est, ut spiritus emissione Christus mortem obierit; quae communis est hujus loci doctorum intelligentia, cui et suam in eundem locum adscribunt Maurini editores: » Itane, in» quiunt, opinatus est Ambrosius, divinitatem » contra manifestum Pauli testimonium secessis» se a Christi corpore, vel anima semel adsum» ptis? Respondet Petrus Lombardus, et sanctus » Th., recessisse divinitatem quo ad effectum,

» idest protectionem suam subtraxisse: etenim » *si non cohibuisset potentiam*, inquit ille, *sed* » *exercuisset, non moreretur Christus* ».

7. Sanctus Augustinus (epist. 187, ad Dardanum n.5.): » Neque enim ipso die in coelo futu» rus erat homo Christus Jesus: sed in inferno » secundum animam, in sepulcro autem secun» dum carnem ». Eodem modo tradit Augustinus, Christum in sepulcro secundum carnem fuisse, quo secundum animam in inferno. Aut ergo ab utraque parte sejuncta divinitas fuisse censenda erit, aut cum utraque pariter conjuncta. Quod si divinitas ab utraque parte recessisset, dirempta prorsus fuisset hypostatica unio Verbi cum humanitate tota; qua perempta unione, filius quidem Dei mansisset, Christus esse desiisset.

Item (n. 7,): » Homo quippe Christus illo die » secundum carnem in sepulcro, secundum ani» mam in inferno futurus erat: Deus vero idem » ipse Christus ubique semper ». Quomodo vero Christus secundum animam Deus in inferno, et ipse idem Deus secundum carnem in sepulcro, nisi quatenus unita mansit divinitas et cum anima in inferno, et cum corpore in sepulcro?

Lucuientius multo etiam idem Augustinus (Serm. 213, *in traditione symboli* n. 3,): » Cum » enim dictum esset in Symbolo: *Qui conceptus* » *est de Spiritu Sancto, natus ex Virgine Maria* » jam quid pro nobis? *passus est*, sequitur, *sub* » *Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus*. » Qui Filius Dei unicus, dominus noster crucifi» xus; Filius Dei unicus, dominus noster sepultus » est. Homo crucifixus est, homo sepultus: Deus » non est mutatus, Deus non est occisus, et tamen » secundum hominem occisus.... sola carne in » sepulcro jacebat, et tamen confiteris *Jesum* » *Cristum Filium ejus unicum.... Et sepultus*,qui » Jesus Christus unicus Dei Filius, dominus no» ster.Sola caro jacet,et tu dicis, Dominus noster: » plane dico, quia vestem intueor, et vestitum » adoro ». In carne sic jacente intuebatur Augustinus Filium Dei vestitum, eumque adorabat. Quomodo porro Filius Dei carne vestitus adorandus in sepulcro fuit, nisi quia in morte vestem illam non deseruerat, quam in Virgine assumpserat? Hinc et *num*. 4. » Non conte» mnamus solam carnem: quando jacuit, tunc » nos emit ». Caro etiam cum sola jaceret, id est sine anima, tum adhuc tamen nos emit: quomodo emit, nisi quatenus in ea carne Filius Dei erat, ea ipsa carne sua vestitus?

Et (Serm. 214, n. 7): » Dum enim sit totus » Filius Dei unicus Dominus noster Jesus Chri» stus Verbum, et homo, atque ut expressius » dicam, Verbum anima, et caro: ad totum re» fertur quod in sola anima tristis fuit usque » ad mortem, quia Filius Dei unicus Jesus » Christus tristis fuit: ad totum refertur quod » in solo homine crucifixus est, quoniam Filius » Dei unicus Jesus Christus crucifixus est: ad » totum refertur, quod in sola carne sepultus » est ». Porro quod Christus in sola carne sepultus est, non posset hoc ipsum ad totum referri, nisi Verbum carni unitum mansisset; ut proinde verum esset dicere, Christum totum sepultum esse, etsi non secundum totum, quemadmodum fidissimus Augustini interpres sanctus Th. explicat (3, p. q. 52, art. 3,): » in morte » autem Christi licet anima fuerit separata a » corpore; neutrum tamen fuit separatum a di» vinitate. Et ideo in illo triduo mortis Christi » dicendum est, quod totus Christus fuit in se» pulcro,quia tota persona fuit ibi per corpus sibi » unitum;et similiter totus fuit in inferno, quia » tota persona Christi ibi fuit ratione animae » sibi unitae; totus etiam Christus tunc erat » ubique ratione divinae naturae ». Et ad 1. » Et ideo per hoc quod corpus Christi non fuit » in inferno, non excluditur, quin totus Chri» stus fuerit; sed ostenditur, quod non fuit ibi » totum, quod pertinet ad humanam naturam ».

Idem Augustinus (De civit. Dei l. 22, c. 17,: » Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, » cujus exanimis in cruce pendentis latus lan» cea perforatum est, atque inde sanguis, et » aqua profluxit: quae sacramenta esse novi» mus, quibus aedificatur Ecclesia ». In mystico sopore Adami agnoscit Augustinus figuram mortis Christi, et quidem in eo statu, quo ex ejus latere lancea perforato profluxere sanguis, et aqua: *Sacramenta* videlicet *quibus aedificatur Ecclesia*. An vero ea vis fuisset mortui corporis a divinitate sejuncti, ut cum sanguine, et aqua ex ejus perforato latere manante *sacramenta* profluxisse dicerentur, quibus est Ecclesia aedificata? Profecto si mysticus Adami sopor figura fuit, ut Augustinus docet, soporis Christi, eo statu, quo exanime corpus ejus perforatum est lancea, plus quiddam in eo corpore cernebat Augustinus quam merum corpus mortuum, in quo prout a divinitate disjuncto nihil inesset quod mystico sopori Adami responderet; nempe, ut figurae in Adami sopore praemissae, in sopore Christi mortui veritas adimpleta intelligeretur.

8. Vigilius Tapsensis (L. contra Felicianum Arianum in append. tom. 8, sancti Augustini c. 14, pag.43,): » Sic in sepulcro carnem suam com» moriendo non deseruit, sicut in utero Virgi» nis connascendo formavit ».

9. Sanctus Fulgentius (l. 3. ad Trasimundum c. 16.)» Licet in Christi morte carnem morientem » fuisset anima desertura: divinitas tamen » Christi nec ab anima, nec a carne posset se» parari suscepta ».

10. Magistri sui sententiam hanc eandem Ferrandus diaconus (epist. ad Serveum n. 8. ad an. 532.) praeclare confirmat his verbis: » Totus Christus apud inferos fuit secundum » animam rationalem, sed non totum, quia ca» ro ibi non fuit, cum qua est totum. Totus » Christus in sepulcro fuit secundum carnem

» sed non totum, quia anima ibi non fuit, cum » qua est totum. Verbum tamen Dei et cum » anima sua apud inferos, et cum carne sua » in sepulcro fuit ».

11. Sedulius, a Gelasio dictus vir venerabilis (Carmine paschali l. 5. ex accuratissima editione cl. Faustini Arevali, de Christi sepultura v. 295.).

» Ergo ubi depositi thesaurum corporis » amplum
» Nobilis accepit Domino locus ille ja- » cente ».

Et v. 309.

» Ponite custodes monumento, advolvite » saxum,
» Quis poterit servare Deum, ?

Deum agnoscebat Sedulius reconditum in monumento, quod amplum depositi corporis thesaurum acceperat: ergo et unitum ei corpori Verbum.

Et quidem Verbum in Christi morte nentiquam seccessisse a corporo praeclare Sedulius paullo ante significaverat v. 261.

» Ergo ubi cuncta boni completa est pas- » sio Christi,
» Ipse animam proprio dimisit corpore » sanctam,
» Ipse iterum sumpturus eam, quia mor- » tuus idem,
» idem vivus erat, membris obeuntibus » in se,
» Non obeunte Deo ».

Membra obeuntia in se, factam in morte animae discessionem a corpore plano significant, non tamen a separatis partibus *obeunte Deo*.

12. Sanctus Leo M. (serm. 67. de Passione c. 7.): » Nam cum in Christo Dei et hominis una » persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, a » quo non poterat separari ». Et serm. 68, c. 1. » Cum in tantam unitatem Dei et hominis » natura convenerit, ut nec supplicio potuerit » dirimi, nec morte sejungi ». Haec scilicet romanae sedis praedicatio, Petri perpetuo in ea sedentis ore, per quem disposuit Deus audiro gentes verbum evangelii, et credere.

13. S. Ildephonsus (ex praeclara collectione sanctorum patrum toletanorum opera eminentissimi do Lorenzana, lib. De cognitione baptismi c. 9,): » Non enim fas est dicere Patrem, et Spi- » ritum de Virgine genitos, vel cruci suspensos » vel sepultura conclusos, quae in sola per- » sona Christi omnia congruenti et evidenti » sunt dispensatione completa ». Personam Christi sepultura conclusam fuisse agnovit Ildephonsus; quo nil significantius ad permanentem Verbi cum sepulto corpore unionem declarandam.

14. Sanctus Johannes damascenus *De fide orthod l. 3, c.* 27: » Quamvis igitur Christus ut homo » mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab » immaculato corpore distracta sit; divinitas ta- » men a neutro, h. e. nec ab anima, nec a » corpore, quoquo modo sejuncta est: neque » propterea una persona in duas divisa fuit. » Siquidem et corpus, et anima simul ab ini- » tio in Verbi persona existentiam habuerunt; » ac licet in morte divisa sint, utrumque ta- » men unam Verbi personam, qua subsisteret, » habuit ». Haec Damascenus de fide orthodoxa.

Nihil in hisce plerisque auctoritatibus occurrit obscurum, et involutum, quod ancipiti interpretationi locum relinquat. Palam, ac nitide patres et doctores gravissimi profitentur, ita firmam constitisse conjunctionem Verbi cum humana natura, cum corpore videlicet, et anima, ut neque per mortem dirempta sit. Atque ita loquuntur non tam ut suam, quam communem voluisse videantur Ecclesiae sententiam exponere. Frustra proinde quisquam paucas contra, et quidem ambiguas dictiones objiciat, paucis ex patribus depromptas, quae commoda explicatione a theologis ad communem aliorum sensum sic revocantur, ut sola quaedam in verbis ambigua discrepantia, nulla in re dissensio appareat. De Ambrosio dictum est supra. Hilarium vindicant ipsi Maurini. Major forte difficultas in hac Epiphanii sententia *haeresi* 69. » Deitatem cum anima in procinctu » fuisse, ut sanctum corpus desereret ». Verum de illo sic doctus le Quien (in cit. loco Damasc.): » Hic solus est e graecis, quem ita » censuisse noverim, si Apolinarium excipias »: qui tamen vindicari quoque non immerito fortasse posset, accuratiore quadam allati loci cum aliis instituta collatione.

Firma proinde, et rata consistat oportet catechismi romani ducia ex regula fidei sententia, quicum ore uno consentiunt omnes quotquot Ecclesia tota traduntur christianae doctrinae institutiones, in quarum consensu totius ipsius Ecclesiae sensus maxime se prodit. Liceat ex multis, honoris causa, beati Alexandri Sauli, Corsicae apostoli, catechismum proferre (1), de quo bonus certe aestimator sanctus Franciscus Salesius, rogatus, ut christianas institutiones gregi suo edere vellet, respondisse fertur, sic pridem illam operam ab aleriensi Episcopo perfectam et absolutam, ut nihil desiderandum superesset. Is porro (in explanatione art. 4. Symboli) proposito, ut moris erat, quaesito, an in Christi morte separata sit persona Filii Dei ab humana natura, plano respondet: *Immo semper illam cum anima et carne Christi conjunctam mansisse*: rationemque affert, ex sancto Thoma depromptam.

Ac ne alias institutiones, ex iis etiam depromptas, quas pistoriensis synodus commendatione sua dignas censuit, penitus neglexisse videamur, in illa ipsa *universali institutione*,

(1) Hujus scilicet Apostolici nominis decore est ille insignitus, litteris quibus eum immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV, in beatorum numerum adscripsit.

quam supra memoravimus, eadem catholica veritas ilquido asseritur (1, p. c. 4, §. 1); ibi quippe post rite expositum » sensum, quo » dici potest Jesum Christum a Patre dereli- » ctum in sua passione fuisse », ad quaesitum, utrum divinitas, perinde atque anima in morte a Christi corpore separata fuerit, nitide ac sine ulla dubitatione respondet: » Divinitas ne » punctum quidem temporis a primo Incarna- » tionis momento se se ab humanitate disjun- » xit; atque adeo post mortem conjuncta inse- » parabiliter fuit cum anima, et corpore, ta- » metsi separatis inter se ».

In hoc ergo tam firmo, tam constanti universalis plane Ecclesiae sensu, quisquis fateatur, ut fateri omnino debet, divinitatem in Christi morte conjunctam cum corpore mansisse, verumque adeo esse *ad litteram*, Filium Dei, Verbum Patris sepultum fuisse; fateatur quoque necesse est, verum esse dicere, *Christi Corpus exangue sine separatione, aut praecisione a divinitate*, prout nempe Verbo unitum; seu (quod eodem recidit, ut supra expilcatum est) Verbum ipsum cum corpore sibi unito, una eademque adoratione latriae, quae certe dividi non potest (ex concilio V. generali) separatim Verbo, separatim naturae ab eo assumptae, adorabile fuisse in sepulcro. Ut proinde Feliero viro catholico nil causae fuerit, cur ex contextu pontificii decreti verba illa, pietati non minus, quam veritati, ex regula fidei ductae, plane consentanea ausu certe non ferendo sustulerit; nisi tota *mutilationis* hujusce culpa, pront ab initio praenotatum est, indiligentiae potius librarii seu typographi, quam Feliero ipsi adscribenda sit.

ANIMADVERSIONUM

IN NOTAS

A V. C. DOGMATICAE CONSTITUTIONI

AUCTOREM FIDEI SUBJECTAS

COMPENDIARIA EXPOSITIO

EX ANIMADVERSIONE

IN NOTAM ADJECTAM PROPOSITIONI 29, DAMNATAE

De consecrationis efficacia.

Synodus pistoriensis in exponenda ritus consecrationis efficientia duas veritates proponit, velut solas ad fidem ea de re pertinentes. 1. *Christum realiter existere in Eucharistia.* 2. *Totam in ea cessare panis, et vini substantiam.* Ceteris quae ad modum existentiae pertinent promiscue rejectis inter scholasticas quaestiones, a quibus hortatur parochos prorsus abstinere.

In hac synodi expositione notata est in pontificia constitutione omissio *Conversionis panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi*, quae ab Ecclesia *transubstantiatio* dicitur; quatenus per eam omissionem *notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereticos, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica.*

Jam vero cum satis constet gravi suspicione non carere omissionem cujusvis catholici dogmatis in expositione doctrinae; quae traditur, prout fit in Synodo, velut complectens omnia, quae pertinent ad fidem in subjecta materia: tota causa in eo versatur, utrum conversio, quam Ecclesia transubstantiationem appellat, dogma constituat distinctum sive a reali praesentia Christi sub speciebus, sive a simplici cessatione panis et vini, sine ullo conversionis interventu in corpus et sanguinem Christi: quos duos articulos synodus proponit velut solos ad fidem pertinentes.

Sed missis invictis auctoritatibus, quas permultas superiori animadversione protulimus, omnem ea de re quaestionem, dubitationemve sustulit Synodus tridentina *Sess.* 13. *Capite* 4. quod nominatim *De transubstantiatione* inscribitur, ubi vim ritus consecrationis perspicuis adeo verbis explicat, ut major perspicuitas desiderari nequeat: » Quoniam autem, inquit, » Christus Redemptor noster, corpus suum id, » quod sub specie panis offerebat, vere esse di- » xit: ideo persuasum semper in ecclesia Dei

» fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus » declarat, per consecrationem panis, et vini » conversionem fieri totius substantiae panis in » substantiam corporis Domini nostri, et totius » substantiae vini in substantiam sanguinis e» jus: quae conversio convenienter, et proprie » a sancta catholica ecclesia *Transubstantiatio* » est appellata ».

Profecto quisquis pistoriensem expositionem cum hac tridentina contulerit, mirabitur, seu potius non mirabitur ab illa pseudo-synodo temere neglectam esse conversionem eam, quam sancte adeo, velut ex perpetua Ecclesiae persuasione acceptam, suis decretis denuo, ac tam aperte declarandam oecumenica Synodus censuit. Ut nisi quis dicere non horreat in hac declaratione exaggeratius quiddam, praeterquam fas esset, a patribus tridentinis catholicae doctrinae professioni affictum esse; tantundem fateri cogatur pistorienses in sua expositione de fidei integritate detraxisse.

At nihilominus vir cl. de religione diu, optimeque meritus in suis quibusdam notis *ad clariorem intelligentiam*, ut sibi persuasit, dogmaticae sanctissimi domini nostri Pii VI. constitutioni *Auctorem fidei* adiectis, ultro aggressus est ad illius inconsultissimae omissionis suscipiendum patrocinium. » Equidem, inquit, pistoienses » confitendo 1. realem, et substantialem Chri» sti praesentiam: 2. Cessationem omnis substan» tiae panis, et vini remanentibus speciebus, » genuinam fidei catholicae doctrinam enun» tiant ». Tum nonnullis interiectis subiungit: » Hoc certum omnino, nusquam Tridentinum » fecisse *ex transubstantiatione* articulum a re» citata modo professione (statlleriana videli» cet a viro cl. ante probata, et cum pisto» riensi prorsus consentiente) distinctum ».

Atque hoc quidem nimis confidenter a viro cl. dictum esse, manifeste patet ex tota concilii tridentini *Sess.* 13., in qua post expositam in decretis catholicam doctrinam (quae qualis sit de transubstantiatione paullo ante vidimus): » Placuit sanctae Synodo canones subjungere, » ut omnes jam agnita catholica doctrina, in» telligant, quae ab illis haereses caveri, vita» rique debeant ». Jam vero illis canonibus praeter duos illos priores articulos, *realis*, *et substantialis praesentiae Christi sub speciebus*, tum et *desitionis omnis substantiae panis*, *et vini*; tertius, *conversionis panis, et vini*, distinctis plane, propriis, expressis verbis distinctus, et anathemate sancitus cernitur. Scilicet *Can.*1. contra Sacramentarios primus articulus asseritur *verae, realis, substantialis Christi praesentiae:* deinde *prima parte canonis* 2., qua damnatur anathemate, *si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi*, asseritur alter articulus, *cessationis omnis substantiae panis, et vini:* simulque error profligatur lutheranae consubstantiationis, *impanationisve;* quippe sublata omni substantia panis, nulla jam dari potest mixtio corporis Christi cum pane.

En proinde jam a Tridentino distincte definiti duo priores articuli, quos, quod attinet ad consecrationis efficientiam, solos proponit synodus pistoriensis velut ad fidem pertinentes. At his solis haud satis tridentina synodus integritati fidei factum esse putavit. Sed illum quem ante *in Decreti capite* 4. velut ex perpetuo Ecclesiae sensu acceptum denuo declarandum sumserat, conversionis nempe panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, iterum etiam speciatim muniendum, sanciendumque censuit, nempe *secunda distincta parte canonis* 2., qua anathemati subjicitur quisquis » negaverit mi» rabilem illam, et singularem conversionem to» tius substantiae panis in corpus, et totius » substantiae vini in sanguinem, manentibus » dumtaxat speciebus panis, et vini, quam qui» dem conversionem catholica Ecclesia aptissi» me *Transubstantiationem* appellat ». Quod si expressis adeo verbis hunc articulum tridentina synodus a duobus prioribus distinxit; quis catholicus abnuat in ea canonis parte distinctum reapse articulum agnoscere, ac profiteri? Et sane quid huic argumento respondere habeas? Quotquot sunt partes doctrinae catholicae, a concilio tridentino totidem distinctis formulis ad credendum propositae, hoc ipso sunt etiam a catholicis in genuina fidei expositione distincte profitendae: atqui tres illae partes, 1. realis praesentiae, 2. nihil remanentis substantiae panis, et vini, 3. conversionis utriusque sub *transubstantiationis* nomine, totidem distinctis formulis sunt tridentinis decretis, et canonibus ad credendum propositae: ergo et a catholicis distincte profitendae.

Et revera quidem, si, ut vir cl. innuere videtur, non alia mens Tridentini fuisset quam 1. praesentiam realem asserere contra Sacramentarios; 2. Lutheranam consubstantiationem impanationemve refellere, jam id utrumque primo canone, et prima parte canonis 2. plene, perfecteque praestitum fuerit: prorsus ergo supervacanea fuisset illa distincta tam expressa transubstantiationis adjunctio: quod suspicari nefas de Tridentino.

Quamquam et alia subest ratio, quamobrem religionis suae, et sapientiae tridentini patres esse duxerint, speciale hoc ipsum transubstantiationis dogma proprio suo vocabulo, jam inde a magna lateranensi synodo notatum, peculiari decreto saucire: qua nimirum specialis etiam error profligaretur Lutheri, qui cum per aliquod tempus transubstantiationem tolerandam censuisset, velut rem indifferentem; eo postmodum audaciae venerat, ut eam tanquam dogma impium, et nefarium traduceret: cujus erroris heredes quotquot sunt ei Sectae addicti, transubstantiationi repugnare nec destiterunt unquam, nec etiamnum desistunt: idque ab eam

maxime causam, quod fuerit a Tridentino tanquam fidei dogma definita. Testis inter ceteros Chemnicius, *in examine articuli de transubstantiatione*, cujus haec sunt verba: « Sed quia, inquit, transubstantiatio pro articulo fidei, sub « poena anathematis proponitur, necessario con« tradicendum est ». Quid ergo? An non satis hac sua, et quidem denuntiata contradicendi contumacia obirectatores isti catholicos doctores admonere videntur, quas officii partes in hac causa suscipere debeant? nempe ut apostolici praecepti memores, viribus omnibus enitantur *exhortari in doctrina sana*, prout ea certe tridentinis decretis continetur, *et eos qui contradicunt arguere*. Ut proinde quo acrior est istorum in oppugnanda transubstantiatione pugnax contentio, eo studiosior esse debeat ejus dogmatis catholicorum defensio.

Nec vero pro rei gravitate pigeat, quod ante jam attigimus, hoc loco denuo repetere: tres sunt veritates, quas de ritus consecrationis efficacia tribus distinctis formulis expositas tridentina synodus expresse definivit. Tertiam pseudo-synodus pistoriensis praetermisit, et eam quidem, cui, si Chemnicio placuit *necessario esse contradicendum*, hoc ipso intelligere synodus catholica debuerat, sibi esse contra *necessario suffragandum*; ne saltem metuisse videretur heterodoxi hominis offensionem, sese adversus tridentina decreta impotenti audacia cum suis gregalibus efferentis. An non ergo non opportuna modo, sed et prorsus necessaria erat apostolica sanctio, quae ad integritatem servandam catholicae professionis, eamque ab oblivionis periculo per suspiciosum pistoriense silentium intentato vindicandam, gravi censura hanc ipsam notaret inconsultissimam omissionem, tanquam « perniciosam, derogantem expositioni veritatis « catholicae circa dogma transubstantiationis, « faventem haereticis »? Quid viro catholico in hac formula ad clariorem intelligentiam desiderandum?

Sed jam accedamus ad momenta rationum, quae viro cl. videntur obstitisse, ne in transubstantiatione articulum agnosceret a pistoriensi expositione distinctum. Praecipuum hoc videtur fuisse, conversionem quae illo nomine appellatur, spectare ad modum existentiae Christi in Eucaristia; tales porro modos, auctore Bellarmino cum sapientioribus theologis, ad fidem neutiquam pertinere.

Verum distinguendum erat modum inter et modum. Bellarminus, et cum eo sapientiores theologi utique sane consentiunt, neutiquam ad fidem pertinere modos, quos privati doctores ad pleniorem quandam informandam mysteriorum intelligentiam privatim adhibent, de quibus salva fide et pace certatur in scholis. Minime vero id concedunt de modis, qui in ipsa fide mysteriorum includuntur, suntque ab Ecclesia definiti. Fide certum est Verbum a Patre procedere, et quidem per modum generationis, velut Filium unigenitum a Patre: in peculiaribus modis divinae hujusce processionis explicandae, cur nempe generatio dicatur et sit potius, quam cujusvis alterius generis processio, alias et alias vias indagare theologi coeperunt. Esto vero peculiares istiusmodi explicationum modos, nipote qui theologicis argumentationibus exquiruntur, ad fidem non spectare: non minus fide certum est, omninoque profitendum, Verbum non utcunque, sed per modum generationis a Patre procedere. Similiter licet ad fidem non spectent peculiares explicationes, de quibus disceptatur in scholis circa modum quo fit conversio panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi; non minus fide certum est, in eoque omnes conveniunt, existere modum illum singularem, et mirabilem, quo per consecrationem ista fit conversio: quem modum (prout etiam de sacramentali modo existentiae Christi in Eucharistia Trid. pronuntiat) etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus (1).

Atque id quidem perinde valet ad refellendum Paulli Sarpii gallum interpretem Courayerium, acriter patres tridentinos insectantem, quod eo suo de transubstantiatione decreto, absurdum per sese commentum, et quidem argumenti mere philosophici, tanquam fixum fidei dogma statuerint; eo maxime quod ageretur de modo, quo Christus praesens est in Eucharistia, cujusmodi explicatio nullo pacto potest ad fidem pertinere.

Sed redeamus ad cl. scriptorem, de quo in nostris animadversionibus. Pergit ille admonere, *nimiam terminorum grammaticalitatem fugiendam;* atque in exemplum profert voces eas, quae in pontificia constitutione ex Tridentino referuntur: *Conversio totius vini in sanguinem:* « quae quidem, ait, secundum litteram argui « falsitatis debent ». Abeant sane, si lubet, a mysteriorum explicationibus quotquot fuerunt, aut sunt curiosiores grammaticae, metaphysicaeve subtilitates, de quibus non immerito vir cl. queri hoc loco videtur. Verum propterea non eo usque audendum fuit, in quo doleo nimiam illum accusandi sui piis hominibus facultatem dedisse, ut voces quibus tridentina synodus canonem suum expressit, palam diceret, *secundum litteram argui falsitatis debere:* quasi falsi quidquam secundum litteram in eas verborum formulas posset irrepere, quibus ab oecumenicis synodis sacra dogmata exponuntur, atque populorum fidei credenda, et profitenda divina auctoritate proponuntur. Arianis

(1) Enimvero ad mysteriorum fidem satis esse debet generalis illa quantumvis obscura notio, quae sub communi vocabulorum acceptione velut per speculum, et in aenigmate delitescit; neque expectanda, aut speranda, in quo nonnulli frustra laborant, ea explicationis claritas, qua quod mysterium est, mysterium esse desinat.

certe non defuere metaphysicae istae, grammaticaeve subtilitates adversus *consubstantialis* vocem, a patribus nicaenis adhibitam, et consecratam; non illae tamen obruere valuernnt mysterii professionem, cujus expressa per hanc vocem fidei veritas clara luret in symbolo. Quidni de voce *transubstantiationis* ab oecumenicis synodis lateranensi et tridentina pariter adhibita, et consecrata idem plane dicamus?

Hujus tamen falsitatis, quam vocibus Tridentini secundum litteram vir cl. adscribit, rationem reddere aggreditur minus etiam excusabilem. » Cum enim, inquit, corpus Christi in» tegrum, et perfectum sub specie quoque vini » sit, in sanguinem *totum vinum non vertitur*». Quid? *Totum vinum non vertitur in sanguinem?* Atqui tridentina synodus. *Sess.* 13. *c.* 4. *et Can.* 2. aperte declarat, et decernit vi consecrationis conversionem fieri *totius* substantiae panis in corpus, et *totius* substantiae vini in sanguinem. Atque haec catholica est veritas perpetuo, et universali Ecclesiae firmata consensu. Quid ergo? Credendum potius arbitrabimur privato, quantumvis eximio doctori, e sensu suo judicanti; quam synodo oecumenicae, divino suggerente Spiritu, edocenti, et definienti? Quod si jubente Apostolo sanam verborum formam tenere debemus; qua potius in sede nobis erit sana illa quaerenda forma verborum, quam in sacris formulis, quibus et concilia oecumenica, et summi Pontifices fidei dogmata definiunt, eademque fidelibus corde credenda, et ore profitenda proponunt? Sed jam de prima animadversione satis.

EX SECUNDA ANIMADVERSIONE

IN NOTAM ADJECTAM 61. PROPOSITIONI

De adoranda humanitate Christi.

De hac adoratione ita statuit synodus pistoriensis (de Fide §. 3.): » Adorare *directe* hu» manitatem Christi, magis vero aliquam ejus » partem fore semper honorem divinum datum » creaturae ».

Notat vir cl. » difficile esse scire, quid pi» stojenses per vocem *directe* intelligant ». Agnoscit ille igitur vocem eam nonnullo ambiguitatis vitio laborare, ut proinde, quod omni ambiguitati commune est, varias in partes, et in pravum etiam sensum deduci valeat. Ne quis propterea error obreperet, explicanda fuit, prout in formula censurae factum est, ambiguitas ejus vocis, quae hoc etiam majorem suspicionem afferre videtur, quod praeter sanctorum patrum et doctorum communem loquendi modum praepostere in hunc locum non suum invecta sit a Synodo. Et revera sancti patres cum unanimi consensu praedicant humanam in Christo naturam adorandam esse, quod catholicum dogma veteres praesertim adversus Apollinaristas constantissime defendunt; simul caute quidem, sapienterque monent, hanc adorationem humanitati Christi tribui, non *propter se*; sed prout est Verbo divino hypostatice unita; quin unquam additum sit ab illis, non eam esse *directe* adorandam : cujus vocis neglectu satis ostendunt, quam parum ipsis visa sit ad hujusce adorationis vim, et rationem explicandam accomodata : » Caro, inquit Damascenus, sua» pte quidem natura nequaquam est adoranda, » sed cum incarnato Verbo adoratur, non qui» dem propter seipsam, sed propter Deum Ver» bum, quod secundum hypostasim ipsi copu» latum est. Neque enim fatemur nudam sim» plicem carnem adorari, verum Dei carnem sive » Deum incarnatum ».

Nihil in hac patrum loquendi ratione implexum, aut ambiguum: non item in hac vocis *directe* subdola substitutione, quae fideles facile posset in hanc fraudem inducere, adorationem quae humanitati Christi defertur, prout est unita Verbo divino, secernendam esse ab ea, quae Verbo divino, seu personae Christi tribuitur, prout in sua humanitate subsistit : quin potius habendam eam esse velut adorationem ejus rationis, quam relativam dicunt, qualis ea est, quae imagini Christi defertur : cum tamen omnino tenendum sit, *duas naturas* in Christo sic *adorari*, ut non propterea duplex adoratio inducatur, sed una tantum, qua Verbum incarnatum (cap. 9. concilii generalis V.) cum propria ipsius carne adoratur; prout in formula censurae, atque in tota superiori animadversione uberius explicatum est. Pergit vir cl. » Ad» oratur indivisibiliter indivisibilis Christus, Deus, et homo ».

Optime. Verum et istud cavendum, ne quis putet hanc indivisibilis Christi indivisibilem adorationem ex eo pendere, quod indivisibiliter cohaereant partes, quae humanam ipsius naturam constituunt. Divisae fuerunt partes illae in triduo mortis, et tamen in illis divisis partibus indivisibilis Christus indivisibili adoratione fuit adoratus. Atque id quidem luculenter explicat sanctus Th. 3. p. q. 52. art. 3. » In morte Chri» sti licet anima fuerit separata a corpore, neu» trum tamen fuit separatum a persona Filii » Dei. Et ideo in illo triduo mortis Christi di» cendum est, quod totus Christus fuit in se» pulcro, quia tota persona ibi fuit per corpus » sibi unitum; et similiter totus fuit in infer» no, quia tota persona Christi fuit ibi ratio» ne animae sibi unitae ». Et ad 1. » Dicen» dum, quod corpus, quod tunc erat in sepulcro, » non est pars personae increatae, sed naturae as» sumptae. Et ideo per hoc quod corpus Christi » non fuit in inferno, non excluditur, quin totus » Christus fuerit; sed ostenditur quod non fuit ibi » totum quod pertinet ad humanam naturam ». Et ad 2. » Dicendum, quod ex anima, et cor» pore unitis constituitur totalitas humanae na-

» turae, non autem totalitas divinae personae. Et ideo soluta unione animae, et corporis per » mortem, remansit totus Christus, sed non re- » mansit humana natura in sua totalitate ».

Ex his patet, etiamsi integritas humanae na- » turae indivisa non manserit in triduo mortis, nihilominus in divisis partibus indivisam mansisse divinam Christi personam; ut proinde partium divisio minime obstiterit, quin indivisibilis Christus in illis divisis partibus indivisibiliter adorari deberet.

Sequitur porro: » Unde merito (si accuratio » theologica spectetur) culpatur illa separatio in » oratione *Sacrosanctae, et individuae Trinitati,* » *crucifixi Domini nostri humanitati etc* ».

Spectata omni, quaecunque tandem ea sit, accuratione theologica, culpari nullo modo potest separatio humanitatis a divinitate, quae nulla extat in pia illa precatione, nec nisi opinione erroris fingitur: » distincta mentio, quae in ea » fit (prout in animadversione notatum est) » Trinitatis, et humanitatis Christi crucifixi eo » spectat, ut post absolutum canonicarum pre- » cum officium distincte recolantur, ac velut » in recitantium mente defixa teneantur duo » praecipua Fidei nostrae mysteria, sacrosan- » ctae nimirum Trinitatis, et Incarnationis Chri- » sti Domini, beataeque passionis, quam pro » salute humani generis in sua humanitate su- » stinuit ». Certe nec per mentem concipi potest, immo repugnat, ut persona Christi crucifixi separata intelligatur ab humanitate, dum ipsiusmet Christi peracta in humanitate crucifixio actu recolitur. Nulla proinde fingi potest separatio humanitatis a divinitate per eam precationem fieri, qua recolitur humanitas sub ea praecisa ratione, qua Christus est in sua humanitate crucifixus.

Demum concludit: » Quod autem supponi » videatur *nudam carnem adorari*, eo absurdius » est, quod nequidem uniri divinitati mera caro » possit, cum nonnisi mediante anima Verbum » Dei corpus assumpserit ».

Sancti patres, ut adorationem humanitatis Christi ab Apollinaristarum praesertim calumniis vindicarent, scite, et caute advertunt *nudam carnem* non *adorari*, sed, ut loquitur Damascenus, *Dei carnem, sive Deum incarnatum.* Atque haec patrum una et consentiens est loquendi forma, quam mirum videri non debet, in formula censurae adhibitam, et confirmatam esse. Quod additur, *nonnisi mediante anima Verbum Dei corpus assumpsisse*, nil pertinet ad eam unionis rationem, qua nititur adoratio, quae humanitati Christi defertur, prout est Verbo Dei unita. Effatum illud: Verbum Dei corpus assumpsisse mediante anima; hoc unum apud theologos significat, Verbum Dei corpus assumpsisse, non quatenus mera caro est, sed cum vellet humanam naturam integram assumere, corpus assumpsisse, quatenus ad humanae naturae integritatem pertinet; adeo ut ordo hic seu respectus corporis ad animam causa fuerit velut *media*, cur Verbum Dei corpus assumpserit. Simul vero defendunt, quod omnino certum est, Verbum assumpto corpori hypostatica unione non secus atque animae immediate conjunctum esse: qua unione nititur adoratio, quae humanitati Christi debetur.

Non tamen propterea, quod probe notandum est, duplex adoratio separatim inducitur: quippe quia humanitas, ut ait Damascenus, adoratur in una Verbi persona, quae ipsi persona, ei hypostasis facta est. Itaque ex hoc ipso incarnationis mysterio, quod hypostatica unione maxime continetur, duae veritates prodeunt, religiose, constantissimeque profitendae. 1. Cum duae sint in Christo naturae, utramque in Christo Deo, et homine adorandam, divinam propter se, humanam, prout vi unionis hypostaticae facta est propria ipsiusmet personae Christi. 2. Unam tamen adorationem existere; quia cum duae illae naturae ad unam Christi personam reducantur, ut ait Damascenus, una est Christi, Dei et hominis persona, quae ut in suis duabus naturis subsistit, ita quoque in suis duabus naturis adoratur.

EX TERTIA ANIMADVERSIONE

IN NOTAM SUBJECTAM 63 PROPOSITIONI

De cultu sacri Cordis Jesu.

Arguit synodus fideles, Christi cordis cultores, et quidem generaliter, et indefinite quasi non advertant, « Sanctissimam carnem Christi, » aut ejus partem aliquam, aut etiam huma- » nitatem totam cum separatione, aut praecisio- » ne a divinitate adorari non posse cultu latriae.»

Notata merito est in formula censurae generalis ista criminatio, velut injuriosa in fideles cordis Christi cultores; nec id tantum, sed et velut *captiosa* propter latentem subdolam insinuationem, qua fideles in hanc fraudem induci potuissent, Cor Jesu adorari cum praecisione, aut separatione a divinitate, tum etiam *cum adoratur, ut est Cor Jesu, cor nimirum personae Verbi, cui est inseparabiliter unitum.*

Hunc tamen censurae locum satis per se se perspicuum, aliqua suae lucis accessione indigere vir cl. putavit: » Ad rudiorum intelligen- » tiam addi fors posset, inquit, nullo modo » adorari Cor Jesu quasi circumscriptive, et » praecisive a totalitate corporis, ut quidam » nuper germanus insulse scripsit, neque for- » maliter adeo, et directe; id enim minime li- » cet de quacunque corporis parte, quia nul- » lam determinate, et formaliter partem Ver- » bum assumpsit, sed ipsam corporis totalita- » tem, et idipsum quidem mediante anima ». Haud satis scio, quid claritatis ad rudiorum intelligentiam allaturae sint voces illae *circumscriptive, formaliter*, quibus non admodum assuetae

sunt aures rudiorum. Sed ad rem. De corpore assumpto mediante anima, quae vis sit ejus effati supra jam dictum est, ostensumque nihil id ad rationem adorationis, de qua hic agitur, pertinere.

Quod autem affertur: *Verbum nullam determinate, et formaliter partem, sed ipsam totalitatem corporis assumpsisse, et id quidem mediante anima* (1); id vero quale sit, paullo videtur esse diligentius inspiciendum. Quaeri etenim de praestanti viro par est, num velit hypostaticam unionem sic determinate factam esse cum totalitate corporis, ut non etiam determinate facta sit cum singulis corporis partibus; insuper utrum sic etiam facta sit cum totalitate corporis mediante anima, ut recedente anima jam desinere oportuerit hypostaticam unionem cum totalitate corporis? Atqui certum omnino est, Verbum Dei sic assumpsisse integram humanitatem, ut hypostatica unio simul, eodem actu, et tempore, immediate facta sit cum anima, immediate cum corpore, singulisque corporis partibus; atque ita inseparabiliter facta sit, ut in triduo mortis indivisa permanserit sive cum anima in discessu ejus a corpore, sive cum corpore ipso, tametsi ab anima separato, et ab effuso sanguine. Atque hinc factum est, ut quemadmodum docet sanctus Thomas (sup. cit.) indivisa Christi persona manserit in partibus divisis, fueritque adeo totus Christus cum anima sine corpore in inferno, totus cum corpore sine anima, et sanguine in sepulcro. Cumque partibus hypostatice unitis, ob hanc ipsam hypostaticam unionem adoratio latriae debeatur, quatenus in illis adorandis hypostasis ipsa, seu persona Christi adoratur; profecto liquet de quacumque parte verum sit dicere, hanc hypostatice Verbo unitam esse, verum quoque sit dicere (cum Damasceno) *non nudam simplicem carnem adorari, verum Dei carnem, sive Deum incarnatum.*

Corruat proinde necesse est jactata illa fictae separationis criminatio, qua potissimum conatilunt adversarii specialem cultum Cordis Jesu in invidiam adducere. Quam enim volunt isti separationem intelligi? A divinitate? An a corporis integritate? At profecto separatio a divinitate, aut praecisio nulla intelligi potest eo in actu, quo Cor Jesu adoratur, et quidem praecise adoratur, prout est divinitati unitum. Pugnat quippe exclusam intelligi personam Christi ab eo cultu, qui praecise ob ipsam personam ei unitam, Cordi Jesu tribuitur.

Neque metuenda magis objecta separatio ab integritate corporis, quae illustri etiam exemplo refellitur specialis cultus, qui ex diuturna jam probatque institutione *quinque plagis Redemptoris* defertur. Quid enim est vulnus lateris (ut eam potissimum plagam memoremus, quae proprius cor attingit) quam ipsum latus vulneratum? Quod si probatur cultus, quo specialim latus spectatur, et recolitur, quin objiciatur separatio a reliquo corpore, cui cohaeret; cur non et probandus similis cultus, quo specialim spectatur, et recolitur cor in latere inclusum? Par in utroque ratio: nempe cum ob hypostaticam unionem sive lateris, sive cordis, totus ipse Christus adoretur eo cultu, qui et lateri, et cordi tribuitur, nullus in eo separationi locus relinquitur, neque a divinitate, neque ab ipsamet humanitate (1).

(1) Ordinem assumptionis sive totius ad partes, sive partium ad totum explicat Sylvius ex doctrina sancti Th. 3. Part. q. 6, art. 5, scilicet ordine intentionis assumptum prius *natura* totum quam partes: ordine executionis seu operationis prius *natura* partes quam totum, eo: » Quia, inquit, existentia totius in Verbo » pendet ab existentia partium in illo, non contra: » uti apparuit in triduo mortis, quando partes mans serunt unitae Verbo, etiamsi propter separationem » ab invicem non constituerent totum ». Itaque ordine intentionis Verbum assumpsit partes, quatenus ad totius integritatem pertinent: ordine vero executionis totum uno eodemque tempore assumpsit per assumptionem partium, ex quibus totum coalescit. Atque adeo per unionem hypostaticam cum partibus, uno simul eodemque actu facta est unio hypostatica cum toto.

(1) Quam non absimilis sit ratio cultus, qui vulneribus, et ejus qui cordi tribuitur, ex his ipsis argumentis evinci potest, quae ad dissimilitudinis speciem inducendam afferri solent ab adversariis. Ecce jam primum qui dissimilitudinem ex eo repetit, quod *vulnera non sint aliud quam ipsummet corpus Christi in locis ex disjunctione carnis apertum;* quasi dicat ideo rite coli posse vulnera, quod illis colendis, totum ipsummet corpus coli censeatur, nullaque adeo inducatur separatio partis a toto. Sed profecto vulnera, seu partes in quibus facta est carnis disjunctio, intelligi non possunt esse ipsummet corpus, nisi prout ad corpus totum pertinent et referuntur impressiones, quae fiunt in singulis partibus, quo sensu pati corpus totum dicitur, cum pars aliqua patitur, idque propter cohaerentiam, qua partes aliae aliis conjunctae unum continuum efficiunt. Atqui cor non minus reliquo toti corpori cohaeret, quam pars carnis discissa in latere, manu, vel pede: si ergo in cultu vulnerum corpus ipsum coli intelligitur, idque ob eam causam, quod partes discissae, corpori toti cohaerentes, pro sua continuitate separationem repellunt; quid vetat quominus propter eandem cohaerentiam cordis cum reliquo corpore, cultus qui cordi tribuitur, ad corpus totum pertinere censeatur, non aliter atque propter ipsammet partium continuitatem, et cohaerentiam corpus ipsum sine separatione attingi censetur eo cultu, quo partes scissae afficiuntur? Par utrinque ratio: nulla ergo dissimilitudo (*).

En porro alter, qui alteram dissimilitudinis rationem profert his verbis. » Atque hinc etiam cessat » praesidium, quod Cardiolatrae vulgo parant ex cultu » V. Vulnerum. Non is enim cadit in fixuram, aut » in loca clavorum; hoc est in Christi manus, pedes, » et latus, sed in ipsum Christum vulneribus affectum, » crucique suffixum: manus autem, pedes, et latus nullo » modo cultum ad se terminant, sed ejus tantum si» gna suscipiunt, quae cultum innuunt, et ad cultum » excitant Christi ». Certum quidem est Christum

(*) Ad Nat. Alex. Histor. eccles. supplem. part. alt. dissert. 8, §. 5.

Jam vero quod pii hujusce cultus institutionem pontifices eo maxime retulerint, ut sub cordis symbolo immensa Christi charitas meditanda, et veneranda fidelibus proponatur, id

adorari omni quocunque cultu, qui propter unionem hypostaticam sive corpori, sive corporis partibus tribuatur. Neque iu eo scriptor iste fallitur, sed iu eo quod inde cousequens esse putet, cultum in partes, Christi personae hypostatice conjunctas nullo modo cadere. Utinam illum non piguisset, aut Sylvium, aut etiam egregium alium sancti Thomae interpretem, sodalem suum Billuartum adire. Ab his edoctus esset, ex eo quod divina persona Christi adoretur eo cultu, qui ejus humanitati tribuitur, minime id obstare, quin adoratio latriae, quae Verbo incarnato exhibetur, redundet in humanitatem tanquam in rem adoratam, atque adeo, ut ait, Billuart, » humanitatem ipsam prout pars est totius adorati, terminare etiam adorationem, secundario quidem, et » minus principaliter, quia adoratur non propter » seipsam, sed propter Verbum conjunctum, ad quod » ideo primario, et principaliter terminatur adoratio ». Jam vero si manus, pedes, latus Christi nullo modo, ut contendit scriptor noster, terminare possent adorationem, quae personae Christi exhibetur eo cultu qui vulneribus tribuitur, idque ob eam causam quod haec adoratio cadit in Christum vulneribus affectum; profecto propter eandem rationem nec humanitas ipsa dici posset ullo modo, ne secundario quidem tanquam *res adorata*, (quae verba sunt sancti Thomae) terminare adorationem, quae in persona tota Christi primario, ac principaliter terminatur. Atqui tamen prout docet Sylvius, cujus verba probe sunt attendenda: » Eo quia humanitas modo » perfectissimo unitur personae Verbi, persona ipsa » dum incarnata adoratur, non potest caro ab adoratione illa excludi... Et quia persona illa ut in » humanitate subsistens vere, et proprie adoratur, » simul adoratur ejus humanitas... quae est personae » conjuncta, in qua et ob quam adoratur eadem numero adoratione cum ipsa .... Cum ergo dicitur » soli Deo latriam deberi, excluditur omnis persona » alia a divina: quidquid autem est Deo conjunctum in unitatem personae non excluditur, sed magis » comprehenditur. » Quid? Quod tota scriptoris hujusce ratio paucis his verbis evertitur, quae paullo ante sunt ab eo posita: » Cultus humanitati Christi adhibitus propter unionem hypostaticam toti » simul adjicitur, nec partes ejus attingit in particulari, nisi forte physice separatas inveniat, sicuti » accidit in triduo mortis de anima, corpore, et sanguine Christi ».

Jam de parochorum juribus duo velut ex libro deprompta referuntur; quod jurisdictio ipsis ordinaria tribuatur; quod et judices fidei constituantur. Quod attinet ad jurisdictionem, praemittendum censemus; quanto tempore, quibusve locis, viguit status hierarchicus ab Ignatio descriptus, quandoquidem nulla dum facta esset plebium partitio, presbyteros illos non ea sane potitos esse peculiaris jurisdictionis ratione, qua in distinctas postmodum, sibique assignatas plebes instituti parochi usi sunt. Posteaquam vero miserante Deo magis, magisque in dies augeri coepit multitudo credentium, nec in civitatibus tantum, sed et in villis, et agris, quo tutius expeditiusve animarum regimini consuleretur, placuit plebis universitatem, quae uni episcopo parebat, quamque partim episcopus per sese, partim per ministros, ut superius expositum est, indiscriminatim, et promiscue regebat, certas in partes distribui; singulisque partibus suum praefici rectorem, cui commissae sibi portionis cura specialim incumberet. Quo factum est, ut paroeciae nomen, quod ante unius episcopalis sedis ambitum designabat, distinctis istis plebibus adhaerescerct; paroeciarum porro complexio, uni eidemque sedi subjectarum, dioecesis dici coepta sit. Atque ut paroeciarum regendarum certus quidam ordo ac modus statueretur, certa quaedam jura canones parochis communia esse voluerunt, eaque non soli personae pro loco ac tempore, sed ipsimet muneri cohaerentia. Hanc jurisdictionis rationem, quae lege ipsa committitur, ordinariam appellare placuit; quo secerneretur ab ea quae confertur ab homine, quae delegatae nomen retinuit. Non eo itaque differt ordinaria jurisdictio a delegata, quod illa minus pendeat ab Ecclesia quam ista; sed quod unam per legem, alteram per hominum Ecclesia delegat. Quo intendisse nonnullis visi sunt tridentini patres, cum alterutram ad vim absolutionis, ut mox dicetur, necessariam decernentes, alteram *subdelegatam* potius quam *delegatam* dicere maluerunt; ne videlicet unam alteri opponentes, ab ea, quae *ordinaria* dicitur, omnem delegationis vim ac rationem removisse viderentur. Eo itaque sensu explicata ordinaria jurisdictio nil prue se fert, quod ad minuenda episcoporum jura faciat, nil quod sanae intelligentiae adversetur.

At in hoc valde peccat libellus, quod, ut fertur, parochialem, quaecunque illa est, jurisdictionem, haereditaria velut successione a discipulis Christi, parochis proprio quodam ac speciali jure obvenisse contendat: quod si ita esset, cum non alio quam sacerdotalis ordinationis titulo, quae sacerdotibus omnibus communis est, qualiscunque haec successio defendatur; consequens foret, ut omnes ex aequo sacerdotes propria parochiali jurisdictione pollerent, et quos ex hierarchia pellere nituntur, eos in eam revocare vel inviti cogerentur. Verum totam hujusce loci ambiguitatem plane dissolvit synodi tridentinae accura-

tissima doctrina. Nam licet vi ordinationis sacerdotes novae legis potestatem accipiant peccata remittendi et retinendi, prout sess. 23. can. 1. definitur: quia tamen haec potestas exercenda est *ad instar actus judicialis, quo ab ipso* (sacerdote) *velut a judice sententia pronunciatur* (sess. 14. cap. 6), aliunde vero (cap. 7.) *quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos feratur; hinc persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Scilicet notius est, quam dici oporteat, homini datum non esse peccata dimittere aut retinere, nisi potestate a Deo accepta: quae potestas ordinatione sacerdotali confertur; sed ita, ut ad instar judicii exerceatur. Jam vero cum judicium exerceri nequeat nisi in subditos, opus est, ut ad potestatem ordinatione acceptam accedat subditorum assignatio, in quos eam sacerdos exercere valeat. Per hanc assignationem, quae legitima missione continetur, sacerdos proprio judex constituitur, tumque potestas ordinatione accepta vim demum induit, naturamque jurisdictionis peculiaris ac proprie dictae; quae, nisi ad subditos referatur, nulla esse aut intelligi potest. Sic nullum in Ecclesia catholica esse potest legitimum, potestatis cujusvis aut regiminis exercitium, quod non ex legitima vocatione, missioneque pendeat. Hanc parochi per legitimam institutionem obtinent: quae nisi adsit, nec plebem ullam, seu gregis portionem, subjicere sibi possunt, in qua parochialis juris ac muneris partes exercere valeant. Qua de re ne unquam dubitari posset, cautum est can. 7. sess. 23. ejusdem synodi; quo anathemate percellitur: *Si quis dixerit, eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros.*

Hac porro jurisdictione, quae modo amplior, modo adstrictior, canonum statutis parochorum muneri attributa est, constat nil prorsus detractum esse de illorum potestate, quos Christus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Qua de re veterum, immo totius Ecclesiae constantem sententiam paucis, at apertis plane verbis complexus est doctor, vestris certe parochis hactenus non invisus, Johannes Gersonius (de Statib. Eccles. Consider. 3.): « Status praelationis episcopalis habuit in apostolis et successoribus usum, vel exercitium » suae potestatis sub papa Petro, et successoribus ejus, tanquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores praelati, scilicet curati, subsunt episcopis; a quibus usus suae potestatis quandoque limitatur, vel arcetur. Et sic a papa fieri posse » circa praelatos majores ex certis et rationabilibus causis non est dubitandum ». Eandem sententiam plura paulo post Tridentinum celebrata per Gallias concilia, eademque ab apostolica sede probata, promulgarunt. Sic Rothomagense (an. 1581.) *De curatorum, et aliorum presbyterorum, ac paroecianorum officiis:* « In curatis duo primum requiruntur, capacitas, et potestas ...... Potestas exposcitur, » quae per institutionem, et collationem committitur. Nam nisi curati ligandi atque solvendi » potestate a praelatis legitime accepta, fuerint » praediti; decipiunt populum, nec absolvunt » a peccatis ». Neque et hoc omnino praeterenndum: si ut potestas ordinis, ita et potestas regiminis ex ordinatione vi sua proflueret; consequens fore, ut quemadmodum potestas ordinis nec tolli unquam nec minui potest, sic nec tolli posset unquam nec minui potestas regiminis; quam tamen tolli, minuive posse, permulta poenarum genera, conciliorum statutis decreta, manifeste convincunt; ut proinde quisquis hanc regiminis potestatem vi ordinationis, citra legitimam missionem approbationemve, sibi arroget; hic, siquidem vult sibi constare, hanc eandem vel ipsi Luthero concedat necesse sit, utpote qui ordinationem in Ecclesia susceperit.

Omni quidem honore digni sunt parochi, qui pro animabus vigilant, ac laborant, rationem de iis reddituri: magnum sane opus, atque ut periculi, sic et dignitatis plenum. Horum ministerium quanti faciat sacra congregatio; quam sollicita semper fuerit, quam provide caverit, ne qua in re jura eorum laederentur, testantur plena volumina decretorum, quibus eorum existimationi, commodis, ornamentis consuluit. Non propterea ferendum arbitratur, ut quos ordo hierarchiae medio in gradu jubet consistere, suos fines praetergrediantur; atque altius quam par est, sese extollentes in eorum jura invadant, qui sunt in fastigio constituti; male potius illi de gradu suo merentur, qui dignitatem, quam gradus ipse non ferat, ultro sibi appetunt. Honor certe minuitur, ubi jactat sese audacius cupiditas honoris.

Quod si non sine gravi ordinis hierarchici perturbatione studuit auctor libelli parochorum jurisdictionem adversus justam episcoporum auctoritatem amplificare; quanto immoderatior elatio in eo se prodit, quod eos in fidei judiciis episcopis coaequare non vereatur! Quae erroris pravitas ex his abunde jam refellitur, quae pro tua prudentia breviter aeque ac sapienter attigisti; scilicet in conciliis communiter servatum esse, ut episcopi definientes subscriberent, non item secundi ordinis clerici; quibus tamen non id juris patres invidissent, siquidem divina institutione niteretur: deinde refragari Ecclesiae romanae auctoritatem, quae hanc in parochis judicii auctoritatem in causis fidei non agnoscit; quo

uno sublata videri debet omnis dubitatio: demum istiusmodi auctoritatem nullo titulo niti, defendive posse: non sacerdotii, secus esset presbyteris omnibus communis; non parochialis institutionis, qua non aliae facultates parochis tribuuntur, quam quae ad suas regendas plebes necessariae sunt.

Quibus ut et nonnulla confirmationis gratia subjungamus, certe si vel a remotiori vetustate synodorum, quae habitae sunt, rationem attendimus, soli ut plurimum episcopi expositionibus fidei subscripti comperientur; rarius inter episcopos, pauci presbyteri, aut etiam diaconi, nec suo, sed episcoporum suorum nomine: velut in ephesina unus Bessula diaconus pro carthaginensi; plures in septima generali synodo sub hac formula: « Leo presby- » ter sanctae magnae Dei Ecclesiae, et vicarius sedis Sidensis Metropoleos, paterna dog- » mata sequens et traditionem catholicae Ec- » clesiae, definiens subscripsi: Epiphanius pec- » cator, diaconus sanctissimae Ecclesiae Catanae siculorum provinciae, et locum retinens » Thomae sanctissimi archiepiscopi Sardiniae, » paterna dogmata sequens et traditionem ca- » tholicae Ecclesiae, definiens subscripsi ». Itaque sive ubi extant, sive ubi non extant subscriptores istiusmodi, perinde sane faciunt contra sententiam libelli. Namque ubi non extant, manifesto indicio est, patres non illos aestimasse judices fidei, quos nec adscriptores habere curaverint: sin adsunt, dum ipsimet episcoporum nomine, non suo subscribunt, palam loquuntur non penes se, sed penes episcopos, id juris residere. Quamquam si quid juris ex istiusmodi subscriptionibus elici posse videatur; id necesse est, non parochis tantum, quos nec vetera illa concilia memorant, sed omnibus indiscriminatim presbyteris; nec presbyteris tantum, sed et diaconis tribuendum videri: quo nil fingi potest absurdius.

Atque et istud etiam considerandum est, ad legitimum constituendum generale concilium hoc inter alia omnino requiri, ut generalis fiat eorum convocatio, qui sunt jure divino judices fidei. Hoc nomine solos convocatos episcopos esse, acta in primis testantur synodorum ephesinae, et chalcedonensis. Et quidem quod ad Chalcedonensem attinet, cum Marciani augusti pia vota non satis temporis ad universalem convocationem relinquerent, non aliter suppletum est, quam apostolica Leonis auctoritate. Ceterum generalis est regula communi doctorum assensu firmata, ut ad oecumenicam synodum universus ordo judicum fidei ex omni parte convocetur. Jam vero cum ad vetustas illas synodos nulla ejusmodi appareat presbyterorum secundi ordinis facta convocatio; nec illae profecto velut oecumenicae synodi haberi potuissent, a quibus nempe multo maxima pars eorum abfuisset, qui jure suo judices essent fidei. Sic uno ictu concideret venerabilium earum quatuor synodorum auctoritas, quas omni fide, omni devotione suscipere Gregorius Magnus (l. 3. epist. 10.), ac sicut quatuor libros sancti evangelii recipere profitebatur: peremptl earum decretis errores continuo reviviscerent, aut e latibulis, in quibus profligati delitescunt, rursum erumpentes, clades instaurarent, quas primum prodeuntes misere foedeque in Ecclesiis ediderant.

Haec tam vetusta, tam constans habendarum synodorum ratio persuadet omnino hujusce hierarchicae ordinationis, quae judicii auctoritatem in causis fidei episcopis detulit, initia non aliunde ducenda esse, quam ex institutione Christi, et apostolica traditione. Revera Christus, ut ex Marco diximus (cap. 3.) *ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse . . . . et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos praedicare*. Quo semper intellectum est praedicandi ac docendi munus et officium simul cum fidei deposito apostolis, eorumque successoribus episcopis *peculiari quadam ratione* sic demandatum esse, ut ab ipsis tanquam *praecipuis* verbi praeconibus evangelica doctrina cum sana verborum forma in universum orbem, et in omne tempus propagaretur. Hinc Apostolus (1. Cor. v. 17.) missum se, ait, non baptizare, sed praedicare: hinc episcopum *Doctorem* ab Apostolo nominari observat Hieronymus. Quod sancte adeo ab ipso Ecclesiae nascentis exordio servatum est, ut non alii quam episcopi concionarentur in Ecclesiis; nec nisi episcopi jussu ac mandato presbyteris postmodum facultas permissa sit hujus muneris obeundi; sic ut plane constaret non aliam ab ipsis doctrinam plebi tradendam fuisse, quam quae ab episcopo tradita, aut certe probata esset. Hinc Caelestinus I. (Epist. 21. ad episcopos Galliarum ap. Coustant) cum non sine magno moerore a sanctis viris Prospero, et Hilario intellexisset, presbyteris quibusdam illic tantum impune licere, ut dissensioni Ecclesiarum studentes, atque indisciplinatas quaestiones vocantes in medium, pertinaciter praedicarent adversantia veritati; nonnullam in eo negligentiae culpam in episcopis reprehendit: « Sed » vestrae, inquit, dilectioni justius imputamus, » quando illi supra vos copiam habent disputandi. Legimus supra magistrum non esse » discipulum; hoc est, non sibi debere quem- » quam in injuriam doctorum vindicare doc- » trinam. Nam et hos ipsos a Deo nostro posi- » tos novimus ad docendum; cum sit, dicente » Apostolo, eis tertius locus (1) intra Ecclesiam » deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris » tacentibus, ii loquuntur, qui, si ita est, eo- » rum discipuli non fuerunt? » Qua ratione

(1) *Respicit Caelestinus*, ut Coustant animadvertit *ad illud Pauli*: quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores. N, E. R.

igitur fieri potest, ut cum episcopis judices sedeant, qui episcoporum se discipulos agnoscere debent: quibus non licet doctrinam sibi vindicare, sed eam cum facultate docendi ab episcopis accipere, velut magistris a Deo nostro positis ad docendum? Quo intelligitur munus hoc docendi, quo cum potestate judicii Verbum Dei a verbis hominum secernitur, utpote quod in praedicationis officio praecipuum est ac maximum, sic etiam fuisse a Christo in summo gradu sacerdotii collocatum atque ita cum ordinis plenitudine apostolis commendatum; ut in illos transiret, qui cum episcopatu legitime adepto et retento, in sacerdotii plenitudinem apostolorum loco vocarentur.

Haud mirum proinde in gallicanis istis Ecclesiis, quae perpetua, planeque insigni pietatis ac doctrinae laude floruerunt, hanc mentem, ac sententiam insedisse, ut in conciliis judicum loco nonnisi episcopi adessent, aut quibus vel mandato vel privilegio concessum esset. In *Tractoria*, qua praeclarum illud Ecclesiarum vestrarum lumen ac decus Avitus vieunensis episcopos convocat ad concilium epaonense, cavet, ut si quem forte adversa valetudo detinet, *duos presbyteros magnae ac probabilis vitae mandati instructione firmatos, fratribus pro se praesentare procuret.... nempe ad definitiones pro episcopo suo sanciendas, subscribendasque, sed istud non extorqueat nisi summa necessitas.* Sanctus item Viventiolus lugdunensis conventum episcoporum denuntians: *Clericos*, inquit, *prout expedit, convenire rompellimus; laicos permittimus interesse, ut quae a solis pontificibus ordinanda sunt, et populus possit agnoscere.* Tam nempe certi erant pontifices illi gravissimi nullam in talibus causis penes laicos, clericosve secundi ordinis judicii auctoritatem residere, ut scirent, prout laudatus Avitus (Epist. 36.) testatur, *synodalium legum esse, ut in rebus, quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad romanae Ecclesiae maximum sacerdotem quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus.* Quid opus memorare Concilium lugdunense II. oecumenicum, in quo sess. 2. ubi post allocutionem pontificis *latae sunt constitutiones pro zelo fidei*, dimissi leguntur inferiores praelati, exceptis illis, qui fuerunt nominatim evocati? Ad sese nos revocat laudatum rothomagense concilium, cujus in actis responsum refertur, quod summus pontifex Gregorius XIII. audita relatione sacrae hujusce congregationis reddendum dari censuit ad plura dubitationum capita, quae ab illis patribus ad sedis apostolicae judicium relata fuerant. Erat caput. V. « Quam vocem abbates praecipue commendata» rii, capitulorum deputati, et episcoporum » procuratores habere deceret? Constabat, in» quiunt, ex formula conciliorum provincialium, » et actis omnium habitorum post concilium » tridentinum, tantum illis fuisse concessam » deliberativam vocem, seu consultivam, non » autem decisivam. Quoniam tamen videbantur » illi paratiores ad impediendum concilium, » et lites coram senatu movendas, ad ipsum » retardandum: nihil quoque de hoc judicatum » fuit ». Tam subjungunt: « Nisi legitima for» ma conciliorum provincialium restituatur, » futurum est, ut jam non dicantur concilia » episcoporum, sed inferiorum ecclesiasticorum » contra episcopos. Ideo dignetur Sua Sanctitas » unicuique suos limites ponere ». En responsum: « Abbates, commendatarios, capitulorum » deputatos vocem dumtaxat consultivam habe» re: episcoporum procuratores posse, si conci» lio provinciali placuerit, et decisivam habe» re ». Quae si perpendantur, facile id quoque secum reputare quisque poterit, num artibus pontificum, quod maledici obtrectatores calumniari non desinunt, an alienis plane de causis, tot morae conciliis provincialibus habendis injectae fuerint.

In Burdigalensi an. 1624. (congregatione publica XIII.) cum cujusdam capituli procurator acrius contenderet omnes procuratores capitulorum in concilio vocem decisivam habere, explosum id fuit unanimi consensu patrum, « utpote tentatum contra id quod judicatum, » jam, et ab ultimo concilio definitum, a sum» moque pontifice declaratum, et ab Ecclesia » observatum esset ». Deinde (congregatione privata XIV.) cum statuissent patres faciendum, ut ille procurator *hanc mentem deponeret, curaretque satisfacere in congregatione publica ea, quae hesterna die attulerat, sane male prolata retractaret ec.* decretum edendum praeformarunt his verbis: « Sacro approbante concilio, » decretis ultimi concilii burdigalensis inhaeren» tes, opinionem quorumdam, qui ausi sunt » asserere praeter episcopos, quosdam etiam » alios habere vocem decisivam in concilio pro» vinciali, ut erroneam judicamus. Ac sequenti » congregatione publica procurator ille, ita ac » promiserat in congregatione privata, episco» pis et omnibus super iis, quae de voce deci» siva et papa ante dixerat, plene satisfecit ». Hic repetere juvat, quod non semel usurpatum legimus: utinam quos non puduit sequi errantem, eos non pigeat imitari sese emendantem.

Reliquum est tertium caput, in quo quidem eo breviores nos esse convenit, quo apertius in oculos perversitas erroris incurrit: scilicet inducuntur parochi postulantes a concione populari « ut fixa sententia formam immutabiliter » praefiniat essentialis constitutionis coetus ec» clesiastici: declaret pastoralem clerum de in» tentione seu consilio et voluntate sui divini » fundatoris solum esse necessarium guberna» tioni Ecclesiae: item declaret per legitimam » successionem ab episcopis apostolos, discipu» los a parochis repraesentari: hos denique duos » pastorum ordines ecclesiasticae hierarchiae » universitatem solos constituere: ceteras classes » recentioris cleri, opus nempe manuum ho-

» minum, supervacanea velut onera esse in » aedificio Ecclesiae, neque ad ejus essentiam, » integritatemve pertinere ». Hic plane borrescit animus, vixque nobis persuadere possumus catholicos parochos eo usque illudi sibi passos esse, et eo usque labi potuisse, ut a populari conventu declarari postulaverint ac definiri, quid Christus voluerit, intenderit, praescripserit de statu hierarchiae, quam divina ordinatione constitutam esse oecumenica sacra synodus definivit. At bene cadit, quod error vel ipsa errantium inconsideratissima levitate probe coarguitur, ac refellitur. Quippe isti sunt, qui se non secus ac episcopos doctrinae ac fidei judices ostentant hoc nomine, quod ut apostolis episcopi, sic ipsi succedant discipulis. Quo plane confitentur in bujusmodi causis, quae doctrinam ac fidem attingunt, qualis illa est, quae versatur circa essentialem formam hierarchiae a Christo intentam ac praescriptam, non ad alios pertinere judicii potestatem, quam ad quos vel apostolorum, vel saltem discipulorum, ut ipsi sentiunt, legitima successio pervenerit: quam haereditatem districte adeo illi sibi vindicant, ut ex ea ceteros quosque recenlioris cleri presbyteros repellant, eosque propterea ex hierarchia ipsa exulare jubeant. At profecto ab legitima illa discipulorum, apostolorumve successione abest multo longius, ac remota est popularis quaevis concio. Qui ergo convenit, ut saeculares homines, quibus certe nihil inde juris, auctoritatisve in hierarchia obvenire potuit, supra ipsam hierarchiam tanquam ejus arbitri, judices, moderatores efferantur; idque judicii potestate tanta, ut de ipsa hierarchiae essentia, velut intentionis Christi supremi interpretes certam fixamque sententiam proferant?

Quam porro a Christi doctrina, et institutione abhorreat foeda ista ecclesiastici juris in laicam potestatem translatio, exploratius est, quam ut multis declarari opus sit. An non revera Christus ipse, quos voluit, elegit; quibus rerum omnium ad religionis ordinem, ac sacri ministerii rationem pertinentium custodiam, dispensationemque commisit? An non apostoli auctoritate a Christo accepta quaecumque ad ministrorum delectum et officia pertinerent, ad ritus peragendi rationem, ad judicium de presbyteris instituendum, ad jura praefinienda et officia conjugii, sive inter fideles, sive fidelem inter et infidelem initi, ad exteriorem religionis disciplinam, quae cristianae societati conveniret, nulla certe a saeculari potestate petita venia, ipsi per se constituerunt? Quo istuc adigi necesse est quotquot refragari volent, ut dicant, aut inique gestum quod ab apostolis auctore Christo factum est, ei constitutum; aut fateantur, qua immunitate apostoli donati sunt a Christo, eadem et nunc qui legitimi sint apostolorum successores, legitime potiri.

Hac sane immunitate in omni christianae administrationis ratione notum est Ecclesiam potitam esse, tum maxime, cum crudelius in eam saeviebat odium Gentilium. Etiam cum tempus advenit, quo tempore Deo beneplacitum fuit principes orbis terrarum e tenebris vocare in admirabile lumen suum, sic summi hujusce beneficii compotes illi effecti sunt, ut se filios Ecclesiae, non dominos agnoscerent; *nefas* esse profiterentur, *qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis, et consultationibus se se immiscere* (sacra theod. ad synod. ephes.). Haec una vox pontificum, conciliorum, patrum omnium aetatum: haec perpetua Ecclesiae praedicatio: haec omnis linguae constans, et consentiens professio ac fides christianorum. Ex innumerabilibus, quae undequaque se offerunt, pervulgatissimisque monumentis unum operae pretium fuerit, nec forte satis ubique notum proferre; saluberrimum nempe decretum, quo immortalis memoriae pontifex Benedictus XIV. simul cum impio libello, *de utriusque potestatis essentia et limitibus*, renovatum in eo « pravum illud ac » perniciosum systema, quo ecclesiasticum mi» nisterium ita saeculari dominationi subjici» tur, ut ad hanc spectare pronuntiet de ex» terna omni ac sensibili gubernatione cogno» scere ac judicare » iterum proscripsit *ut pridem ab apostolica sede reprobatum, ac pro haeretico expresse damnatum*.

Sed quandoquidem sacra congregatio has potissimum partes impositas sibi intelligit, ut in exponendis tridentini concilii decretis versetur; illud in primis ducit non praetereundum decretum, quo perspicue asseritur potestas Ecclesiae in sanciendis legibus ac praeceptis, quibus omnes indiscriminatim fideles obstricti teneantur. Extat enimvero sess. 6. canon 20., quo anathemate percellitur qui dixerit, hominem quemcunque baptizatum non teneri ad observantiam mandatorum Dei, et Ecclesiae. Quae potestas cum ex instituto Christi omnia complectatur quae ad religionis ordinem pertinent; liquet profecto hanc tridentini concilii, non secus atque superiorum mentem, ac sententiam fuisse, ut earum rerum praescriptio non a saeculi potestate, sed ab his qui sacris praesunt, omnino petatur.

Quod si qui sunt parochi, quos error temporum in hanc fraudem impulerit, ut fabulis, mandatisve hominum attendentes abripi se passi sint ultra terminos, quos posuerunt patres nostri; colligant se se aliquando: repetant animo qua in fide baptizati sunt in Ecclesia, quibus votis se se Deo, Ecclesiae, suisque praepositis obligaverint; qua item in fide ministerium adepti, tot filios Christo, et Ecclesiae pepererint, quove lacte doctrinae illos aluerint. Redeant ad cor; vocem ne spernant conscientiae, adscitas novitates respuentis, veterem pridem insitam, ac velut in medullis defixam catholicae professionis normam reposcentis; pro qua, si recor-

dari volent, paullo ante dicere non dubitassent paratos se esse vel mortem ipsam oppetere. Mutari quidem illi potuere; at immutata manet veritas: quae utinam illorum insipientiam ita coarguere non desinat, ut eos tandem ad se revocet. Miseri, siquidem sic coepere obdurescere, ut jam minus sentiant, quam durum sit contra stimulum calcitrare; quod in eos cadere non ignorant, qui Ecclesiam persequentes, Christum persequuntur. Cogitent, quam immane sit facinus impias manus admovere ad lacerandum corpus ipsum Christi, quod est Ecclesia; cujus integritas vinculo illo continetur, quo fidelium, pastorumque universitas illi supremae sedi cohaeret, quam qui deserit, frustra se in Ecclesia esse confidit. Jam vero cum omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum sit, descendens a patre luminum; vota nostra votis tuis, praesul amplissime, adjungere non desinemus, magnam in Christo Jesu fiduciam habentes, ut qui eximio gratiae suae munere te dignum sibi ministrum elegit, ac per te coepit opus bonum plantandi et rigandi, incrementum quoque ac fructum daturus sit tempore suo. Dumque in grati animi pignus, ac singularis observantiae, qua te prosequimur, multam in Domino amplitudini tuae salutem precamur, et impertimus, hac te laeta spe sustentari nobiscum valde optamus, qua olim sanctissimus pontifex Innocentius I. clerum, populumque constantinopolitanum solabatur: *Dabit Deus noster afflictionibus tantis finem, quas sustinuisse proderit.* Clama, ne cesses. Dabit Dominus verbum evangelizantibus virtute multa.

CATHOLICI DOGMATIS

DE IMMUNI ECCLESIAE AUCTORITATE IN SANCIENDIS DISCIPLINAE LEGIBUS

DOCUMENTA

E TRIDENTINA OECUMENICA SYNODO PETITA (1).

Perpetua fuit, constansque ab apostolicis usque temporibus, omni consequenti aetate totius Ecclesiae fides et sententia, Christum apostolis eorumque successoribus non docendi tantum, sed et regendi munus et officium mandavisse: neque id plane inficiari ausi sunt, qui licet infensiore animo in elevandis Ecclesiae juribus versati sunt, non tamen catholicam personam penitus exuisse videri voluerunt.

Hanc porro non solum tradendae, firmisque ac irrevocabilibus decretis firmandae doctrinae, sed et disciplinae salutarium legum praesidio constituendae ac sanciendae divinitus tributam, nec ulli propterea potestati alteri obnoxiam auctoritatem ad catholicum dogma pertinere: cum plurima sacris litteris, atque ex tota antiquitate petita monumenta testantur, tum perspicue ex multis oecumenicae tridentinae synodi canonibus convincitur, quibus totidem fidei capita contineri nemo catholicus unquam dubitavit. Nonnulla in hunc locum proferre instituimus, quibus rem totam et aperte declarari, et breviter confici posse arbitramur. In his autem recensendis, quo nos longioris laboris, nec omnino necessarii molestia curaque levaremus, ipsam canonum, ut jacent, seriem, potius quam rerum ipsarum nexum et ordinem sequi maluimus.

SESSIO 6. CAN. 20.

« Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad
» observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae,
» sed tantum ad credendum; quasi vero evan-
» gelium sit nuda et absoluta promissio vitae
» aeternae sine conditione observationis man-
» datorum; anathema sit ».

Ergo fidei dogma, hominem quantalibet etiam justitiae, sanctitatisve perfectione praeditum, teneri ad observantiam mandatorum non Dei solum, sed et Ecclesiae. Porro manifestum est neminem parendi necessitate obstringi, nisi erga eum, cui sit jus imperandi; sunt enim haec relata, quorum unum sine altero nec esse, nec intelligi potest. Ergo quo canone firmatur in subjectis obligatio parendi; eodem Ecclesiae asseritur potestas praecipiendi. Jam vero mandata Ecclesiae, prout a mandatis Dei secernuntur, pastorali praepositorum Ecclesiae auctoritate proxime nituntur; ut proinde sine catholici dogmatis injuria nequeat prorsus illis eripi auctoritas ea in ordine religionis constituendi ac praescribendi, quibus fideles omnes sive privati, sive magistratus obedire teneantur.

Sed et probe animadvertendum eorum etiam errorem damnari, qui christianam professionem una credendi obligatione metiuntur, et concludunt; quo patet a veritate longe abesse qui putant nullo christianae professionis detrimento posse disciplinam alienae potestati subjici, modo ea retineantur, quae ad dogmatum fidem pertinent; quasi non ad fidei dogma pertineret ea Ecclesiae auctoritas, quae praeter decretorum fidem, mandatorum obedientiam praescribit.

SESSIO 7.

De Sacramentis.

Can. 13.

« Si quis dixerit, receptos et approbatos Ec-
» clesiae catholicae ritus, in solemni sacramen-
» torum administratione adhiberi consuetos,
» aut contemni, aut sine peccato a ministris
» pro libito omitti, aut in novos alios per
» quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari
» posse; anathema sit ».

Ritus quos catholica Ecclesia in solemni sacramentorum administratione adhibet, constat humani plerosque instituti esse. Attamen anathemate percellitur quisquis dixerit eos ritus aut a ministris omitti, aut per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse. Quo satis intelligitur

(1) Quest'operetta fu dapprima pubblicata nel tomo XV. della collezione romana: dove si fa notare l'intento dell' A. contro le proposizioni 4, 5 del sinodo pistojese; e le precedenti confutazioni fattene da lui stesso *adversus Buehmerum* (sup. tomo preced. pag. 147 a segg.) e nella confutazione de' due libelli (ibid. pag. 352 e segg. e pag. 452 e segg.). D. A. M.

quosque singulares, ac superiori auctoritate obnoxios pastores, mutationis cujusque in eos inducendae facultate carere. Quod si nulla ipsis facultas inest, quoad ea quae ad solemnitatem tantum administrationis universali Ecclesiae instituto praescripta sunt;potiori sane ratione nihil eos posse arbitrandum est quoad ea, quae ex ejusdem Ecclesiae praescripto vim ipsam sacramentorum attingunt; velut impedimenta sunt, quibus interpositis nulla et irrita conjugia Ecclesia ipsa decrevit.

DE BAPTISMO.

Can. 8.

« Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab » omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae » vel scripta, vel tradita sunt; ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte » illis submittere voluerint; anathema sit ».

Ad leges disciplinae referuntur praecepta ista sive scripta, sive tradita, quibus baptizatos nullo discrimine teneri declarat sancta synodus.

Haud parum igitur a dogmatica tridentinorum patrum sententia secedere convincuntur, qui negant Ecclesiam posse jure suo leges disciplinae sancire, quibus christiana societas regatur, atque ad rectam piamque vivendi formam instituatur.

SESS. 13.

De sacrosancto Eucharistiae sacramento.

Can. 9.

« Si quis negaverit, omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos » discretionis pervenerint, teneri singulis an» nis saltem in Paschate ad communicandum, » juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; » anathema sit ».

Nemini catholico ullam hactenus dubitationem subortam puto, quin Ecclesia jure suo potuerit hanc annuae communionis legem fidelibus praescribere. Si jure suo ejus communionis tempus praefinire potuit; cur non aequo jure alia disciplinae capita pro locorum ac temporum opportunitate statuere, quae ad rectam christiani populi institutionem perinde conducunt? Quod si ea lege singuli quoque antistites ita tenentur, ut ea nec solvere se queant, nec efficere ut id statutum aut breviore intervallo urgeat, aut praescripto tempore non urgeat; quis non videat ejusdem plane rationis esse cetera universalis disciplinae capita, deque illis proinde valere quod superius est a Tridentino de ritibus constitutum, ut scilicet per quosvis pastores nec tolli, nec immutari valeant, nisi prout superiori auctoritate concessum illis fuerit?

SESS. 14. CAP. 7.

De casuum reservatione.

1. Docet s. synodus persuasum semper in ecclesia Dei fuisse, et verissimum esse confirmat, nullius momenti eam absolutionem esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.

2. Sanctissimis patribus nostris visum esse magnopere ad populi christiani disciplinam pertinere, ut atrociora quaedam crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur.

3. Merito pontifices maximos pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare.

4. Nec dubitandum esse quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate.

5. Hanc delictorum reservationem, consonum esse divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Quod insuper confirmatur can. XI.

Declarat itaque sancta synodus summum pontificem in universa Ecclesia, episcopos vero in sua quemque dioecesi posse aliquas criminum graviores causas suo peculiari judicio reservare: hanc autem casuum reservationem prohibere, quominus inferior vere absolvat.

De potestate quidem summi pontificis fidei dogma est, primatus auctoritatem divo Petro a Christo collatam, divino jure in romanos pontifices Petri successores propagari; adeo ut christianos omnes, quemcumque in Ecclesia dignitatis gradum obtineant, necesse sit romano pontifici velut supremo Ecclesiae capiti subesse: quod fidei dogma doctissimus Bossuetius inter ceteros invictis plane argumentis adversus heterodoxos vindicavit. Cum ergo reservandi facultatem, quam in romano pontifice tridentina synodus agnoscit, eam aperte repetat a suprema potestate ipsi in universa Ecclesia tradita; hanc autem potestatem non ab episcopis, sed a Christo sibi traditam pontifex accipiat; liquido apparet a tridentinorum patrum mente, atque adeo catholica sentiendi ratione haud parum aberrare, qui profectam ab episcopis in romanum pontificum reservandi facultatem perperam existimant.

De potestate porro episcoporum in sua cujusque dioecesi, tametsi non desunt inter catholicos qui opinentur a Deo proxime, et *immediate*, ut vocant, manare jurisdictionis, qua pollent auctoritatem in sese spectatam; haud minus tamen consiai apud omnes ecclesiastici juris

esse dioecesum, quibus praesunt, designationem; adeo ut vel ipse Natalis Alexander tanquam certum exploratumque principium statuere non dubitaverit, dioecesum divisionem, subditorumque assignationem a romano pontifice pendere.

Jam vero exploratissimi juris est, ut qua auctoritate subditi traduntur, eadem retrahi ac subduci valeant: ex quo sequitur, ut qui singularibus episcopis ecclesiastico instituto subditi traduntur, eosdem valeat superior Ecclesiae auctoritas, si quidem graves causae urgeant, ab ipsorum regimine ex toto vel ex parte subtrahere; quod quotidie videmus in novorum episcopatuum erectione summa Ecclesiae approbatione usu venire. Contra nulla humana potestas romano pontifici subtrahere valet oves, quas ei universe divinoque jure pascendas ac regendas Christus commendavit.

Merito proinde tridentini patres reservandi facultatem primum ac praecipue in romano pontifice agnovere pro suprema, qua pollet in Ecclesia universa, potestate; deinceps etiam in episcopis pro potestate ipsis in assignatos greges tradita: ut quisque intelligere valeat, si ab his, quae sibi episcopus in sua dioecesi reservaverit, nemo inferior vere absolvit, nisi cui facultatem episcopus impertierit; multo potiori jure ab his, quae suo judicio pontifex reservare voluerit, neminem in tota Ecclesia posse absolvere, nisi qui absolvendi facultatem a pontifice impetraverit.

Atque hoc quidem valere imprimis oportet in eorum sententia, quibus placet parochorum jurisdictionem divino juri immediate acceptam referre. Nam tametsi parochus, ut isti opinantur, accepta divinitus jurisdictione polleat; quia tamen haec jurisdictio superiori episcopi auctoritati subest, haud valet a criminibus absolvere, quorum sibi cognitionem et absolutionem episcopus reservavit: sic etiam, quamtumvis cui placeat episcoporum jurisdictionem a Deo immediate repetere; quia nihilominus semper constat hanc jurisdictionem superiori primatus auctoritati divinitus subjectam esse, non magis a singulari quovis episcopo solvi poterunt, quae fuerint a Petro ligata, quam solvere queat parochus, quae suus episcopus ligaverit.

CAN. 8.

De sacramento Poenitentiae.

« Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem.... aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christifideles, juxta magni concilii lateranensis constitutionem, semel in anno....; anathema sit ».

Error in fide, si quis dixerit fideles lateranensis concilii constitutione non teneri, qua obeundae confessionis ex Ecclesiae praescripto tempus annuum praefinitur. Hujus porro cursus, seu intervalli aut contrahendi, aut deducendi potestatem Ecclesia ipsa numquam in singularibus episcopis agnovit; quatenus venia episcopi tempus annuae confessionis ultra praescriptum prorogari, aut episcopi jussu ad brevius intervallum cogi fideles valeant. Quo magis etiam confirmatur, universalis Ecclesiae leges, tametsi ad meram disciplinam spectantes, non solum a plebe, aut ab his qui plebi praesunt, sed nec a singularibus episcopis relaxari posse, nisi prout suprema ecclesiastica potestas eis indulserit.

SESS. 21.

Doctrina de Communione sub utraque specie, et parvulorum.

Cap. 2.

Hoc toto capite mirifice comprobatur Ecclesiae proprium, atque ab omni alia potestate immune jus, omnia alia in sacramentorum dispensatione (salva illorum substantia) statuendi et immutandi, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire judicaverit. Qua potestate utens consuetudinem pridem inductam sub altera specie communicandi tridentina synodus approbavit, ac pro lege habendam decrevit, nonnisi Ecclesiae auctoritate, quandocumque opus foret, mutandam.

SESS. 22. CAP. 8.

De Missa, vulgari lingua passim non celebranda, et mysteriis ejus populo explicandis.

Expedire patribus visum non est, ut missa vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a sancta romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, mandat curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem aliquid exponant ex iis, quae in missa leguntur.

Quo loco primum hoc est animadvertendum, oecumenicae synodi sententia non alios ubivis gentium retinendos in sacramentis administrandis ritus, quam qui fuerint ab omnium Ecclesiarum matre et magistra, sancta romana Ecclesia probati.

Deinde, si nulla episcopis mutandi aut jure suo relaxandi facultas inest in ritibus ad sacramentorum administrationem pertinentibus, tametsi nec ubique nec semper haec relaxandi facultas reservata legatur; idem sane, eademque ratione valere oportet de ceteris quibusque universalis disciplinae capitibus: uti constare omnino debeat, quod jam Thomassinus ex communi canonistarum sententia probe jam notavit, nihil in his, non secus atque in ritibus,

episcopos posse, nisi prout superiori auctoritate concessum ipsis fuerit, seu legitima consuetudine, quae tacitam saltem superioris auctoritatis approbationem seu patientiam contineat ac praeseferat.

SESS. 23.

De ecclesiastica hierarchia, et ordinatione.

Cap. 4.

« Docet sacrosancta synodus, in ordinatione » episcoporum, sacerdotum, et ceterorum ordi» num, nec populi, nec cujusvis saecularis po» testatis, et magistratus consensum, sive vo» cationem, sive auctoritatem ita requiri, ut » sine ea irrita sit ordinatio: quin potius de» cernit, eos, qui tantummodo a populo, aut a » saeculari potestate, ac magistratu vocati et » instituti ad haec ministeria exercenda ascen» dunt, et qui ea propria temeritate sibi su» munt; omnes non Ecclesiae ministros, sed » fures et latrones, per ostium non ingressos, » habendos esse.

Can. 7. « Si quis dixerit..... aut eos qui nec » ab ecclesiastica, et canonica potestate rite or» dinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, le» gittimos esse verbi, et sacramentorum mini» stros; anathema sit ».

Can. 8. « Si quis dixerit, episcopos, qui au» ctoritate romani pontificis assumuntur, non » esse legitimos et veros episcopos, sed figmen» tum humanum; anathema sit ».

Declarat itaque s. synodus non esse legitimos verbi, et sacramentorum ministros, qui ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, missique non fuerint: hanc autem legitimam ordinationem missionemque a nulla sive populi, sive saecularis potestatis vocatione, sive auctoritate pendere: legitimos tandem ac veros episcopos universe habendos, quicunque nulla etiam invocata saeculari potestate a romano pontifice assumuntur: qui secus dixerint, eos velut a catholico dogmate alienos anathemate perstringit.

Hinc porro liquet nullum plane nullius ecclesiastici ministerii, nimirum sacerdotii, sive beneficii, legitime computem fieri posse, aut legitime sacerdotii cujusvis, aut beneficii functiones et munera obire, nisi qui ad id sacerdotium, beneficiumque ecclesiastica et canonica potestate rite assumatur: nullius proinde roboris ac momenti futura, quaecunque in gerendo ministerio, benificiove statuerit, fecerit, praestiterit, quisquis legitimam ejusmodi ecclesiasticam et canonicam vocationem, ordinationem, missionemque adeptus non fuerit. Etenim quod beneficii ecclesiastici naturam, vimque maxime continet, constituitque, spirituale est imprimis officium ac ministerium, ad quod illud est institutum; quo fit, ut quisquis beneficium Ecclesiasticum adipiscitur, eo ipso minister Ecclesiae constituatur. Vetat autem tridentina sanctio, ne veluti legitimi ministri habeantur, qui ad ministeria sine canonica vocatione, ac missione ascendunt: quin potius, cum hac una pateat aditus ad ostium; qui aliunde irruunt, velut fures et latrones habendos decernit.

Hujus ecclesiasticae, canonicaeque missionis necessitas maxime se prodit in eorum sententia, qui multa disserunt, nec tamen satis explicata et distincta, quibus persuadeant ex vetustioris disciplinae norma beneficii adeptionem non fuisse olim ab ordinatione disjunctam. Quo posito inficiari non possunt ejus esse potestatis beneficium dare, cujus est ordinem conferre. Nusquam porro dubitatum est, nec istl dubitare videntur, quin ordinum ministrandorum potestas penes Ecclesiae antistites juxta hierarchicae constitutionis institutum ac praescriptum resideat.

SESS. 24.

De sacramento Matrimonii

Can. 3. et 4. apertissime confirmatur Ecclesiae potestas, cum in constituendis, tum in dispensandis matrimonii dirimentibus impedimentis. Equidem Zegerus ipse Van Espen non diffitetur definitum fuisse a Tridentino, Ecclesiam posse impedimenta matrimonium dirimentia constituere; tantummodo vero Tridentinum, subjungit, non definivisse, utrum id Ecclesia possit jure proprio, an potius expressa vel tacita principum indulgentia. Verum hoc loco merito desideratur prudentia Zegeri, qui dubitandi causam quaerat in re minime dubia. Definitum est a tridentina synodo oecumenica, estque adeo fidei dogma, Ecclesiam *posse* constituere impedimenta matrimonium dirimentia. Quidquid autem dogma fidei est, id babet certam, perpetuam, incommutabilem veritatem; repugnatque idipsum de vero in falsum commutari: nam fidei dogma perpetuo credendum est, et quod perpetuo credendum est, perpetuo verum esse oportet; siquidem fide divina nonnisi verum creditur, nec fidei divinae falsum subesse potest. Itaque quod a Tridentino definitum est fidei dogma, Ecclesiam constituere *posse* impedimenta matrimonium dirimentia, nunquam desinet esse catholica veritas, nec ullum futuris aetatibus tempus incidet, quo catholicus fide divina id credere non debeat; semperque adeo verum erit dicere: Ecclesia *potest* statuere impedimenta matrimonium dirimentia. Jam vero si hac potestate Ecclesia non proprio nativoque jure polleret, sed expressa vel tacita principum indulgentia, consequens esset, ut quoties principibus eam suam indulgentiam revocare ac retraere liberet, indulta sibi ab ipsis potestate

Ecclesia desilueretur: posseique adeo tempus incidere, quo non amplius verum esset Ecclesiam *posse* impedimenta statuere, matrimonium dirimentia; et quod, vel cogitatu horrendum, mentitus dicendus esset Spiritus Sanctus, cum per tridentinos patres fidei caput perpetuo credendum sanxisset, quod de vero in falsum commutari posset: nec adeo perpetuo verum esset, quod perpetuo credendum esset.

Can. 6. « Si quis dixerit matrimonium ratum, » non consumatum, per solemnem religionis » professionem alterius conjugum non dirimi; » anathema sit ».

Can. 9. « Si quis dixerit, clericos in sacris » ordinibus constitutos, vel regulares castita- » tem solemniter professos, posse matrimonium » contraere, contractumque validum esse, non » obstante lege ecclesiastica, vel voto ..... » anathema sit ».

Igitur haec vis est legis ecclesiasticae, ut qui sunt sacris ordinibus initiati, nuptiarum foedera valide contraere nequeant. Quod si ex consensu expresso vel tacito saecularis potestatis lex ista ecclesiastica vim suam mutuaretur; quotiescunque revocaretur ille consensus, vis ipsa ecclesiasticae legis prorsus concideret; nihilque jam obstaret quominus sacris ordinibus initiati clerici valide matrimonium contrahere possent, contractumque ab ipsis validum haberetur, et esset; concideretque adeo, quod et cogitatu nefas, irritumque redderetur dogmaticum Tridentini decretum, quo anathemate percellitur quisquis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, non obstante lege ecclesiastica posse matrimonium valide contrahere, contractumque validum esse.

Pariter si solemnis voti religio saecularis magistratus auctoritati subesset, semperque in omni voti nuncupatione tacita haec conditio inesset, quoad et quamdiu principi placuerit; falsum etiam aliquando evadere posset, aut per solemnem religionis professionem matrimonii rati, non consummati vinculum dirimi, aut non obstante voto regulares castitatem solemniter professos posse valide conjugia inire. Perperam vero quisquam hic objiceret summi pontificis venia quandoque fieri, ut in sacris ordinibus constituti conjugia nihilominus rite ineant. Nil sane in hac venia occurrit, quod cum tridentinis sanctionibus non aptissime consentiat. Nota est solemnis testatio, quam tridentini patres sess. 25. cap. 21. declararunt, omnia et singula sub quibuscumque clausulis et verbis, quae de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in sacro concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas sedis apostolicae et sit, et esse intelligeretur. Quo posito proclive est intelligere: quae per ecclesiasticam legem sic nulla et irrita redduntur, ut stante ecclesiastica lege fides catholica non patiatur ea pro ratis ac firmis haberi; illa eadem, relaxato pontificis auctoritate legis ecclesiasticae vinculo, jam rata et firma consistere. Qua in re, ut patet, ubi est, quod minimam repugnantiae speciem praeseferat.

In eo vero quod tridentini patres salvam in omnibus apostolicae sedis auctoritatem et esse, et intelligi voluerint, non sane novum, prout a nonnullis (qui dum eruditi videri volunt, suam saepe produnt inscitiam) insinuatum est; non, inquam, novum in Ecclesia exemplum intuierunt, sed majorum traditionem et sententiam secuti sunt. Quod cum aliis monumentis, tum maxime liquet celebri decretali epistola Innocentii I. ad Victricium rotbomagensem episcopum: in qua illa eadem formula eisdem pene verbis expressa legitur cap. 3. « Nec alicui liceat, sine praejudicio tamen ro- » manae Ecclesiae, cui in omnibus causis de- » bet reverentia custodiri ec. ». Aliunde notum vel in ipsa basileensi synodo sic agitatam in romano pontifice, veint jure divino primatui cobaerentem, dispensationis Epikeiam, ut ab eo auferri nequeat. Qui autem conveuit, ut qui basileensi synodo nihil non tribuunt, a romano pontifice conentur auferre, quod ei velut jure divino primatus singulariter tributum, ab ipso non posse auferri synodus ipsa professa est?

Quod demum attinet ad solemnis voti relaxationem, nusquam in Ecclesia auditum est eam, praeterquam romano pontifici, unquam alteri cujuscumque gradus antistiti competere posse.

TRATTATO

DEL

MATRIMONIO

O SIA

CONFUTAZIONE DE' SISTEMI CONTRARJ ALL' AUTORITÀ DELLA CHIESA CIRCA IL MATRIMONIO (1).

DISCORSO PRELIMINARE.

Abusando i novatori del doppio aspetto, sotto cui suole il matrimonio riguardarsi, or come contratto, ed or come sacramento; insidiosamente se ne valgono per far apparire nell' union conjugale una tale separazione tra *l' essere* di contratto, e *l'essere* di sacramento, che mostrando voler lasciare alla Chiesa tutto ciò, che può spettare alla ragion di sacramento, si fanno lecito di togilerle ogni diritto, ed inspezione sulla unione conjugale, che si forma per via del contratto; ed in conseguenza sulla validità, o invalidità, sulla sussistenza, o insussistenza del vincolo, che ne risulta.

8. Hinc et specialis ordo providentiae erga rationalem creaturam, de quo multa praeclare s. Th. l. 3. cont. Gent. cap. 3. et 113: absit autem, ut quod ordini divinae providentiae ex aliqua decentiae ratione congruere intelligitur, illud creaturae ipsi debitum dicatur, quasi *prior ille acceperit.*

SCHOL. Abest sane ab instituti nostri ratione plurimum, improbari quidquam a nobis eorum, quae de *statu naturae purae* in scholis catholicis, nulla Ecclesiae improbatione palam disputantur: absint modo, penitusque facessant proscripti errores Baij, Quesnelliive: « Integritatem sci» licet primae creationis, immortalitatemve » primi hominis, non falsae gratiae beneficium, » sed naturalem hominis conditionem: huma» nae naturae sublimationem, et exaltationem » in consortium divinae naturae, debitam fuis» se integritati primae conditionis, et proinde » naturalem dicendam esse, non supernatura» lem: gratiam Adami sequelam creationis fuis» se, debitam naturae sanae et integrae, quae» que non produceret, nisi merita humana ». Sane doctissimus Norisius (Vindic. Aug. col. 923.) ad propositionem 55. Baij: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, notat damnatam eam esse respective ad propositionem 27. quae est: *Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Additque: « Quasi subjectio concupiscentiae » non fuerit ex dono Creatoris, sed ex exigen» tia naturali humanae substantiae, tanquam » propria passio ejusdem, quod falsum est. Nam » haec duo distinguenda sunt: concupiscentiae » subjectionem datam homini ex exigentia rei » creatae: vel ex pura pula decentia. Primum » enim negatur. Alterum a nobis asseritur, et hoc » patet ex Augustino scribente lib. 3. cont. Ju» lian. c. 11. *In natura hominis ante peccatum » pacem decebat esse, non bellum* ».

Certe non aliud bonum cuique naturae proprie debitum dici potest, quam quod naturali ejus *exigentiae*, seu conditioni respondet. Proinde si integritas primi hominis, ejusdemque sublimatio *ex dono Creatoris* profluxit, non ex *naturali exigentia humanae substantiae*, neutra proprie debita fuit. Nec vero ad inducendum ejusmodi debitum valet, quod utramque decuerit in prima creatione homini conferri; quippe longe abest a ratione veri debiti, quidquid merae tantum decentiae refertur acceptum. Nemo negaverit, decuisse Deum id facere, quod a Deo revera factum est; nec tamen inde consequens est, non potuisse Deum aliter facere, quam fecit. Sane hoc ipso quod mundus a Deo creatus est, recte inferes, decuisse Deum, ut mundum crearet: nec enim creasset, nisi decuisset. Minime vero fas est inferre, fieri haud potuisse, quin mundum Deus conderet. Ita plane, licet vere decuerit hominem ad finem supernaturalem ordinari, quod facto ipso comprobatur, minime inde sequitur, haud potuisse Deum hominem condere iis tantum dotibus instructum, quae naturali ejus conditioni responderent. Quo in statu hominis beatitudo ea summi boni, seu Dei cognitione et adeptione con

tineretur, quae naturalem hominis facultatem, naturalibus etiam auxiliis adjutam non excederet: e qua major adhuc felicitas haberetur, quam, quantam vel cogitando philosophi effingere, aut adumbrare unquam potuerint. Quin et ipse Augustinus certam quamdam beatitudinis rationem agnoscit, quam a plenitudine beatitudinis (quae beatifica visione continetur) apertissime distinguit. Quippe lib. de corrept. et grat. n. 27. « Diabolus vero, ait, et Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, et » se in miseriam casuros esse nesciebant; erat » tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate » stetissent, donec istam summae beatitudinis » plenitudinem,tanquam praemium ipsius per» mansionis acciperent ». Hinc si propter eam decentiam, de qua superius dictum est, divinae providentiae ordini maxime consentaneam, praestantes non desunt theologi, qui statum naturae purae impossibilem dicere non dubitaverint; id eo sensu ab his dictum intelligi par est, quem a Norisio supra expositum vidimus: non quasi talis status vel Dei potentiae, vel hominis naturae absolute repugnet; cum et Augustinus lib. 3. de libero arbitrio c. 12. contra manichaeos professus sit, et lib.1.Retract.c.9. senex confirmaverit,quamvis ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia;nec sic culpandum, sed potius laudandum Deum fuisse: sed eo sensu, quo divinae providentiae ordini, ut dictum est, minus congruere intelligitur; sensuque adeo a Baij, Quesnelliive erroribus alienissimo.

Quin et spectata praesenti providentia, recto sensu dici potest, impossibilem effectum esse statum naturae purae. Supposito quippe decreto, quo Deus decrevit hominem ordinare ad finem supernaturalem, impossibilis evadit status, qui cum decreta ordinatione conciliari non potest: sed simul patet, impossibilitatem ex decreto, non excludere possibilitatem ex natura rei. Praeclara omnino sententia d. Th. l. 4. cont. Gent. cap. 52. « Si quis recte consi» deret, satis probabiliter poterit aestimare, » divina providentia supposita, quae singulis » perfectionibus congrua perfectibilia conpta» vit; quod Deus superiorem naturam inferiori » ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur; et si » quod hujus dominii impedimentum ex defectu » naturae contingeret, ejus speciali, et super» naturali auxilio tolleretur etc. ». His persequendis angelici praeceptoris vestigiis tuti progrediemur inter extrema; idque cavebimus, ne quibus muneribus humanam naturam pro divinae providentiae suavitate, in prima conditione augeri decuisse rectissime dicitur; ea munera in solidum, quasi summo jure debita, potius quam ex liberali Dei largitate accepta existimentur: ne dum plus aequo naturae praestantiam extollere satagimus, gratuitum prorsus divinae gratiae in omni statu beneficium imminuere ultro, extenuareque videamur.

9. Ad hanc specialem providentiam pertinebat, ut consentaneas Deus leges daret hominibus; quibus ad praestitutum finem rite dirigerentur, ac simul divinitus patefacta religione, gratum Deo cultum sancte praestare docerentur. Hinc s.Th. primo ingressu in eam Summam, quae perfectam, numerisque omnibus absolutam christianae disciplinae institutionem continet, (1. p. q. 1. art. 1.) necessitatem eruit, ac demonstrat scientiae divinitus inspiratae: « Quia, inquit, homo ordinatur ad Deum, sicut » ad quemdam finem, qui comprehensionem » rationis excedit, secundum illud Isaiae 64. 4. » *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae prae» parasti diligentibus te.* Finem autem oportet » esse praecognitum hominibus, qui suas inten» tiones, et actiones debent ordinare in finem. » Unde necessarium fuit homini ad salutem, » quod ei nota fierent quaedam per revelatio» nem divinam, quae rationem humanam ex» cedunt ». Quemadmodum igitur hominis ordinatio in visionem beatificam, velut ultimum finem, revelationis necessitatem comprobat; sic vicissim necessitas revelationis naturalem intelligentiam prorsus excedentis, plane conprobat, ex naturali hominis conditione non prodire ordinationem illam, quae supernaturale revelationis subsidium exposcebat.

10. Proinde cum, ut dictum est, Dei perfecta sint opera, simul atque Deus hominem condidit, non solum dotibus eum omnibus ad conditionem illius naturae pertinentibus instruxit, verum et supernaturalibus donis auxit, et in superiori revelatae religionis ordine constituit.

11. Sane rectitudinem primi hominis donum gratiae fuisse docet s. Th. 1. p. q. 95. art. 5. his verbis: « Manifestum est, quod illa prima » subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat » solum secundum naturam, sed secundum su» pernaturale donum grattae ». Quod confirmat auctoritate Augustini *de Civit. Dei* lib. 13. cap. 13. ajentis: « Postquam praecepti facta trans» gressio est,confestim gratia deserente divina, » de corporum suorum nuditate confusi sunt. » Senserunt enim motum inobedientis carnis » suae, tanquam reciprocam poenam inobedien» tiae suae ». Ex quo merito infert s. Th.: Si deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, per gratiam effectum esse, ut ante peccatum subderetur animae caro. Nil proinde magis abhorret a mente Augustini,quam ut ad naturalem conditionem referatur, quod ipsemet Augustinus gratiae dono refert acceptum.

12. Eodem spectat doctrina sancti Thomae de primo statu Angelorum 1. p. q. 62. art. 2. « Angelum indiguisse gratia, ut converteretur » ad Deum, qualenus est beatificans per suae » essentiae visionem ». Et art. 4. « Beatitudo » ultima excedit naturam angelicam, et huma» nam, ut ex dictis patet: unde relinquitur,

» ut tam homo, quam Angelus suam beatitu-
» dinem mererent ... Actus vero non potest es-
» se meritorius secundum quod est ex libero
» arbitrio, nisi in quantum est gratia infor-
» matus ». Et q. 63. art. 3. exponens, quemadmodum Diabolus peccavit appetendo esse sicut Deus: « Sed in hoc appetiit indebite esse simi-
» lis Deo, quia appetiit, ut finem ultimum
» beatitudinis id, ad quod virtute suae naturae
» poterat pervenire, avertens suum appetitum
» a beatitudine supernaturali, quae est ex gra-
» tia Dei: vel si appetiit ut ultimum finem il-
» lam Dei similitudinem, quae datur ex gratia,
» voluit hoc habere per virtutem suae naturae,
» non ex divino auxilio secundum Dei disposi-
» tionem ».

13. Idem perspicue docet Augustinus de correpl. et grat. n. 29. et seq., ubi disserens de gratia utriusque status, nimirum status naturae innocentis,et status naturae per Christum reparatae, ait: « Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam?
» Immo vero habuit magnam, sed disparem».
Disparem dicit, non quasi una gratuita esset, non item altera; sed quod unam aliera potentiorem agnoscat. Scilicet, inquit n. 31. « Istam
» gratiam non habuit homo primus, qua nun-
» quam vellet esse malus: sed sane habuit, in
» qua si permanere vellet, nunquam malus es-
» set; et sine qua etiam cum libero arbitrio
» bonus esse non posset, sed eam tamen per
» liberum arbitrium deserere posset. Nec ip-
» sum ergo Deus esse voluit sine sua gratia,
» quam reliquit in ejus libero arbitrio ». Non ergo ex libero arbitrio, aut ex naturali hominis conditione profluebat ea gratia, qua muniendae fuerunt naturales vires, juvandum liberum arbitrium, ut homo permanere in bono posset.

14. Concilium etiam arausicanum II. can. 19. « Natura humana, etiamsi in illa integrita-
» te, in qua est condita, permaneret; nullo
» modo seipsam, Creatore suo non adjuvante,
» servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem
» non possit custodire, quam accepit; quomo-
» do sine gratia Dei poterit reparare quam
» perdidit? » Quae sententiae sive Augustini, sive arausicani concilii, plane conficiunt supernaturalem omnino fuisse gratiam, quae primo homini collata est; sine qua custodire salutem non posset, quam acceperat; et in qua si stetisset, summae beatitudinis plenitudinem, tamquam ipsius permansionis proemium acciperet, sicut acceperunt Angeli, qui stetere. An porro dicemus, nonnisi merita humana produxisse gratiam ejusmodi, per quam adipisci homo poterat, et reapse, auctore Augustino, Angeli boni summae beatitudinis plenitudinem adepti sunt? Non minus ergo a mente Augustini, quam a doctrina Ecclesiae aberrat vigesima quarta propositio Quesnelii: *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

15. Itaque non aliunde, quam ex ordine illo, qui divinae providentiae suavitatem maxime decebat, praeclara illa petenda sunt gratiarum ornamenta, quae in statum innocentiae cumulatissime collata esse sacrae litterae testantur. Quo fiebat, ut corpus animae, vires inferiores rationi, ratio ipsa Deo esset ordinatissime subdita. Hanc porro integritatem seu rectitudinem donum Dei fuisse liquet ex dictis.

16. *Deus mortem non fecit.* (Sap. 1.) *Et per peccatum mors.* (Rom. 5.) Erat nimirum integritas illa radix immortalitatis in homine. Sic enim Deus hominem fecerat, ut quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret. Tamen, (prout s. Th. 1. p. q. 97. art. 1.) « Non cor-
» pus ejus erat indissolubile per aliquem im-
» mortalitatis vigorem in eo existentem; sed
» inerat animae vis quaedam supernaturaliter
» divinitus data, per quam poterat corpus ab
» omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa
» Deo subjecta mansisset. Quod rationabiliter
» factum est, quia enim anima rationalis exce-
» dit proportionem corporalis materiae, ut su-
» pra dictum est; conveniens fuit, ut in prin-
» cipio virtus ei daretur, per quam corpus
» conservare posset supra naturam corporalis
» materiae ». His apprime consentanea sunt, quae scribit Augustinus de Gen. ad. lit. l. 6. n. 36. « Illud quippe (corpus) ante peccatum,
» et mortale secundum aliam, et immortale
» secundum aliam causam dici poterat: id est
» mortale, quia poterat mori, immortale quia
» poterat non mori. Aliud est enim non pos-
» se mori, sicut quasdam naturas immorta-
» les creavit Deus: aliud est posse non mori,
» secundum quem modum primus creatus est
» homo immortalis, quod ei praestabatur de
» ligno vitae, non de constitutione naturae: a
» quo ligno separatus est, cum peccasset, ut
» posset mori; qui, nisi peccasset, posset non
» mori. Mortalis ergo erat conditione corpo-
» ris animalis,immortalis autem beneficio Crea-
» toris ».Annon videtur Bajus sententiam simul, et verba sancti doctoris refutare voluisse illa sua 78. damnata propositione: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio?* Vid. Sylv. in laudatam quaest. s. Th. art. 4.

17. Supernaturale quoque divinae revelationis beneficium sapienter notavit Augustinus in illo mysterii pleno sopore, quem immisit Deus in Adam. « Ac per hoc etiam (de Gen. ad litt.
» l. 9. n. 36.) illa exstasis, quam Deus immi-
» sit in Adam, ut soporatus obdormiret, recte
» intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mens
» per exstasim particeps fieret tanquam ange-
» licae curiae, et intrans in sanctuarium Dei
» intelligeret in novissima. Denique evigilans
» tanquam prophetiae plenus, cum ad se ad-
» ductam costam, mulierem suam videret,
» eructavit continuo, quod magnum sacramen-
» tum commendat Apostolus: *Hoc nunc os ex*
» *ossibus meis etc.* ». Unde et s. Th. 2. 2. q. 2.

art. 7. « Ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem, et resurrectionem: quia homo non fuit praescius peccati futuri ». Et sane, ut ibidem docet angelicus praeceptor: « Via hominis venienti ad beatitudinem est mysterium incarnationis, et passionis Christi: dicitur enim act. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et ideo mysterium incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen secundum diversitatem temporum, et personarum ». Quo etiam confirmatur, supernaturali revelatione niti religionis ordinem, qua homo ad supernaturalem beatitudinem ordinatur. Quis etenim dixerit, ad naturalem hominis conditionem pertinuisse mysteriorum cognitionem, qua imbutus est Adam in statu innocentiae? Quae mysteria utpote quae naturalem omnem facultatem superant, non nisi supernaturali manifestatione innotescere potuerunt.

SCHOL. Ex pervagata in Adae posieros promissione, ipsi post lapsum facta, potuere homines, divina opitulante gratia, seu etiam peculiari quodam divino instinctu, fidem eam saltem implicitam in Redemptorem futurum concipere, quae ad salutem iis quoque necessaria fuit, qui sub lege naturae vixere.

18. *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas.* Gen. c. 2. v. 17. Non omni ergo praecepto positivo caruit status innocentiae. Pulchre Augustinus (de Gen. ad litter. l. 8. c. 6.) « Oportebat, inquit, ut homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virius esset ipsa obedientia ». Et post pauca: « Non esset ergo, unde se homo Dominum habere cogitaret, atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur ». Hoc nempe interdicto abstinendi ab illius unius arboris fructu, veiut infixo ad perpetuam rei memoriam monumento, admonebatur Adam, ut cum inferioribus naturis omnibus dominaretur, semper tamen meminisset, se servum illius esse, cujus beneficio reliqua sibi omnia subjecta fuerant, prout etiam notat Augustinus de *Civit. Dei* l. 14. c. 15.

19. Et quidem ex hactenus dictis colligitur, Adamo infusum fuisse donum fidei, qua revelatis crederet; infusam gratiam sanctificantem, qua mereri posset; collatum insuper actualis gratiae adjutorium, quo permanere posset in bono, si vellet.

20. Sic itaque sancta religio, qua pius Dei cultus continetur, fuit auctore Deo ab initio constituta, ut superna revelatione, ac lege uteretur, perennique Dei influxu regeretur. Ut proinde augusto isto religionis nomine indigna plane sit quaecunque alia colendi numinis ratio, quae ex humano arbitratu, non ex divino praescripto, institutaque a Deo auctoritate pendeat.

21. Utrum autem gratia Angelo et homini innocenti collata fuerit ex praevisis Christi meritis; et utrum gratiae adjutorium pro eo statu efficax, necne vi sua fuerit, disputant in utramque partem theologi. Ceterum nefas dubitare, quin Christus caput sit non hominum tantum, sed et Angelorum. Quippe (ad Colos. t.) « Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt». Et ad Ephes. I. « Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dextram suam in coelestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur ».

SCHOL. Ex his quae de revelatione Adamo facta mysterii incarnationis a sanctis doctoribus Augustino, et Thoma tradita paullo ante accepimus, conjectura forte non omnino improbabilis capi posse videtur ad aliquam quaestionis ejus explicationem, quae in scholarum disputatione versatur, utrum gratia, quam in statu innocentiae Deus contulit, per Christum, et ex meritis Christi collata fuerit. Certe Augustinus non dubitavit, quin divinitus Adae patefactum fuerit incarnationis mysterium. Sanctus vero Thomas haec duo confirmat, et fidem aliquam incarnationis omni tempore necessariam fuisse, et hac fide primum hominem, nec tantum implicita, sed et explicita imbutum fuisse. Enim vero cum in omne tempus valeat Apostoli sententia, *sine fide impossibile esse placere Deo*, omni sane tempore congrua rerum earum fides necessaria fuit, quae per sese ac directo pertinent ad fidem. Quae porro haec sint praeclare declarat sanctus doctor 2. 2. q. t. art. 6. « Quia vero, inquit, fides principaliter est de his, quae videnda speramus in patria, secundum illud Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum;* ideo per se ad fidem pertinent illa, quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut sunt tres personae Omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, et alia hujusmodi ». Et art. 8. « Dicendum, quod sicut dictum est (art. 4. et 6. huj. quaest.), illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita aeterna perfruemur, et per quae ducemur ad vitam aeternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum divinitatis, cujus visio nos beatos facit, et mysterium humanitatis Christi, per

» quod in gloriam filiorum Dei accessum ha-» bemus ». Ex his principiis aptissime mo-re suo concludit q. 2. art. 7., fidem incarnationis omni tempore, atque in omni statu fuisse de necessitate salutis. « Dicendum, quod, si-» cut supra dictum est (art. 5. huj. quaest. et » quaest. 1. art. 8.), illud proprie, et per se per-» tinet ad objectum fidei, per quod homo bea-» titudinem consequitur. Via autem homini-» bus veniendi ad beatitudinem est mysterium » incarnationis, et passionis Christi: dicitur e-» nim Act. 4: *non est aliud nomen datum homi-» nibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et ideo » mysterium incarnationis Christi aliqualiter » oportuit omni tempore esse creditum apud » omnes; diversimode tamen, secundum diver-» sitatem temporum, et personarum ». Tum sese referens ad statum innocentiae, subjicit: « Nam » ante statum peccati homo habuit explicitam » fidem de Christi incarnatione, secundum quod » ordinabatur ad consummationem gloriae, non » secundum quod ordinabatur ad liberationem » a peccato per passionem et resurrectionem: » quia homo non fuit praescius peccati futu-» ri ».

Sic igitur jam in ipso innocentiae statu homo in Christum credidit, immo et credere debuit, velut in eum, per quem ordinatus erat ad vitam aeternam; per quem unum accessum habere poterat in gloriam filiorum Dei, et paratam filiis Dei beatitudinem consequi. Jam vero perspicuum est, eatenus Christo convenire, ut sit via ad beatitudinem, ac per eum homo ducatur ad vitam aeternam; quatenus intuitu Christi, et ex meritis Christi gratia confertur, qua homo accessum habet ad gloriam filiorum Dei, et beatitudinem consequitur. Hoc ipso igitur, quod in statu innocentiae homo crederet in Christum, velut in viam qua ducendus erat ad vitam aeternam; hoc ipso, inquam, profitebatur, ex meritis Christi obvenire gratiam, qua pateret accessus ad gloriam filiorum Dei, indeque aditus ad vitam aeternam consequendam.

Aliunde fides viva sejuncta esse nequit a spe, et charitate. Si ergo fide viva homo innocens credebat in Christum; certe illum spe, et charitate colebat. Quam autem, spem charitate formatam, in Christo collocatam habere potuisset, nisi ab eo, et per eum beneficia illa divinae largitatis expectasset, per quae homines ducuntur ad vitam?

Neque vero inde futurum est, sublatum iri discrimen inter gratiam primi status, et gratiam medicinalem status naturae lapsae, ac per Christum reparatae. Quippe huic retinendo discrimini satis apte accomodari potest quod cl. card. Gotti de utriusque status discrimine statuit (Tract. IV. de scientia, Dei quaest. 4. dub. 8. §. 3.) quoad efficacitatem gratiae ab intrinseco; quam tamen pro utroque statu graviter, copioseque defendit: « Discrimen ergo, » inquit, inter hominem lapsum et saucium, » ac hominem integrum et sanum, et Ange-» los, non in eo situm est, quod homo saucius » egeat adjutorio, quoad perseverandum, ho-» mo autem sanus, et Angeli eo non indigue-» rint; sed in hoc, quod homo saucius egeat » adjutorio sanante vulnus; homo autem sanus, » et Angeli tali adjutorio non indiguerint ». Et post multa in eamdem sententiam egregie disputata: « Ex quo concludo, differentiam gra-» tiae efficacis in utroque statu sumi potius » penes extrinsecum, nempe subjectum; quam » penes intrinsecum, ipsam nempe gratiae ef-» ficacis naturam ». Quidni ergo et gratia Christi, quae homini juvando in statu innocentiae data est, tum demum medicinalis gratiae vim ac rationem habuerit, cum sanando vulneri per peccatum inflicto adhibenda fuit?

Nec et istud sequitur, hominem redemptum jam dici debuisse, dum etiam in statu maneret innocentiae. Nam redemptus proprie non dicitur, nisi qui facto vel debito servituti sit obnoxius. Porro neutro modo innocens homo servituti peccati subjacebat. Quamquam ergo ex meritis Christi collata fuerit gratia, sive qua est primum in justitia constitutus, sive qua permanere posset, si vellet; non inde fit, ut jam redemptus dici debuerit, qui nullo adhuc servitutis nexu tenebatur. Quae quidem sic dicta velim accipi, non quasi comperti quidquam in ancipiti quaestione afferre confiderem; sed quod ea, quae se scribenti obtulere, omni deposito certandi animo, sapientiorum judicio subjicienda potius, quam tacenda penitus, et obruenda duxerim.

II.

DE NATURA

PER PECCATUM VITIATA.

22. *Homo cum in honore esset, non intellexit* (Ps. 48.). Ex illo nempe altissimo dignitatis gradu, in quo primum Deus hominem collocarat, culpa ille sua eo ipso excidit, quo a Dei obedientia descivit. Hinc natura humana in origine vitiata fuit; nec solum spoliata supernaturalibus donis, sed in deterius secundum corpus, et animam mutata.

23. *Sic per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5.). Quo firmissime tenendum, juxta traditionem Ecclesiae, non mortem tantum corporis, quae poena peccati est, sed et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus transiisse.

24. *Quocirca hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium* (Trid. sess. 5). Suo tamen decreto beatam, et imma-

culatam virginem dei genitricem Mariam comprehendere haud intendisse tridentina sacra synodus apertissime declaravit. De hac nimirum sanctissima Virgine praeclara extat Augustini sententia (de nat. et grat. c. 36.), qua profitetur *propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi velle quaestionem*. Quam generalem sententiam ad peccata dumtaxat actualia coerceri non patitur ipsa *honoris Domini* ratio; quae si omnem *prorsus* de peccatis quaestionem in hac causa excludit, profecto ad originale non minus, quam ad actuale peccatum removendum valere debet: nisi hoc putamus Augustinum sensisse, quaestionem de originali peccato, minus quam de actuali *honori Domini* obfuturam fuisse; quasi non omnis cujuscumque peccati labes in honoris Domini offensionem verteretur, ac redundaret. Quamquam nec alia desunt in Augustino loca, quae ad originale perinde atque actuale peccatum ab ea purissima Virgine removendum accommodatissime proferuntur. Quin et piam hanc mentem, ac sententiam ab ea jam vetustate fidelium animis insedisse luculento testimonio fidem facit bonus auctor, eximius taurinensis antistes, idemque clarissimus Ecclesiae doctor, ac pater sanctus Maximus, qui, dum commissam sibi Christi plebem pro concione alloqueretur: *Idoneum plane Christo habitaculum Mariam, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali* praedicavit. Quis etenim non intelligat, nec puncto temporis labem originalem cum originali gratia potuisse consistere? Sane refugit pia mens cogitare, fuisse aliquando peccati servam, ac Daemonis, per quam conterendum erat caput serpentis, utpote quae victorem peccati, ac mortis editura esset.

25. Originali hac labe infecti porro nascantur filii omnes Adae, immundi, et natura filii irae sub captivitate mortis, et Diaboli, ac aeternae damnationi obnoxii. Quare Augustinus de parvulis, qui sine baptismo de corpore exeunt, ait, recte dici posse, in damnatione omnium mitissima futuros, (de peccat. merit. et remis. l. 1. c. 16. n. 21.) multum autem fallere et falli, qui eos in damnatione praedicat non futuros, dicente Apostolo: *Judicium ex uno delicto in condemnationem*. Et paullo post: *per unius delictum in omnes homines ad condemnationem*. Vide etiam l. 5. cont. Julian. cap. 11. 12. 44. Hanc porro parvulorum damnationem ad solam poenam damni revocat s. Th., cui et adstipulatur communis fidelium sensus: quem quidem quanti fecerit Augustinus, quantique faciendum existimaverit, testatum ipse reliquit gravi ea reprehensione, qua sibi obtrectantem Julianum refutat, quod advocatis saepe plebeculaurum catervis uteretur l. 1. n. 33. Ceterum parvulis istis beatitudinem aliquam naturalem asserere, communium videtur alienum a mente Scripturae, et sanctorum patrum.

26. Inter vulnera per originale peccatum inflicta merito recensetur ignorantia ex obscuratione intellectus, infirmitas liberi arbitrii, rebellis concupiscentia, qua sentiens appetitus rationi acrius repugnat.

27. Liberum arbitrium fuit quidem viribus debilitatum, et attenuatum, non tamen extinctum. Hinc remansit homo liber non solum a coactione, verum etiam a necessitate: quae libertatis ratio indifferentiae nomine designari solet. Quia vero ipsum liberum arbitrium fuit viribus attenuatum, haec indifferentiae libertas quae remansit, non est intelligenda libertas aequilibrii, qua animus eadem facilitate seu pronitate sese in alterutram partem inflectat. Quippe aliud facultas, aliud facilitas.

28. A fomite concupiscentiae reatus culpae secerni sane potest, ac debet. Etenim concupiscentiam in renatis peccatum non esse, in iis tamen manere ad agonem, prorsus constat ex Tridentino sess. 5. Atque, ut docet Augustinus lib. 2. oper. imperf. n. 71. « Aliud est peccatum, aliud concupiscentia peccati; cui non consentit, qui per gratiam Dei non peccat: quamvis et ipsa concupiscentia peccati vocetur peccatum, quia peccato facta est ». Sic ergo concupiscentia quandoque peccatum dicitur, non quod reipsa peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.

29. *Unusquisque vero tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Jacob. 1.) Satis certe id esse videtur, ne putemus vitiatam peccato concupiscentiam rem esse suapte natura nec bonam, nec malam, sed indifferentem, et in bonum, malumve ex aequo versatilem. Nam quod ex peccato est, et ad peccatum inclinat; quod abstrahit a bono, et illicit in malum; quocum et perpetua colluctatio esse debet; id sane malum est propter inhaerentem immoderationem: tametsi absque voluntatis consensu, culpa in eo nulla existat. Quippe latius patet ratio mali, quam ratio peccati; et siquidem omne peccatum est malum, non ideo malum omne peccatum est. Sane venerabilis Bellarminus de grat. primi hominis cap. 7. ad 1. object. « Concupiscentia carnis, inquit, nunc quidem poena peccati est; tamen homini condito in puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturae, sed ut defectus, et quasi morbus quidam naturae ex conditione materiae consequens. Quare rectissime dicitur, non esse ex Deo; odio, non amore dignam; malam, naturaeque contrariam propter duas causas: primum quia non ex intentione Auctoris naturae, sed praeter ejus intentionem in homine extitisset, si in puris naturalibus homo creatus fuisset: deinde quia Deus illam sustulerat; et ex ipsius hominis culpa locum in nobis habet ». Et lib. 5. de amiss. grat. etc. c. 13. ad 1. « Recte dicitur concupiscentia non bona, non sancta, sed mala. Non tamen sequitur, eam esse proprie peccatum ».

30. *Ignorantias meas ne memineris*, Ps. 24. Minime itaque dubitandum, quin et dentur peccata ignorantiae. Quoties proinde vincibilis est ignorantia, idest voluntaria, aut in se, aut in caussa; tolles peccat, qui ea inductus in fraudem, praescriptum officium deserit; idque tametsi tum homo nec de Deo, nec de lege, nec de ipsa peccati turpitudine ullo pacto cogitet.

31. Nec tamen quod attinet ad peccatum inducendum, voluntaria, seu vincibilis ignorantia censenda est, quod ex originali culpa ortum duxerit. Nam ad peccatum actuale actualis motus voluntatis requiritur: et ut concupiscentia non fit peccatum, nisi cum voluntatis consensus accessit; sic etiam ignorantia non inducit peccatum, nisi qui ea tenetur, vituperabili negligentia nosse illa praetermiserit, quae scire potuit, ac debuit.

32. Prima principia, proximioresve legis naturalis conclusiones invincibiliter ignorari haud posse, satis constat inter doctores; satisque fit ex eo manifestum, quod rationis lumen per peccatum non fuerit penitus extinctum. Utrum vero in remotiores naturalis ejusdem legis conclusiones invincibilis ignorantia queat obrepere, nondum quidem videtur expresse definitum. Longe tamen communior sententia est affirmantium: quorum haec potissima est ratio; nempe de quibus sapientes etiam piique viri disputant, num legis sint naturalis necne, fas est existimare, quae prudentioribus obscura sint, ea rudioribus praesertim, spectato communi providentiae ordine, sic impervia esse, ut invincibili eorum ignoratione teneantur. His assentitur cl. Berti de theolog. discipl. l. 21. c. 10. quo loco post expositam eorum opinionem, qui censent neminem sui compotem laborare ignorantia invincibili juris naturae, suam ipse mentem aperit his verbis: « Verissimam tamen puto sententiam oppositam, et circa consequentias juris naturae remotissimas censeo, ignorantiam invincibilem esse admittendam . . . ; etiam illam tenent omnes fere Aegidiani, ac Thomistae, nec non Sylvius, Ludovicus Habert, l'Hermiuier, aliique communiter. Cujus assertionis haec videtur ratio apertissima, quod conclusiones juris naturae remotiores deducuntur ex principiis longiori implexoque discursu, quem rudes quamplurimi etiam ordinariis gratiae adjumentis efformare nequaquam valent; ut in multis ad usuram, et matrimonii impedimenta spectantibus, non perraro contingit ». Tum progreditur ad argumenta solvenda in contrariam partem ab ill. Genetto proposita, quae ait videri non admodum valida.

SCHOL.? Moralis quidam theologus, quem laudat. Pater Antoine de peccat. c. 3. quest. 6. scribit, confixam esse Romae an. 1685. propositionem istam: « Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturae in ullo homine, dum hic et nunc contrarium naturae agit »: verum qui moralem theologiam patris Antoine multis additionibus auctam et illustratam Romae an. 1764. edendam curavit, Philippus de Carboneano, nota ad eum locum adjecta, deceptum monet iueo scriptorem laudatum: « Prohibitus fuit, inquit, libellus anonymus plures continens theses, in quo etiam propositio illa reperitur: sed quis inde inferat, fuisse propositionem damnatam, quam deinceps tot gravissimi theologi propugnaverunt? » Tum et eamdem ille quaestionem pluribus versat alia prolixiore nota, ac demum concludit: « Utut se res habeat, ne in tam gravi controversia progrediar, forsan aliqua temeritate sententiae, nihil firmiter statuo, ut jam monui, sed judicium omne sapientibus relinquo etc. ».

33. Quamcumque porro in rem subrepat invincibilis ignorantia, certum, ratumque est, extra culpam esse, qui ex ea committit in legem. Auctor Augustinus ipse, qui lib. 3. de lib. arb. c. 19. negat deputari ad culpam, quod invitus ignoret. Non minus autem invitum, seu involuntarium est, quod fit ex involuntaria ignorantia; quam ipsa ignorantia, qua invitus quisquam tenetur. Aliunde constat id omnino ex damnata secunda propositione ab Alexandro VIII. « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali ». Quem errorem proditum ante a Calvino, arreptum deinde a Jansenio, probe explodit laudatus Berti.

34. Quamvis autem invincibilis ignorantia juris etiam naturalis eximat a culpa, non ideo facit, ut actus contra hanc legem, bono licet animo editus, bonus evadat. Nam, ut sapienter docet s. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. ad 1. « Ut aliquid sit malum, sufficit sive secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum ». Nec enim haec duo pugnant: ut actio sit ex se mala, nec tamen deputetur ad culpam propter invincibilem ignorantiam; quae ut voluntarii, sic et culpae rationem omnem ab actu removet.

SCHOL. At forte inquies: Si quis conformatum in modum hostiae panem publice in altari expositum, nec tamen rite consecratum, eo religionis cultu prosequeretur, qui Christo tribuendus est, quem invincibili errore putat ibi adesse sub specie panis: num forte de cultu isto dicendum erit, futurum tantummodo culpae expertem propter ignorantiam invincibilem; ceterum omni pietatis fructu, bonitate omni cariturum? Respondemus futurum utique bonum. Ad cujus rei explicationem summatim perstringemus, quae copiosius alio loco pertractata sunt, cum de recta conscientia nobis esset instituta disputatio. Repetendum itaque, duplici modo errari posse in judicio conscientiae: 1. Errore juris, seu dictaminis, quo quis putat actionem

in tali specie constitutam, bonam esse, vel malam: velut si quis putet bonum esse mentiri pro salute innocentis, aut (quod exemplum memorat Augustinus) uxori licere pro salute viri copiam sui facere iniquo judici. 2. Errore facti, velut dum quis falsoio quid affirmat, quod credit esse verum : aut ad mulierem accedit, quam putat esse suam, velut Jacob ad Liam. Primus error, utpote qui adversatur principiis synteresis, quae lege aeterna continentur, quo nempe mendacium, vel adulterium, cognitum ut mendacium, et adulterium, certo in casu licitum judicatur, ac bonum; obstat ne bonus dici queat actus, qui lege ipsa aeterna reprobatur ut malus: nec adeo rectum unquam dici poterit conscientiae judicium, quo bonum dicitur malum, et malum bonum. At vero error facti, quo quis sciens adulterium esse malum, nec de adulterio quidquam suspicans, immo ab eo prorsus abhorrens, involuntario errore personae deceptus, accedit ad non suam; talis, inquam, error non adversatur principio synteresis, seu legis aeternae dictantis adulterium esse malum: nec adeo tali errore depravatur judicium proprium conscientiae, quatenus refertur ad principia legis aeternae; quemadmodum iis principiis difforme omnino est illius judicium, qui adulterium aliquo casu judicat fieri posse licitum. Proinde nil vetat, quin actus, iali invincibili errore facti susceptus, non solum expers culpae propter invincibilem ignorantiam, sed etiam bonus habeatur pro bona mente, qua suscipitur. Brevius more scholastico: scilicet cum agitur de actu malo ex objecto, distinguendum, utrum tale sit ex objecto formali, an ex objecto materiali. Cum error versatur circa objectum formale, velut cum quis mendacium dicit, cognitum ut mendacium, putans tali casu licitum esse mentiri; tum actus ejusmodi, malus ex objecto formali, numquam bonus evadere potest, quippe quod incommutabili bonitatis regulae repugnat, hoc ipso repugnat esse bonum. Cum vero error versatur circa objectum duntaxat materiale, nec proinde repugnat regulis morum contentis in aeterna lege; tum actus ejusmodi, malus tantum ex objecto materiali, potest esse bonus; quia actus qui intenditur, actus est ex objecto formali revera bonus, velut qui verum dicere intendit, dum falsum dicit, quod invincibili errore putat esse verum. Praeclara multa in hanc rem suppeditat sanctus Bernardus lib. de praecepto et dispensat. cap. 14., cujus haec est inscriptio : *Cur conscientia errans non aeque convertat malum in bonum, uti bonum in malum.*

Nunc demum ut ad quaestionem revertar initio propositam, satis liquere puto ex dictis, nil obesse, quo minus cultus hostiae non consecratae ab eo praestitus, qui invincibili errore deceptus eam putet rite consecratam, non solum culpae sit expers, verum etiam bonus, ac plus censeri queat. Nam si adhuc pauca licet majoris proprietatis gratia subjicere, prout judicium conscientiae rectum, aut pravum est, sic actio ex eo prodiens bona, vel mala censeri debet. Jam vero judicium illud vel ad legem refertur praecipientem, aut vetantem; vel ad materiam ipsam, seu objectum, quod lege praecipitur, vel vetatur : atque ut rectum est vi sua judicium, quod aeternae legi sit consentaneum; ita non rectum, seu pravum necesse est esse judicium, quod eidem adversatur. Jam vero dictat quidem lex aeterna, non licere cultum latriae creaturae cuivis tribuere; nec ideo rectum unquam poterit esse contrarium conscientiae judicium, nec bonus actus ex eo judicio profectus, quo quia nimirum quocumque errore abreptus judicet, aliquando licere sibi hostiam non consecratam adorare. Hic etenim directo errat contra legem aeternam, dum judicat licitum esse, quod lex aeterna dictat nusquam licere. At qui hostiam adorat non consecratam, putans invincibili errore consecratam esse, illius judicium non ipsimet legi repugnat, quippe non judicat licere, quod lex dictat non esse licitum; sed ejus judicium sistit in conditione objecti, circa quam error obrepere potest sine offensione legis aeternae; quippe lex aeterna non dictat, hanc numero hostiam consecratam esse, vel non consecratam. Statque adeo, ut cum tali errore rectum consistat judicium conscientiae, prout refertur ad legem aeternam; proindeque et bona censeri queat actio, ex eo judicio profecta.

III.

DE REPARATIONE HOMINIS POST LAPSUM, ET DE GRATIAE IN PRAESENTI STATU NECESSITATE.

35. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. 7.). Homo nimirum lapsus, totusque per offensam praevaricationis Adae in deterius secundum corpus, et animam commutatus, non potest ad vitam aeternam ordinari, nisi per gratiam Christi. Trid. sess. 5. c. 1. sess. 6. c. 1.

36. Etenim innocentia per eam praevaricationem amissa, et culpa originali in totam Adae sobolem propagata, homines facti immundi, et natura filii irae, usque adeo servi erant peccati, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Judaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent. Sess. 6. c. 1. et 2.

37. Ut ergo et Judaei, et gentes adoptionem filiorum reciperent, Christum Jesum proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, nec nostris tantum, sed et totius mundi.

38. Ergo nec justificari quisquam potest,

nec adeo salvari, nisi renascens in Christo adoptionem filiorum recipiat.

39. Haec justificatio, seu translatio a statu peccati in statum gratiae et adoptionis, post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest: ut proinde nemo adultus in praesenti statu salvari queat sine voto saltem regenerationis, complectente fidem in sanguine Christi.

40. Gratia, qua homo ab infidelitate ad fidem, a peccato ad poenitentiam convertitur, aut quocumque modo disponitur, nullis datur praecedentibus meritis. Neque enim esset vera gratia, nisi esset omnino gratuita. Unde Apostolus dicit: *Gratia salvi facti estis per fidem: ut ostenderet*, inquiunt patres africani (Sess. 6. cap. 8.), *fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari, secutus adjunxit: et hoc non ex vobis, sed donum Dei est.*

41. Disponuntur autem homines ad justitiam, dum 1. Excitati et adjuti divina gratia fidem ex auditu concipiunt, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt. 2. Peccatores se esse intelligentes, a justitiae divinae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt. 3. In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore. 4. Illum tamquam omnis justitiae Auctorem diligere incipiunt. 5. Et propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem. 6. Proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare mandata. C. 6.

42. Nemo itaque adultus justificari posse putandus est, nisi gratia excitatus et adjutus fidem conceperit: a timore divinae justitiae ad ejus misericordiae considerationem conversus, in spem venerit propitiationis per Christum: Deum diligere incaeperit, tamquam omnis justitiae auctorem: bisque de causis, et incitamentis, odio et detestatione in peccata moveatur; proponat suscipere sacramentum reconciliationis, inchoare novam vitam, et servare mandata.

IV.

DE GRATIA QUOAD OPERA MORALIA.

43. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. Nemo per vigorem naturae, bonum aliquod, quod ad salutem pertineat, aut cogitare, ut expedit, aut eligere potest absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti; qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo veritati. Concil. araus. 11. c. 7. Trid. sess. 6. c. 3.

44. Quia tamen humana ratio per peccatum non penitus corrupta est, nec liberum arbitrium extinctum; nec omni modo deletum in corde hominum, quod ibi per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est (Augustinus de sp. et litt. c. 27.): ideo potest, homo lapsus per vires naturales, quas retinuit, et veritates multas etiam practicas cognoscere, non tamen omnes, et aliqua virtutum moralium officia servare, non tamen substantiam omnem legis implere.

45. Hinc Augustinus hominum peccatorum, etiam infidelium quaedam facta esse agnoscit, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus. De sp. et litt. c. 27.

46. Ea bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur, haud prosunt impio ad salutem aeternam; prodesse tamen possunt, ut qui alieni sunt a gratia, mitius puniantur: *Quamquam si discutiantur, quo fine fiant* (c. 28.), *vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur.*

SCHOL. Qui ait *vix inveniri*, non negat, immo dat aliqua saltem, licet rarius inveniri, quae spectato etiam fine, justitiae debitam laudem mereantur. Et sane bona ea opera si prodesse possunt, ut qui ea fecerit mitius puniatur, quam puniretur, si non ea fecisset; consequens est, ita bona esse, ut nulla pravitatis accessione vitientur. Nam si essent aliqua culpae labe vitiata, non prodessent ad poenam minuendam eorum, qui ea fecissent: sed et ipsa pro modo culpae, aliqua poenae adjectione plecterentur. Ex quo non invitus quisquam colligat, haud alienum fuisse Augustinum ab agnoscendis bonis operibus ex impressione, quam agnovit remansisse imaginis Dei in homine: quae opera, temetsi non prosint ad salutem, nec adeo bona sint ex bonitate, de qua quaestio erat adversus pelagianos; cum tamen valere queant ad poenam minuendam, culpae omnis expertia merito existimentur. Hoc ipsum confirmat cl. Berti (de teolog. discipl. l. 18. c. 2. prop. 1.), ubi alio recitato sancti Augustini eamdem in rem testimonio, ex lib. 4. cont. Julian. c. 3. subjicit: « Opus, quod exercentes minus deviamus a veris, » christianisque virtutibus, mulctamque vita» mus acerbiorem, nequit esse peccatum. Pec» cata ergo non sunt opera moralium virtutum, » quae interdum ab impiis, et a gentilibus e» xercentur ». Atque hoc quidem non de actione spectata tantum *ratione operis*, intelligendum esse, clarius etiam patet ex his, quae de temporali mercede subjungit; quam et gentilium quoque virtutibus quandoque tributam fuisse ostendit. Planum est enim, actionem temetsi bonam ex objecto, sed quae prout exercetur, peccatum revera sit, mercedem etiam temporalem a Deo consequi non potuisse. *Obstetrices Aegypti, Exodi* 1. v. 20., *laudantur*, inquit Berti, *et mercedem consecutae sunt, quoniam Hebraeorum masculos non praefocarunt.* An vero mulieres illae laudari meruissent, quae misericordia male utenda revera peccassent? Recte pro-

inde Hieronymus affirmat, *etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio reperiri*. Quae verba manifeste referuntur ad opus, prout fit, non prout spectatur tantum ex objecto. Audiatur praeterea Natalis Alexander hist. eccles. saec. V. c. 3. art. 3. §. 2., ubi exposita Juliani sententia concludit: « Hanc Juliani pelagiani de infidelium bonis operibus » et virtutibus sententiam uberius, et accurative exposui; ut videas, quantum ab illa distet communis theologorum opinio, qui aliqua » bona opera fieri ab ipsis posse, et interdum » etici propugnant, quamvis admodum infrequentia, et salutem aeternam nihil conferentia: et quantum a veritate aberraverit Jansenius yprensis, qui illam cum errore Juliani » inscite, et temere confudit ».

47. Et sane cum inter infideles ipsos nonnulli Deum cognoverint, quippe *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas*; potuerunt etiam aliqui ea opera ex objecto bona in Deum ordinare, ut proinde nec ipsa conditio relationis in Deum ad eorum bonitatem moralem defecerit.

48. Immo et gratiae quoque auxilio, bona opera etiam inter infideles inveniri, ex Polemonis continentia intelligi potest, quam Dei dono tribuendam esse satius existimat Augustinus epist. 144. Proinde sive ex uno capite, sive ex alio, idest sive ex impressione imaginis Dei, quae remansit in homine, sive ex collato dono gratiae, pro diversa doctorum sentiendi ratione aestimentur istiusmodi facta infidelium; semper constat, aliqua etiam inter infideles opera inveniri, quae omni culpae labe careant; errorque prorsus convincitur Baii asserentis, *omnia infidelium opera esse peccata*.

49. Profecto non est ambigendum, quin Deus misericordiae suae thesauros infidelibus quoque aperiat, spirando prout vult, et gratiae auxilia impertiendo, quibus magis, aut minus proxime vocentur ad fidem. Qua de re nulla potest remanere dubitatio post quintam ab Alexandro VIII. damnatam propositionem. « Pagani, judaei, haeretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo » influxum; adeoque hinc recte infertur in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine » omni gratia sufficienti ».

50. Itaque cum patres interdum dicunt, fidem esse primam gratiam, plane loquuntur quandoque de auxiliis gratiae, quibus homines vocantur, aut disponuntur ad fidem, quaeque adeo ipsummet fidei donum antecedunt: quandoque vero de fide in ordine justificationis, et meriti; quo sensu fidei dono omne bonum meritum incohari dicunt patres africani. Et sanctus Augustinus (de praedest. sanct. c. 7.), fidem, qua homo justificatur, velut primam gratiam memorat, *ex qua impetrantur coetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur*. Aliud itaque est loqui de prima gratia in ordine justificationis et meriti, aliud loqui de prima gratia in ordine vocationis. Quod sane discrimen eruitur etiam ex doctrina Tridentini sess. 6., nam cap. 8., quo declarat sancta synodus *Quomodo intelligatur impium per fidem, et gratis justificari*: « Fides est, inquit, humanae » salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est » placere Deo, et ad filiorum ejus consortium » pervenire ». At simul cap. 5. *de necessitate praeparationis ad justificationem in adultis, et unde sit*, « Declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum » Jesum, praeveniente gratia, sumendum esse, » hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum » existentibus meritis vocantur ». Et cap. 6. *Modus praeparationis*: « Disponuntur autem ad ipsam » justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, » fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt ». Adest ergo gratia praeveniens, qua homo excitatur, et adjuvatur, ut fidem concipiat ex auditu, et credat vera esse, quae divinitus revelata sunt. Manifestum est autem gratiam, qua quis excitatur, et juvatur ad concipiendam fidem, supponere hominem, in quo nondum sit concepta fides, talemque adeo gratiam praevenire ipsam fidem, ad quam concipiendam excitat, et adjuvat. Ergo ante fidem dantur gratiae praevenientes, ac disponentes ad fidem. Non ergo fides est prima gratia in ordine vocationis.

SCHOL. Perversam Quesnellii doctrinam prop. 26. *Nullae dantur gratiae, nisi per fidem*; et prop. 27. *Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum*; et prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: expressis verbis refellit Augustinus (de dono persev. c. 16.), ubi docet gratiam dari, quae fidem, quae obedientiam, quae caritatem praevenit. Verba haec sunt sancti doctoris. « Praevenit ergo et fidem ipsa gratia: alioquin si » fides eam praevenit, procul dubio praevenit et » voluntas; quoniam fides sine voluntate non » potest esse. Si autem gratia praevenit fidem, » quoniam praevenit voluntatem; profecto praevenit omnem obedientiam, praevenit etiam » caritatem etc. ». Quo etiam spectat quod tradit (1. de nat. et gr. c. 31.) « *Praevenit, ut vocemur* ». Quod si datur gratia, quae auctore Augustino praevenit fidem, non ergo fides prima gratia, nec fons omnium aliarum: quidquid enim antecedit fidem, necesse est prius esse, quam sit fides. Rursus prius est vocari ad fidem, quam habere fidem. Si ergo per gratiam vocantur homines ad fidem, necesse est prius esse gratiam, qua vocantur, quam fides, quae vocationem subsequitur. Quod si gratia praevenit etiam caritatem, falsa item convincitur propos. 28. Quesnellii: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; quam et aliunde manifestum est fidei catholicae a-

pertissime repugnare, qua docemur gratias dari, quibus peccatores disponuntur ad remissionem peccatorum, quaeque proinde gratiam remissionis antecedunt.

51. Ceterum etsi Verbi divini praedicatio pertineat ad modum ordinarium, quo vocantur homines ad fidem, juxta illud Apostoli: *Quomodo audient sine praedicante?* tamen est memoratu dignum, quod legitur apud Augustinum (de dono persever. c. 19.) « Paucissimis esse » donatum, ut nullo sibi homine praedicante, » per ipsum Deum, vel per Angelos caelorum, » doctrinam salutis accipiant: multis vero id » esse donatum, ut Deo per homines credant».

SCHOL. Hactenus profligatam vidimus ab Augustino quesnellianam doctrinam,eo spectantem, ut gratiae beneficium eripiat homini cuique,cui nondum aut concessum sit fidei donum, aut facta peccati remissio. Affinis huic doctrinae alter est capitalis error Quesnellii, haustus ex impuris hussitarum fontibus, quo peccati labes inuritur operibus omnibus, quae non prodeant ex dominante caritate; quasi, horrendum dictu, non bona essent, omnisque labis expertia opera illa, quibus homines, dum adhuc degunt sub peccati jugo, tamen adjuvante gratia ad caritatis dominantis libertatem aspirant. Pravam hanc doctrinam extulit Quesnellius prop. 44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, et actiones omnes nostrae nascuntur etc.* 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* 46. *Cupiditas, aut caritas usum sensuum bonum, vel malum facit.* Certe in omni homine nondum justificato regnat cupiditas; regnat in infidelibus, qui sunt a caritate dominante disjunctissimi. Si ergo nullus medius est affectus inter caritatem dominantem, et regnantem cupiditatem; si volitiones omnes, et actiones, quae non ex caritate nascuntur, nasci necesse est ex carnali cupiditate; nulla jam extra dominantis caritatis imperium reliqua volitio erit, vel actio, quae non foetus sit carnalis cupiditatis. Quid jam porro absurdius fingi potest, quam ex carnali cupiditate prodire dicantur affectus illi, qui moveant animum ad ea vitae officia, quae sunt vi sua, seu ex objecto justitiae, honestatisve regulis maxime consentanea; velut parentes colere, depositum reddere, sobrietatem, et castimoniam in vita servare; quae non solum laudabilia sunt per sese, verum, quemadmodum superius expositum est, sic praestari possunt vel ab infideli, ut sint ab omni culpae labe immunia? Non ea sane indoles est, non ea vis carnalis cupiditatis, ut cum lege mentis consentiat, et ad ea moveat, quae sunt ex sese rectae rationis, atque adeo legis aeternae regulis conformia. Quesnellium non pigeat ab Apostolo discere, cujus generis ea sint, quae ex carnali cupiditate prodeant: nullum affectum,officium nullum inter ea reperiet,quod sit ex objecto laudabile, quodque debiti finis adjectione non etiam ex omni parte bonum queat evadere. *Manifesta sunt*, inquit ad Ephes. c. 5. v. 19., *opera carnis*, quo nomine pugnantem cum lege mentis concupiscentiam designat, *quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes,irae,rixae, dissensiones, sectae, invidiae,homicidia,ebrietates, comessationes, et his similia.* An his similia, in quibus elucet lumen aliquod justitiae, misericordiae, bonitatis, pudoris, et honestatis? Ut proinde affectus in ea movens nequeat ad carnalem cupiditatem referri, nisi placet ex carnali cupiditate repetere, quae cum carnali cupiditate pugnant apertissime.

Atque haec quidem illustriora fient praeclara illa auctoritate Augustini, quam ex lib. de spir. et litt. depromptam superius attigimus, quam proinde operae pretium fuerit hoc loco repetere, ac paullo uberius exponere. Ibi Augustinus illud interpretans Apostoli dictum: *Gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt facere*: ac docere instituens, qua ratione accomodari ad eos valeat, qui nec Deum verum veraciter, justeque colunt; apertissime profitetur, horum tamen facta memorari, *quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus.* Equidem continuo subjicit: *Quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur.* Quibus verbis indicat quidem Augustinus, facta illa infidelium pravo adjecto fine plerumque vitiari; nec tamen adeo universe, ut non aliqua saltem extare valeant ab ea labe immunia, quaeque adeo merito, recteque laudentur. Nam qui ait, *vix inveniri*, hoc ipso significat, nil obesse, quominus aliqua rationis hujus, etsi perraro, aliquando tamen inveniri queant. Jam inquirit Augustinus, unde laudabilia ista facta infidelium repeti debeant. Num forte ex radice carnalis cupiditatis, qualem certe in impiis, de quibus loquitur, dominari non ignorabat? Nihil minus. « Verum tamen, inquit c. 28., quia non usque » adeo in anima humana imago Dei terreno- » rum affectuum labe detrita est, ut nulla in » ea velut lineamenta extrema remanserint; » unde merito dici possit, etiam in ipsa im- » pietate vitae facere aliqua legis, vel sapere». Et paullo infra: « Quantulacumque legis opera » naturaliter insita non invenirentur in eis, » qui legem non acceperunt, nisi ex reliquiis » imaginis Dei ». Non ergo *ex terrenorum affectuum labe*, seu carnali cupiditate repetit Augustinus quantulacumque illa infidelium laudabilia opera; sed ex reliquiis, et lineamentis imaginis Dei, quorum impressio nulla vetustate delenda inest in ea vi naturae, qua rationalis anima legitimum aliquid et sentit, et facit; sine qua hominis anima rationalis utique non

esset; quam deinceps impressionem ostendit, per gratiam novi testamenti renovari ad fructum pietatis in credentibus. Itaque Augustinus facta quaedam infidelium agnoscit, quae merito, recteque laudentur; et cum talia vix inveniri subjungit, quae spectato fine debitam justitiae laudem mereantur, ostendit, se de factis loqui, non tantum ex objecto laudabilibus, quippe talia apud infideles permulta inveniri probe noverat; sed de ipsismet factis, prout ab infidelibus actu exercentur. Quae facta cum sanctus doctor ex *lineamentis* repetit, ac *reliquiis imaginis Dei*, satis ostendit, ea non ex terrenorum affectuum labe prodire; nisi usque adeo desipuisse velimus Augustinum, ut pravitatis labem lineamentis illis asperserit, quae ait per eam labem penitus nunquam deleri potuisse. Igitur Augustinus palam agnoscit in homine medios affectus; qui neque ex caritate dominante prodeant, utpote quae longe abest ab infidelibus, neque a carnali cupiditate, quae in terrenorum affectuum labe longe lateque dominatur. Hac proinde tam perspicua, tam rata, et firma auctoritate Augustini radicitus evellitur non insana minus, quam perversa eorum opinandi libido, qui omnia sic referunt ad dominantem caritatem, et cupiditatem, ut velint ex vitiata cupiditate prodire volitiones omnes, et actiones, quae non sint ex caritate dominante; ex quo consequens fit, ut, quandoquidem a caritate dominante justificatio non disjungitur, vitiatae cupiditatis labe contaminata dicenda sint opera omnia, quae ante justificationem fiunt, contra Tridentini expressam definitionem sess. 6. can. 7. insana, inquam, et perversa opinandi ratio, quae dum hominem exuit ex homine, in id plane spectare videtur, ut sub fucata specie pietatis, lineamenta illa imaginis Dei aboleat in homine, quae testatur Augustinus, nulla unquam vetustate deleri, nulla terrenorum affectuum labe deteri penitus voluisse.

V.

DE DIVISIONE GRATIAE.

52. Divisio gratiae multiplex. Nam praeter gratias gratis datas, de quibus hoc loco non agimus; praeter gratiam ipsam justificantem, quae instar habitus animae inhaeret; alia insuper gratia est, quae quia datur ad singulos actus, actualis dicitur.

53. Haec gratia in illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti posita est, ut ajunt patres arausicani; cujus munere, prout et patres africani docent, illuminatur, et juvamine gubernatur liberum arbitrium.

54. Sine hujusmodi gratia non sumus sufficientes cogitare, aut velle aliquid ad salutem pertinens. Et, ut ajunt patres africani c. 12. « Per hoc, quoniam habet homo liberum arbitrium, audit praecepta, quae faciat; sed ad implenda praecepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi divinitus adjuvetur ». Et c. 8. « Sic est ipsum liberum hominis arbitrium absque dono gratiae, sicut est oculus sine lumine ».

55. Gratiae tamen praevenienti per liberum arbitrium homo cooperatur libere assentiendo. Nimirum, ut iidem docent c. 10. « Hic est ordo divinae misericordiae, et voluntatis humanae, ut illa praeveniat, haec sequatur. Sola Dei misericordia initium salutis conferat, cui deinde voluntas hominis cooperatrix existat ». Augustinus etiam (de spir. et litt. c. 34.) disserens de suasionibus, quibus intrinsecus Deus agit in mentem: *Ubi*, inquit, *nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire, propriae voluntatis est.... Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.*

56. Interiori proinde gratiae in statu etiam naturae lapsae, et semper resisti potest, et saepe nimium resistitur. Humanam sane voluntatem gratiae quandoque se repugnantem praebere, agnoscunt patres africani c. 2. his verbis: « Nam sermone repugnat gratiae Dei, qui sensum gerit christianae fidei contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus suis christianae vitae non tenet institutum ». Augustinus etiam (de diversis quaestionib. ad Simplic. l. 1. q. 2. n. 10.) « Noluit ergo Esau et non cucurrit; sed etsi voluisset, et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset; qui ei etiam velle, et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta, reprobus fieret ».

57. Quia tamen peccatores etiam impia voluntate doctrinam ejus persequentes, omnipotentissima facilitate convertit, et ex nolentibus volentes efficit; est sane aliqua gratia, quae tametsi respui potest, tamen a nullo duro corde respuitur. Augustinus epist. ad Vitalem c. 6., et laud. loco ad Simplic. n. 14. iterum de Esau: « Quis enim dicat modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse? »

58. Hinc divisio gratiae in sufficientem, prout appellari consuevit, et efficacem: in adjutorium sine quo non possumus, quo possumus, nec tamen volumus; et adjutorium, quo fit, ut velimus.

VI.

DE GRATIA SUFFICIENTE

59. Ad gratiae sufficientis auxilium referri solet, quod tradit Augustinus (de peccat. mer. et remis. l. 2. c. 17.) « Cum voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse; cur non sit, possem facillime, et verissime respondere, quia homines nolunt ». Agnoscit igitur Augustinus gratiam adjuvantem, vi cujus possit homo esse sine peccato, nec tamen sit, quia non vult. Ea

autem gratia, quae praestat homini, ut possit, non ut velit, ea est, quam aptissimo vocabulo sufficientem scholastici dixere.

60. Idem sensus eruitur ex verbis, quae sequuntur apud sanctum doctorem: « Ut innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo ». Tum allato Hieremiae testimonio: *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus; nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Et continuo: *Corripe me, Domine; verumtamen in judicio, et non in furore tuo;* subjicit Augustinus « Tamquam diceret: Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adjuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei. Verumtamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tamquam in furore, quo iniquos damnare statuisti; sed tamquam in judicio, quo doces tuos non superbire. Unde alibi dicitur: *Et judicia tua adjuvabunt me* ». Quo loco duplex veluti gradus ostenditur, seu genus gratiae adjuvantis; unum gratiae potentioris, qua homo sic adjuvatur, ut proficiat: alterum gratiae minus potentis, qua etiam adjuvatur, ut proficere possit, simulque movetur orare, quod illud impetret potentius auxilium ad proficiendum.

61. Gratiae sufficientis auxilium pro statu naturae integrae diserte agnoscit sanctus Augustinus; adeo ut nisi homo adjutus ea gratia fuisset, perseverare non potuisset, et sine sua culpa cecidisset. Ita enim *de correpť. et gr. c.* 11. *n.* 31. « Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio ». Et n. 32. « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet: quia non deerat adjutorium, per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est.... Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta est, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet; non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent ».

62. Porro tale quoddam auxilium in statu quoque naturae lapsae Augustinum agnovisse intelligitur ex verbis, quae continuo subjicit: « Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est ». Cum vero datur, profitetur sanctus doctor misericorditer dari; et amplius etiam dari, quo fit, ut omnino velimus. Unde patet, ex mente Augustini, adjutorium amplius quoddam pro infirmitate praesertim naturae superadditum quidem fuisse, non sic tamen, ut auxilium desierit, sine quo non potest agi, quo potest agi,nec tamen agitur, cui proinde humana culpa resistitur.Quod et Norisius expresse testatur (Vind.Aug. col.895.) dum ait: « Palam fit, quosdam vocanti Deo resistere: quae etiam ex cap. 11. de correpť. et gr. deducuntur; cum adjutorium ministratum Angelis ante lapsum, dari etiam in statu naturae lapsae quibusdam, aliis in poenam peccati non dari scribit ». Quod satis est, ut liquido constet ex Augustino, perseverare adhuc in statu naturae lapsae genus illud auxilii, quod Angelo datum est, quo permanere poterat, si vellet, nec tamen voluit; quodque adeo gratiae mere sufficientis expressam notionem, et indolem prae se ferebat. Quin etiam addit cl. Norisius col. 1011. « Coeterum omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum, mihi videtur colligere ex Aug. l. *de nat. et gr. c.* 67. *etc.* ». Sed hac de re latius infra.

SCHOL. Duo porro hic notanda.1. Nobis nec in animo, nec opus esse hoc loco inquirere, utrum Augustinus in statu naturae integrae tale adjutorium *sine quo* agnoverit, quod sola vi liberi arbitrii, nullo addito, efficax fieret: idque unum a nobis affirmare, Augustinum in illo statu gratiam ejusmodi agnovisse, quae veram agendi potestatem tribueret, nec tamen actionem adduceret; 2. Multo minus contendere nos, talem in statu naturae lapsae gratiam Augustinum admisisse, quae a sola vi liberi arbitrii, nullo superaddito auxilio, suam capiat efficaciam. Hoc unum volumus, Augustinum pro statu naturae lapsae non solum gratiam commendasse, qua *trahuntur miris modis homines, ut volentes ex nolentibus fiant* (cont. duas epist. Pelag. l. 1. c. 19.), et qua *Deus facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati* (de gr. et lib. arb. c. 16.): Sed et gratiam agnovisse, qua homines adjuti agere possunt, nec tamen agunt, cui proinde resistunt.

63. Sane si absque tali auxilio non poterat homo integer per liberum arbitrium manere in bono, nec adeo culpa sua cecidisset, si tale auxilium ei defuisset, quae verba sunt Augustini; multo minus posset homini lapso, cum primum cadit, deputari ad culpam, quod cadat, si tali adjutorio destitueretur: « Credimus, inquiunt patres concilii arausicani II. can. 25., quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint, et debeant (si fideliter laborare velint) adimplere »: ergo necessarium Christi auxilium, ut adimplere possint, quod debent.

64. Auxilium porro istud *sine quo*, quale nunc

etiam datur in praesenti statu, satis constat ab Augustino habitum fuisse instar actualis gratiae; quae in primo statu homini, tametsi praedito integritate, ac justitia originali, adhuc ita necessaria erat, ut si haec defuisset, homo culpa sua non cecidisset. Jam vero ex constanti Augustini sententia homo justus in praesenti statu nunquam a Deo deseritur, nisi prius ipse Deum deserat: deserit autem, cum culpa sua cadit. Quod si ergo ut culpa sua cadere dicatur, necesse est, ut ei non defuerit auxilium illud *sine quo*, quod auxilium se habet per modum gratiae actualis; profecto intelligitur, istiusmodi gratiae actualis auxilium, ut homini integro in primo statu, sic et homini justo in praesenti statu, necessarium esse, ut cadens homo cadere culpa sua, sicque Deum deserere dicatur (a).

SCHOL. I. Equidem gratia habitualis, utpote quae instar formae inhaeret animae, affert secum ipsa vim quamdam operativam sibi respondentem. Verum haec est adhuc potentia remotior, quae non excludit actualis auxilii necessitatem, ut valeat in actum erumpere. Ita profecto sanctus Thomas 1. 2. q. 109. a. 9., ubi proposita quaestione: *Utrum ille, qui jam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et vitare peccatum absque auxilio gratiae;* statimque productis more suo momentis, quae videntur affirmanti sententiae favere, suam mox negantem sententiam opponit, quam luculentissima Augustini auctoritate illustrat simul, et confirmat: « Sed » contra est, inquit, quod Augustinus dicit in » lib. de natura, et gratia 26., quod *sicut o-* » *culus corporis plenissime sanus, nisi candore* » *lucis adjutus, non potest cernere; sic et homo* » *perfectissime etiam justificatus, nisi aeterna lu-* » *ce justitiae divinitus adjuvetur, recte non po-* » *test vivere.* Sed justificatio fit per gratiam, » secundum illud Rom. 2. *Justificati gratis per* » *gratiam ipsius:* ergo etiam homo jam habens » gratiam, indiget alio auxilio gratiae ad hoc » quod recte vivat ». Quod auxilium ad ipsam quoque potentiam perficiendam pertinere, apparet cum ex allata comparatione ex Augustino deprompta, cum ex intrinseca ratione, quam affert in corp. art., nempe quod *nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinae.* Sane quemadmodum recte dicitur oculus tametsi sanus non posse cernere sine lumine, nec proinde homini, tametsi oculum sanum habenti, ad culpam imputari queat, si carens omni lumine non cernat; sic profecto de homine justificato, tametsi vim operativam illam, seu potentiam habeat, quae oculi potentiae respondet, absolute dici non poterit, posse illum in actum prodire, nisi ad eam potentiam lux affulgeat quaedam actualis gratiae, qua, si velit, possit cernere, seu in actum prodire.

Hanc certe doctoris Thomae mentem fuisse confirmat eximii ejusdem interpretis Seraphini de Porrecta gravissima auctoritas, cujus ad eum articulum docta appendix adjecta legitur in Summae doctoris Thomae partenopea editione, praestantissimi ordinis praedicatorum magistri, ac postea eminentissimi cardinalis de Boxadors nomine inscripta: « Ex art., inquit » Seraphinus, habes 1. Quomodo per rationem » interimas haeresim quorumdam dicentium: » quod homo in gratia existens potest vitare » peccatum, et operari bonum absque alio au- » xilio divino »: quod ille accomodatissimis auctoritatibus confirmat, ac praesertim concilii arausicani c. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, et in bono opere possint perdurare.* Tom subjungit: « Ex hoc concilii dicto » cum nonnisi vitando peccata in bono accep- » to quis perduret, patet theologis acutis, quod » etiam renatus, ac sanctus non potest absque » adjutorio Dei novo, utpote noviter implorato, » vitare peccata; et consequenter multo magis » non potest absque illo bonum operari ».

SCHOL. II. Notum est, quam sedulo proscripta fuerit a theologica parisiensi *facultate* Arnaldi propositio illa, qua in sancto Petro exemplum statuebat hominis justi, cui gratia defuerat, quin porro dici posset, eum (negando Christum) non peccasse. Nec tamen defuere, qui ad ejus erroris defensionem sic accederent, ut cum faterentur, nullum esse peccatum, ubi nulla sit potentia non peccandi; simul contenderent homini, cui desit gratia, non propterea potentiam deesse, qua merito dicatur potuisse vita-

(a) Quam bonus auctor Arnaldus habendus sit in exponendis sanctissimi doctoris Augustini sententiis, ex hoc etiam loco intelligi potest, (Analyt. Sinop. doctrinae lib. s. Aug. de corrept. et grat.: contendens homini lapso negatum, quod innocenti concessum fuit adjutorium *sine quo*, concludit ad extremum: — Ibi maxime notandum est, « ad solvendam difficultatem » de casu Adami, s. Aug. gratiam sufficientem in » subsidium advocare: cur ergo eadem solutione non » utitur in solvenda difficultate de non perseverantibus » nunc fidelibus? nisi quia recte judicavit, nul- » lum jam amplius esse gratiae illi sufficienti locum, » quia sani hominis adjutorium est, non medicinale, » quo jam homo multis profundisque vulneribus con- » fossus indiget, Christi Salvatoris auxilium » —. Atqui quod praefracte Arnaldus negat, luculentis contra verbis Augustinus affirmat, adjutorium istud sine quo, *nunc etiam dari*; cumque subjungit *et amplius dari*, praeclare significat adjutorium illud, quod homini sano datum est, quo stare posset, si vellet, quo si caruisset, non culpa sua cecidisset: nunc etiam vulnerato homini non denegari, quo possit permanere in bono, si velit: simul vero ad infirmitatis subsidium amplius etiam et efficacius dari, quo ei praestatur non tantum posse, sed et velle.

Ac revera quid obstat, quominus adjutorium, quod in homine sano vim dumtaxat habet subsidii, quo vires ejus juventur, ne deficiant; homini infirmo tribuatur, et ad virium subsidium, et simul ad infirmitatis levamentum? Gratia illa, quae dicitur sufficiens, dum pias cogitationes, affectionesve in animo excitat, an non instar salutaris remedii habenda est, quo disponuntur homines, ac praeparantur ad uberiora, et efficaciora suscipienda auxilia, quibus quod coepit Deus opus bonum, ipse perficiat?

re peccatum. Atque id ex eo repetunt, quod natura insit homini vis eligendi; quo fit, ut homo sive sub gratia, sive sub concupiscentia constitutus, flecti possit ad bonum, atque malum; idque satis esse ad peccandi necessitatem removendam, quod quocumque casu homo peccat, certe non peccasset, nisi peccare voluisset; nil quippe tam intelligitur in hominis esse potestate, quam id quod fit, si vult fieri, non fit, si fieri non vult. Atque is quidem, ut notat Augustinus, capitalis fuit error Pelagii, qui ut patres palaestinos in diospolitana synodo eluderet, visus est gratiae necessitatem agnoscere, cum diceret, *Hominem in peccatis conversum, proprio labore et Dei gratia posse esse sine peccato.* Quo audito, *hanc gratiam, quam in catholica Ecclesia notissimam noverant, episcopi crediderunt Pelagium confiteri.* Verum homini vaferrimo longe alia inerat mens, et sententia: qui nimirum gratiae Dei nomine, liberi arbitrii acceptum a Deo munus intelligi volebat. Fraudem probe detexit Augustinus perfecto praesertim libello, quem ad ipsum detulerant nonnulli, qui fuerant discipuli Pelagii, quo in libro illo apertissimo oxpresserat, *Hanc se dicere Dei gratiam, quod possibilitatem non peccandi natura nostra, cum conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio.* Quam mentem suam clarius adhuc suis discipulis exponere curaverat, ne quid a se dictum in synodo palaestina cum sui dogmatis praejudicio putarent. Verba haec sunt Pelagii, quae refert Augustinus: *Dixi quidem, proprio labore, et Dei gratia posse hominem esse sine peccato; sed quam dicam gratiam, optime nostis, et legendo recolere potestis, quod ea sit, in qua creati sumus a Deo cum libero arbitrio.* Sic Augustinus et errorem deprehendit, et latebrum in qua latebat, aperuit. Error, quemadmodum paucis eum verbis sanctus doctor complectitur (de nat. et gr. c. 59.), in eo situs erat, quod Pelagius *ad gratiam Dei non pertinere diceret possibilitatem, qua fit, ut* (homo) *si noluerit peccare, non peccet.* Fraus in eo, quod possibilitatem istam, propterea quod a Deo accepta est, ad eam Dei gratiam referret, quam palaestini patres in catholica Ecclesia notissimam noverant. Haec nimirum labes pelagiani fuit erroris, ut illud *proprium posse*, quod catholica fides gratiae refert acceptum; ei possibilitati, seu potentiae tribuatur, quam natura nostra, cum conderetur, una cum libero arbitrio accepit. An non in eam fraudem ultro se conjiciunt, qui Arnaldi propositionem sic defendunt, quod etsi gratia ei defuisse dicatur, adhuc merito dici possit, hoc nomine peccasse, quod semper homini quacumque in tentatione constituto, natura vis ea insit eligendi, qua fit, ut si nolit peccare, non peccat?

65. Itaque certo, ac firmiter tenendum, (trid. sess. 6. c. 11.), Deum impossibilia non jubere; sed cum jubet, monere nos, ut faciamus, quod possumus, et petamus quod non possumus, et adjuvare, ut possimus.

66. Gratia, quae dicitur sufficiens, semper quidem effectum habet aliquem excitandi, movendi, juvandi, ut homo possit agere; quem effectum habet ex voluntate Dei consequente: non autem habet totum effectum, ad quem ordinatur ex voluntate Dei antecedente.

VII.

DE GRATIA EFFICACI.

67. Illa porro gratia, quae consequente voluntate datur, ut duritia cordis auferatur, nec proinde ab ullo duro corde respuitur; gratia est efficax: sic dicta, quod effectum suum certo semper, ac plene sortiatur.

SCHOL. Absit vero ut putemus, efficacitatem gratiae vim ullam, aut necessitatem inferre voluntati. Sic enim Deus efficaci sua inspiratione cor hominis inclinat, ac movet ad certo assentiendum, ut nihilominus, quemadmodum tridentina synodus docet sess. 6. c. 5., libere homo assentiatur; dumque libere inspirationem recipit, abjicere illam possit, si velit: « Unde in sa» cris litteris, cum dicitur, convertimini ad me, » et ego convertar ad vos, libertatis nostrae » admonemur; cum respondemus: Converte nos, » Domine, ad te, et convertemur, Dei nos gra» tia praeveniri confitemur ». Quare fide catholica tenendum est, sub efficacitate gratiae libertatem consistere non solum a coactione, sed et a necessitate.

68. Vicissim hanc gratiam simul cum cooperatione liberi arbitri commendant patres africani c. 12. « Ut ergo cum timore, et tremo» re suam quisque operetur salutem, opus est » volentis hominis, sed hoc ipsum Dominus o» peratur in suis. ... Ita fit, ut se operari de» bere homo cognoscat, dum praeceptum ac» cipit, et Deo sciat se semper omne bonum » debere, quod vult, ac facit, quem, teste A» postolo, cognoscit operari in homine velle, » et perficere pro bona voluntate. Cum ergo » Deus operari coeperit velle, tunc homo ad » Deum convertitur, et eodem in se operante, » unde ipsi placet, operatur ».

69. Hanc gratiam et orationes Ecclesiae, et gratiarum actiones amplissime testantur, ut saepe monet Augustinus. Urget idem argumentum et Coelestinus I. epist. 21. ad episcopos Galliarum n. 11. ap. Cousi; nimirum, *ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

70. Quin et communis fidelium sensus eidem suffragatur: nam si quandoque accidit, ut scelestus quisquam capitali supplicio mox afficiendus, vel in ipso exitu vitae monita salutis, reconciliationem cum Deo, paratu morituris aeternae vitae comparandae subsidia praefracte respuat, ac aspernetur; pia fidelium multitudo in templa statim convolat, supplicibus votis

Deum exoratura, ut perditum hominem retrahere ad se velit, eique salutaris poenitentiae gratiam largiri. Minime dubitant, quin Deus omnipotentissima virtute duritiam illam emollire, ac frangere, cor lapideum auferre, affectus omnes commutare, atque uno verbo sanctum ex impio efficere puncto temporis valeat. Quo sane vim efficacissimam divinae gratiae plane agnoscunt, ac profitentur. Simul et certum habent, posse illum pro liberi arbitrii facultate vocanti Deo resistere. Proinde, si contingat eum obdurato animo in sua nequitia persistere, non Deum deficientem, absit, sed obstinatam nefarii hominis voluntatem accusant, quem juste damnandum, ut qui culpa ipse sua perire voluerit, praedicant. Hoc populare dogma est, cujus vim urget graviter Augustinus contra Julianum l. 2. oper. imperf. n. 2., nimirum, *quia populus ejus sumus, qui propterea est appellatus Jesus, quia venit quaerere, et salvum facere quod perierat.*

71. Quod si quaeritur, unde gratia efficax vim illam habeat voluntatis certo flectendae sine ullo libertatis detrimento, non immerito cum Augustino repeti ea poterit ex vocatione alta illa, et secreta, qua sic Deus agit in sensum, sive in mentem, et voluntatem hominis, ut homo ei accomodet assensum. (Epist. 217. *ad Vitalem* c. 2.)

72. Atque hujusce quidem actionis vis efficacissima non aliunde rectius, aut certius repeti potest, quam ex Dei conditoris universali ac supremo dominio in res quasque conditas. Certe, cum, ut pervulgatissimum est, actio Dei conservatrix aliud non sit, quam creatricis actionis continuatio, (s. Th. 1. p. q. 104. a. 1. ad 4), consequens est, ut actio haec creantis, seu conservantis Dei, non attingat modo, verum etiam pervadat cujusque rei intimum *esse*, intimam substantiam, proprietates omnes, et facultates, continuataque actione ista creante omnia contineat, sustentet, permoveat, modoque rei cuique apto, et convenienti suos in fines dirigat. Scilicet *in ipso vivimus, movemur, et sumus;* ut nulla sit actio rei creatae, cui non intus praesens adsit, intimiusque veluti subsit ipsa vis Dei, a quo ut substantia, sic operatio accipit, habetque ut sit. Unde et s. Th. 1. 2. q. 6. art. 1. « Deus, inquit, movet » hominem ad agendum, non solum sicut pro» ponens sensui appetibile, vel sicut immutans » corpus, sed etiam sicut movens ipsam vo» luntatem ». Et 1. p. q. 105. a. 1. « Ex eo » quod ipse Deus est proprie causa ipsius es» se universalis in rebus omnibus, quod inter » omnia est magis intimum rebus; sequitur, » quod Deus in omnibus intime operetur. Et » propter hoc in sacra scriptura operationes » naturae Deo attribuuntur quasi operanti in » natura, secundum illud Job: *Pelle, et carnibus » vestisti me, ossibus, et nervis compegisti me* ». Qua de re multa multis locis disputat sanctus doctor, nec solide minus, quam acute ac subtiliter more suo. Vide praesertim l. 3. cont. gent. c. 88., quorum haec veluti summa est, Dei hoc maxime proprium esse voluntatem ut moveat, non ut alliciens tantum, sed et inclinans 1. p. q. 105. a. 4.

SCHOL. I. Cum Deus rem unamquamque moveat modo naturae suae apto, et consentaneo; ea porro sit natura hominis, ut delectatione trahatur; haud arduum erit intelligere, quemadmodum in vocatione illa alta, et secreta, qua sic Deus agit in sensum, ut homo ei accomodet assensum, ex illa ipsa intima motione, qua Deus voluntatem praemovet, prodeat etiam delectatio, quae suavitate animum perfundat, et pro adjuncta motione vires eas efficacissimas praebeat voluntati, e quibus efficacitatem gratiae repetit Augustinus l. 1. cont. duas epist. pelag. c. 19. Sic ut in una eademque Dei actione vis utraque conjuncta esse intelligatur, alliciendi utmirum simul, ac permovendi. Quod et confirmari posse videtur his, quae tradit eximius plane theologus Franciscus Suaresius in 3. p. 2. th. 42. disp. 30. sect. 1., ubi de doctrinae Christi excellentia disserens: « Quar» ta, inquit, excellentia est, quia docendo non » solum illustrat intellectum, sed etiam cor » penetrat, ut Paulus ait ad Hebr. 4.; propter » quod merito dicebant discipuli Joan. 6: *Quo » ibimus? Verba vitae aeternae habes.* Et ideo » quando volebat, unico verbo ita excitabat » hominem, ut suae voluntati, et vocationi » statim obediret, quod divinae virtuti, et ef» ficaciae Verbi tribuendum est ». Quae sententia significationem praesefert virtutis, et efficaciae non allicientis tantum, sed et praemoventis Dei.

SCHOL. II. Hac posita supernae delectationis conjunctione cum divinae motionis efficientia, quam et Augustinum agnovisse multis argumentis ostendi potest; nil jam erit, cur de graduum contentione inter utramque delectationem admodum solliciti esse debeamus. Alia quippe ratio comparationis est inter contrarias delectationes, cum spectantur tantummodo ex sese, prout ab objectis rebus moventur, ac velut extrinsecus influunt in animum: nempe cum ex. gr. hinc allicitur animus objecta specie iniqui lucri, istinc ab objecta honesti specie retrahitur. Alia comparationis ratio inter delectationem, quae oblata fallacis boni specie animum permulcet, et delectationem, quae inclinandi animi vim trahit, non tantummodo ex blandienti quadam specie honesti boni, sed potissimum ex viribus illis efficacissimis, quas Deus praebet voluntati. Alia, uno verbo, delectationis ratio, quae ex objecta specie boni movetur, nec majorem vim habet, quae ex ipsa specie vi sua ducitur; alia ratio delectationis, quae ab eo infunditur, et inspiratur, qui habet humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem; qui, ut viros bellatores adduceret in ile-

bron ad constituendum David regem, *intus egit, intus corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit* (de corrept. et gr. c. 14.). Efficacitatem proinde, qua illi adducti sunt, repetit Augustinus non ex majori tantum delectationis gradu, sed ex adjuncta motione, qua *intus egit, intus corda movit*: cujus vim non solitariae delectationis blanditiis, sed omnipotentissimae Dei potestati acceptam refert. Qualiscunque proinde graduum contentio instituatur inter utramque delectationem, si coelesti delectationi adjuncta intelligitur vis illa, qua movet Deus, intus agens in voluntatem; profecto nulla erit tam potens adversa delectatio, quam nullo gradus discrimine superatura non sit coelestis delectatio, vi ejus motionis, quae vires illas efficacissimas praebet voluntati, quibus facit Deus, ut homo liberrime simul, et certissime velit.

73. Hinc et intelligitur, quo sensu opera bona divinitus tribui doceant patres africani ex illo Apostoli: *Ipsius enim factura sumus; creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Et sane qui potens est ex lapidibus suscitare filios Abrahae; qui potens est confirmare in bono, et conservare sine peccato; potens est efficere, ut homo certissime velit, et liberrime velit. Nam, ut sapienter docet s. Th. 1. p. q. 19. art. 8. « Cum » voluntas divina sit efficacissima, non solum » sequitur, quod fiant ea, quae Deus vult fie» ri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea » fieri vult ». Quo intelligitur, efficacitatem gratiae, prout ex efficacissima Dei motione repetitur, non solum non excludere, sed et plane includere liberam cooperationem arbitrii, ut verum sit quod ait Augustinus *de diversis quaest. ad Simpl.* l. 1. q. 2. n. 1. « Ut velimus, et » suum esse voluit, et nostrum: suum vocando, » nostrum sequendo ». Qua de re ne dubitatio aliqua supersit, extat synodi tridentinae expressa definitio sess. 6. can. 4. « Si quis dixe» rit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, » et excitatum, nihil cooperari, assentiendo » Deo excitanti, atque vocanti .... anathema » sit ».

74. Quod si ad arcanum illud scrutandum vocamur, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, isti non ita; jam ad affine praedestinationis mysterium devolvimur, nec alia in promptu sunt, quam Augustini duo ex Apostolo deprompta responsa: *O altitudo divitiarum etc.*; et: *Numquid iniquitas apud Deum?* Quo proinde loco sic nos versari oportere intelligimus, non ut enitamur aut intelligentia consequi, aut sermone arcana explicare, quae nemo cognovit, nisi spiritus ille, qui scrutatur profunda Dei; sed ut quaedam moneamus, quae usui valeant esse ad vitandos scopulos, in quos illidunt, qui dum scrutatores volunt esse majestatis, opprimuntur a gloria.

VIII.

DE PRAEDESTINATIONE, ET PRAESCIENTIA.

75. *Quis te discernit* (1.Cor.4.)? Originali culpa nasci homines, peccato, et damnationi obnoxios, prorsus certum est. Ex quo illud sequitur, Deum non fore injustum, si homines in ea perditionis massa reliquisset.

76. Verum Deus dives in misericordia, proposito Christo propitiatore pro peccato totius mundi, quosdam gratuita misericordia specialim elegit, quos ex ea damnationis massa, velut ex mortis faucibus ereptos ad vitam aeternam perduceret.

77. Haec est praedestinatio Sanctorum; praescientia nimirum, et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Itaque praescientia gratiae liberantis, gratia liberans praedestinationis effectus.

78. Hinc licet unus praedestinationis effectus ex alio quandoque pendeat; praedestinatio tamen secundum se tota non est ex praevisis meritis, cum merita sint effectus gratiae, gratia praedestinationis effectus. Etenim non ex operibus justitiae quae *fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Ad Tit. 3. v. 5.

79. Praescientia itaque Dei quoad praedestinatos fundatur in praeparatione beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque sunt praedestinati ad gloriam.

80. Quibus autem occulto, sed justo judicio Deus ejusmodi beneficia non praeparavit, ii dicuntur, ei fiunt reprobi, sive propter peccatum originale, ut parvuli non regenerati, sive propter peccata propria cujusque voluntate admissa.

81. Per illam non praeparationem beneficiorum praescit Deus peccata futura, extremamque reproborum in excessu e vita funestam obstinationem in malo.

82. Hinc discrimen hoc praedestinationem inter, et praescientiam constituit Augustinus (de Praed. SS. c. 10.): « quod praedestinatione » Deus ea praescivit, quae fuerat ipse factu» rus, unde dictum est: *Fecit quae futura sunt*; » praescire potens est etiam quae ipse non facit, » sicut quaecumque peccata ».

83. Licet autem occulto, sed justo judicio Deus ea peccata permittere decreverit; haec tamen permissio nullo pacto causa est peccatorum, quae tota est in libertate, et pravitate peccantium reponenda.

84. Deus proinde neminem positiva reprobatione suppliciis addicit, ac damnationi aeternae, nisi ex praeviso peccato.

85. Reprobatio itaque positiva ex praevisa culpa, quam justa damnatio consequitur: secus atque reprobatio ea mere negativa, qua Deus tantum constituit non ea praeparare beneficia,

quibus certissime liberantur quicumque liberantur.

86. « Praedestinatio, et electio, et reprobatio, » inquit s. Th. l. 4. cont. Gent. c. 163., est » quaedam pars divinae providentiae, secun- » dum quod homines ex divina providentia » ordinantur in ultimum finem. Unde per ea- » dem manifestum esse potest, quod praedesti- » natio,et electio necessitatem non inducunt,qui- » bus et supra ostensum est, quod divina pro- » videntia contingentiam a rebus non aufert».

87. « Quod autem praedestinatio, et electio, » pergit s. doctor, causam non habeant ex ali- » quibus humanis meritis, potest fieri manife- » stum non solum ex hoc, quod gratia Dei, » quae est praedestinationis effectus, meritis » non praevenitur, sed omnia merita praecedit » humana;sed etiam manifestari ex hoc,quod di- » vina voluntas, et providentia est prima causa » eorum quae fiunt. Nil autem potest esse causa vo- » luntatis, et providentiae divinae; licet effec- » tuum providentiae, et similiter praedestinatio- » nis, unus possit esse alterius causa ».

88. Quamvis autem discretionis hujus nulla sit causa orta ex conditione creaturae; non sequitur, nullam hujus rationem esse ex ordine divinae sapientiae, cui semper concors ordo est voluntatis divinae. Nam, ut docet s. Th. l. 1. cont. Gent. c. 86. 87. « Licet divinae voluntatis » nulla causa esse possit, aliqua tamen ejus ra- » tio potest assignari: unde excluditur error » quorumdam dicentium, omnia procedere a » Deo secundum simplicem voluntatem, ut de » nullo oporteat rationem reddere, nisi quia » Deus vult. Quod etiam divinae scripturae » contrariatur, quae Deum perhibet secundum » ordinem suae sapientiae omnia fecisse, se- » cundum illud Psal.: *Omnia in sapientia fecisti:* » et Ecclesiastici 1. dicitur, quod *Deus effudit* » *sapientiam suam super omnia opera sua* ».

Praeclare quoque Augustinus in eamdem sententiam (de Gen. ad Litt. l. 9. c. 18.): « Habet » ergo Deus in seipso absconditas quorumdam » factorum causas, quas rebus conditis non in- » seruit;easque implet non illo opere providen- » tiae, quo naturas substituit, ut sint; sed illo, » quo eas administrat, ut voluerit, quas ut vo- » luit, condidit. Ibi est et gratia, per quam » salvi fiunt peccatores ».

89. Propterea quod attinet ad electorum discretionem, cum nos penitus lateat divinae voluntatis ratio in thesauris abscondita providentissime sapientiae, quae singula ordine congruo dirigit in finem, rursum exclamare cogimur: *O altitudo*, et *Numquid iniquitas est apud Deum*? Ut proinde dum in hac tractatione versamur, necesse sit in primis illud semper nobis obversari monitum Apostoli (ad Rom. 12.): *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Qua moderatione adhibita, ex divinae praedestinationis consideratione, prout e sacris litteris secundum patrum interpretationem commendatur, ac recolenda proponitur, multa peti possunt ad uberiorem pietatis fructum incitamenta. Quo et illud spectat, quod *ad Rom.* 11. post expositam quorumdam ex populo judaico gratuitam electionem, reliquis ob incredulitatem in sua caecitate relictis, tum et gentium gratuitam item assumptionem in istorum locum; subjicit: « Vide ergo bonitatem, et » severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, » si permanseris in bonitate, alioquin et tu ex- » cideris ».

1. Vehementer excitamur in spem, dum spei nostrae fundamentum non infirmitate nostra positum cogitamus, sed maxime in omnipotentia Dei virtute, ac bonitate; qui sic dilexit nos, ut Filium suum Unigenitum daret, eumque misit, ut salvaretur mundus per ipsum. *Et qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (ad Rom. 8.) Sane hinc jubet nos Deus sperare: istinc polliceatur futurum nunquam, ut qui sperat in eo,confundatur: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* (c. v. 31.): quam sententiam explanans doctissimus Estius: « Dicitur ergo, inquit, hoc in » persona electorum, seu praedestinatorum, de » quibus jam locutus fuerat. Quorum in per- » sona etiam sequentia dicuntur. Quatenus ergo » quisque fidelium confidere potest, ac debet, » se esse e numero electorum; ea ratione sen- » tentiam hanc cum iis quae sequuntur, potest » ac debet sibimet applicare ». Quis proinde non cum Bernardo fiducia plenus exclamet: *Meliores in manibus tuis sortes meae?*

2. Discimus humiliare nos sub potenti manu Dei, dum incomprehensibilia judicia ejus recolimus: discimus gloriari non in nobis, sed in Deo,saepe nobiscum reputantes fiduciam talem nos habere per Christum ad Deum,non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientiam nostram ex Deo esse (2. Cor. 3.); quae vera est humilitas christianae virtutis fundamentum.

3. Discimus cum timore, ac tremore salutem nostram operari; dum culparum nostrarum memores, et propriae infirmitatis conscii, verendum nobis esse intelligimus, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus,pro certo habentes neminem, nisi sua culpa, et perversitate sibi damnationem acquirere.

4. Excitamur ad orationem, vigilantiam, ad studium bonorum operum,quibus certam nobis vocationem, et electionem faciamus. Scimus his velut subsidiis,et effectibus praedestinationis Deum electos suos ad vitam perducere. Qua in via ambulantes, tametsi de magno illo perseverantiae munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: nemini liceat sibi certi aliquid absolute certitudine polliceri, nec illud (saltem de condigno) mereri quisquam possit; in ipso tamen Dei

auxilio firmissimam spem collocare, ac reponere omnes debent, ut nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, et perficere. Trid. sess. 6. c. 13.

IX.

DE VOLUNTATE DEI ERGA OMNIUM SALUTEM, TUM DE VOCATIONE AD FIDEM ET GRATIAM.

91. Fide tenendum, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, et sanguinem fudisse: Deum velle omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

92. Aliunde certum est, quaecumque Deus efficaciter, et absolute vult, ea prorsus fieri, quippe *voluntati ejus quis resistit?* Simul et certum est, non omnes homines salvos fieri.

93. Duplex itaque in Deo distinguenda voluntas; una, qua Deus absolute et simpliciter decernit effectionem rei cujuspiam; eaque dicitur absoluta, et consequens, utpote quam certo ac semper effectus consequitur: quippe fieri non potest (in sensu composito), ut non sit aliquando futurum, quod aliquando futurum Omnipotens decreverit. Altera est, qua objectum quodpiam in se spectatum placere quidem Deo intelligitur, sed cujus existentiam spectatis adjunctis, pro suae providentiae ordine absolute non decernit; et haec dicitur antecedens, et generalis, quam, utpote quae nullum habet adjunctum absolutum decretum, haud repugnat non impleri. Et sane quae de divina voluntate dicuntur, ea ex analogia quadam rationalis naturae, sublatis defectibus, in divina transferuntur, *propterea quod nomina, quae Deo tribuuntur, e rebus creatis mutuari cogimur.* (Catech. Rom. p. 1. a. 8. n. 3.). Hunc autem duplicem volendi modum intellectuali, rationalive naturae congruere novimus. Atque haec quidem ut pressius disputata, sic et plenius illustrata sunt a doctore Thoma pluribus locis, quae doctissimus *Verae Christi Ecclesiae* propugnator ac vindex cardinalis Gotti toto tractatu *de Voluntate Dei* sapienter exponit: ex eisdemque merito concludit, voluntatem eam Dei antecedentem, non vanam, et otiosam, ut perperam novatores objecere, verum beneficae, sinceraeque voluntatis rationem habere.

SCHOL. Delicatioris esset fastidii ab usitatis istis vocibus voluntatis *antecedentis, et consequentis*, quasi noviter inductis abhorrere, cum et his subjecta vis, ac notio penes vetustos quosque patres, et expressum etiam vocabulum reperiatur apud Johannem Damascenum (de fide orthod. l. 2. c. 29.) « Hoc itidem nos oportet, » Deum primaria, et antecedente voluntate velle » omnes salvos esse, et regni sui compotes fie» ri. Non enim nos ut puniret condidit; sed » quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suae par» ticipes essemus. Peccantes porro puniri vult, » quia justus est. Itaque prima illa voluntas » antecedens dicitur, et beneplacitum, cujus » ipse causa sit: secunda autem consequens vo» luntas, et permissio, ex nostra causa ortum » habens, eaque duplex: altera dispensatione » quadam fit, et ad salutem erudit; altera a » reprobatione proficiscitur, ad absolutam, ut » diximus, poenam pertinens ». Quod manifestum est cadere in reprobationem positivam, quae est ex praevisis culpis; nec porro excludere gratuitam dispensationem in praeparatione beneficiorum quoad electos.

94. In Deo verum et amorem esse, et gaudium demonstrat s. Th. (l. 1. cont. Gent. c. 90. 91.) *Quamvis haec in eo non secundum passionem, sicut in nobis sint.* Tum subjicit: « hoc » esse proprie de ratione amoris, quod amans » bonum amati velit. Deus autem vult bonum » suum, et aliorum: et secundum hoc Deus et se, » et alia amat ».

95. Sed et istud notandum, quod ibidem docet sanctus doctor: « Deus vult bonum unius» cujusque, secundum quod est ejus: vult » enim unumquodque esse, secundum quod in » se bonum est, licet etiam unum ordinet in » bonum alterius ».

96. Deum diligere omnia quae sunt, et nihil odisse eorum quae fecit, sacrae litterae testantur, Sap. 11. Unde merito ex superius dictis concludit s. Th. c. 96. « quod odium ali» cujus rei Deo convenire non potest » (quippe pravitas peccati non in rei, quam Deus faciat, sed potius in rei, seu boni privatione consistit.) « Siquidem voluntas Dei ad malum » inclinari non potest ». Quin etiam vult Deus, ut in rebus quas producit, sit suae bonitatis similitudo, in qua situm est bonum uniuscujusque rei.

97. Odisse autem dicitur Deus per accommodationem; dum vult aliquod majus bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni. Et sic in quantum vult bonum justitiae, vel ordinis universi (quod esse non potest sine punitione, vel correptione aliquorum), dicitur illa odisse, quorum punitionem vult, vel correptionem, secundum illud: *Esau odio habui*, et illud Psal. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Ita s. Th.

98. Consentanea sunt, quae tradit Augustinus (de Spir. et Litt. c. 33.) « vult Deus omnes » homines salvos fieri, et in agnitionem veri» tatis venire; non sic tamen, ut eis adimat » liberum arbitrium, quo bene, vel male uten» tes justissime judicentur. Quod cum fit, in» fideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, » cum ejus evangelio non credunt ».

99. Divina sunt, plenaque ut pietatis, ita et bonae spei, christianaeque consolationis verba haec apostolorum principis, e cujus ore disposuit Deus audire gentes verbum evangelii, et credere: *Patienter agit* (Deus) *propter vos, no-*

ex allatis supra locis liquet, tum vel ex hoc ipso, quod plane confirmat, jubere Deum nos pro salute omnium orare. Etenim quidquid vult ac jubet Deus peti a nobis, ad eam certo orationis dominicae clausulam pertinet: *Fiat voluntas tua*. Si ergo non sinit solum, sed et jubet Deus nos orare pro salute omnium; et si hoc orando petimus fieri voluntatem Dei: consequens est, aliquam in Deo voluntatem erga omnes esse, quam erga omnes, jubente Deo, petimus adimplere. Quae Dei voluntas, si erga solos electos consequens est, et absoluta; antecedentem sane intelligi par est erga reprobos. Quippe si erga istos nulla esset Dei voluntas, profecto dum oramus pro salute omnium, non oraremus fieri Dei voluntatem, cum nulla esset Dei voluntas de salute omnium. Aurea plane Augustini sententia serm. 105. de verbis evangelii Lucae 11. *Quis vestrum* ec. num. 1. « Dominus autem noster Jesus Christus inter » nos petitor, cum patre dator, non utique » nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi da» re vellet. Erubescat humana pigritia: plus » vult ille dare, quam nos accipere: plus vult » ille misereri, quam nos a miseria liberari: » et utique si non liberati fuerimus, nos miseri » remanebimus. Nam ille quod nos hortatur, » propter nos hortatur ». Confirmat hoc ipsum fidissimus Augustini doctrinae interpres ac vindex sanctus Prosper aquitanus: (Respons. 2. ad object. Vincent.) « Qui fieri potest, ut Deus, » qui etiam illos salvat, de quibus dici non » potest, quod salvari velint, nolit aliquos sal» vare, etiamsi salvari velint; nisi aliquae cau» sae existant, de quibus, quamvis sint nobis » incognoscibiles, ille tamen bene juste judi» cat, de quo dici non potest, aliter eum quid» quam facere debuisse, quam fecerit? Remota » ergo hac discretione, quam divina scientia » intra secretum justitiae suae continet; sin» cerissime credendum, atque profitendum est, » Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. » Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, » sollicitissime praecipit, quod in omnibus Ec» clesiis piissime custoditur, ut Deo pro om» nibus hominibus supplicetur: ex quibus quod » multi pereunt, pereuntium est meritum; » quod multi salvantur, salvantis est donum ». Quibus liquet praeter voluntatem, qua nititur discretio salvandorum a non salvandis; quae voluntas, utpote specialis, et absoluta non omnes complectitur; Prosperum ex generali supplicatione, quam pro omnibus fieri praecipit Apostolus, generalem in Deo voluntatem erga salutem omnium comprobasse, hoc ipso quod sincerissime credendum sit, Deum salutem eorum omnium velle, pro quibus omnibus vult sibi supplicari. Quod profecto ex Augustini sententia dictum ab illo esse dubitari non potest, qui hoc ipso libro doctrinam Augustini contra Vincentii objecta vindicandam, et illustrandam susceperat.

Praeterea valde notanda ratio videtur, qua sanctus Augustinus l. 6. cont. Julian. cap. 4. pervicaciam refellit hominis negantis parvulos ullo peccato nasci obstrictos. Urget adversus illum auctoritatem Apostoli ajentis (ad Rom. 5.) « Commendat autem suam charitatem Deus in » nobis, quoniam cum adhuc peccatores esse» mus, Christus pro nobis mortuus est ». Quam auctoritatem sic eludere nitebatur Julianus, ut diceret, eam de peccatoribus intelligendam esse, non vero de parvulis: *Hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari*. At praeclare demonstrat Augustinus, parvulos etiam comprehendi hac altera ejusdem Apostoli prolata sententia (2. Cor. c. 5.): *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus*. Hinc invicte argumentatur Augustinus et parvulos mortuos esse: « Ex hoc » enim, inquit, probavit (Apostolus) omnes » mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est » unus. Impingo, inculco, infercio recusanti: » accipo, salubre est, nolo moriaris. Unus pro » omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. » Vide quia consequens esse voluit, ut intelli» gantur omnes mortui, si pro omnibus mor» tuus est ». Sic ergo probat Augustinus ex Apostolo, parvulos mortuos esse, quia omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est; cumque, teste Apostolo, Christus universe dicatur mortuus pro omnibus; necessario fit consequens, ut et pro parvulis mortuus sit. Quod si vox illa *pro omnibus* non omnes prorsus homines comprehenderet, si aliqua posset exceptione coerceri; hoc ipso tota repente concidisset vis argumenti, quod ex Apostolo depromit Augustinus. Quippe mira facilitate sese Julianus expedire potuisset, contra opponens, si quam exceptionem pateretur vox *omnes* in Apostoli sententia, aequum profecto esse, ut ea in parvulos potissimum caderet. Cum itaque contendat sanctus doctor, ac probet, omnes prorsus homines, nec ipsis exceptis parvulis, peccatores esse, eo quod Christus pro omnibus mortuus sit: evidentissimum est, quemadmodum nullum ille omnino hominem ex peccatorum numero eximebat, sic nullum plane ex eorum numero excipere potuisse, pro quibus Christus mortuus est. Nam cum paullo ante apertissime professus esset, Christum non nisi pro peccatoribus mortuum esse, nunquam profecto concludere potuisset, omnes homines, nullo excepto, peccatores esse; nisi certum illi ratumque fuisset, Christum pro omnibus, nullo excepto, mortuum esse.

Jam vero beneficam Dei voluntatem erga homines in eo maxime se prodere, quod Christus pro omnibus mortuus sit, praeclare simul demonstrat Augustinus ex illa etiam Apostoli sententia (ad Rom. 5.): *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. Cui sententiae consentanea

et illa est c. 8. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis* OMNIBUS *tradidit illum.* Si ergo benefica Dei voluntas elucet erga eos, pro quibus Filium suum tradidit: et si pro *omnibus* tradidit illum; benefica ergo ista Dei voluntas, seu charitas commendatur erga omnes, et quidem ordinate ad salutem, si quidem pro salute omnium Christus traditus est, ac mortuus.

Certe hanc Paulli sententiam fuisse, Christum mortuum esse etiam pro salute eorum, qui pereunt, perspicue ducitur ex loco illo 1. ad Cor. c. 8., ubi monens, ne infirmis offendendi occasio praebeatur, subjungit: « Et peribit infirmus » in tua scientia frater, propter quem Christus » mortuus est » idest propter quem *salvandum*, ut exponit s. Th. in eum locum: et similiter Estius in eumdem locum his verbis: » Peribit » autem in tua scientia, idest per tuam scien- » tiam, qua dum tu male uteris, praestas illi » peccandi occasionem: cumque perdis, quem » Christus in tantum dilexit, ut pro ejus salute » mortem oppetere non dubitavit ».

SCHOL. I. Atqui et in augustissimo etiam Eucharistiae sacrificio, quo sacrificium Crucis continuari Christus voluit, quotidie memoria renovatur excellentissimae charitatis ipsius, propensaeque erga salutem omnium voluntatis. Enimvero Christus, utpote Sacerdos in aeternum constitutus, sic illud per sacerdotes, quos instituit sacerdotii sui non successores, sed ministros ac participes, offerri voluit, ut semper ipse principalis esset offerens; ac proinde quod in actione sacrificii geritur a sacerdote, personam Christi sustinente, hoc ipsum peragat Christus sedens ad dexteram Patris, semperque vivens ad interpellandum pro nobis. Quippe habet illa oblatio absolutissimae deprecationis, postulationisque vim praesentissimam, qua placatus Deus, exoratusque, ingentia crimina dimittit, atque in totum genus humanum, cruore Filii sui aspersum, ac redemptum, immensa beneficia diffundit. Quid porro voluerit Christus in ea oblatione, sacerdotum suorum ministerio ad altare postulari, luculenter docet Augustinus epist. 217. *ad Vitalem* c. 1. n. 2., quo loco ex ipsismet Ecclesiae precibus, quae ad altare funduntur, stultitiam hominis arguit, initium fidei repetere ex dono Dei recusantis: » Exsere, inquit, contra » orationes Ecclesiae disputationes tuas: et quan- » do audis sacerdotem Dei, ad altare exhor- » tantem populum Dei, orare pro incredulis, » ut eos Deus convertat ad fidem, et pro cate- » chumenis, ut eis desiderium regenerationis » inspiret, et pro fidelibus, ut in quo esse coe- » perunt, ejus munere perseverent; subsanna » pias voces ect. ». Praeclare item sanctus Coelestinus I. (Epist. 21. ad episcopos Galliarum c. 11. apud Constant). « Obsecrationum quoque » sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae » ab apostolis tradita, in toto mundo, atque in » omni Ecclesia catholica uniformiter celebran- » tur, ut legem credendi lex statuat supplicandi; » cum enim sanctarum plebium praesules man- » data sibimet legatione funguntur, apud divi- » nam clementiam humani generis agunt cau- » sam, et tota secum Ecclesia congemiscente » postulant, et precantur, ut infidelibus donetur » fides, ut idololatrae ab impietatis suae libe- » rentur erroribus, ut Judaeis, ablato cordis » velamine, lux veritatis appareat, ut haere- » tici catholicae fidei perceptione resipiscant, » ut schismatici spiritum redivivae caritatis » accipiant, ut lapsis poenitentiae rimedia con- » ferantur, ut denique catechumenis, ad rege- » nerationis sacramenta perductis, coelestis mi- » sericordiae aula reserentur ». Quae vota liturgica sacerdotis prece comprehenduntur, dum calicem offerens precatur, ut in conspectu divinae majestatis pro totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat (a). Quod si sacerdos in ritu peragendo sacrificii tanquam Christi minister, placabilem hostiam offerens, orat pro totius mundi salute; quis dubitet, quin Christus principalis offerens hoc ipsum oret apud Patrem? Cumque oratio sit certa voluntatis interpres; profecto si quod orat minister ad altare pro salute omnium, Christus principalis sacerdos Patri exhibet interpellans pro nobis; certe in hac ipsa oratione certa significatio existit voluntatis Christi erga salutem omnium. Uno verbo, si Christus mortuus est, Crucisque adeo sacrificium obtulit pro salute omnium, etiam eorum qui pereunt, ut vel ex ipsa deducitur sententia s. Th. in 1. ad Corinthios, quam paullo ante recitavimus; consequens est ut sacrificium altaris, quod re unum idemque est cum sacrificio Crucis, pro salute omnium et offerri a suis ministris voluerit, et ipse principalis sacerdos continenter offerat.

Neque his adversatur auctoritas illa, quae objici solet ex 3. p. sancti Thomae q. 22. art. 4. » ad 2. « Quod Dominus non oravit pro om- » nibus crucifixoribus, neque etiam pro omni- » bus, qui erant credituri in eum, sed pro his » solum, qui erant praedestinati, ut per ipsum » vitam consequerentur aeternam ». Nam ut ex ipsa littera contextus praeceptoris angelici sententiam probe cum aliis ejusdem scholae doctoribus exponit cl. card. Gotti (de divina voluntate q. 2. dub. 2. §. 5.)« Mens sancti doctoris » fuit negare solum Christum orasse pro cru- » cifixoribus oratione implenda, et inferente » salutem eorum efficaciter. Quod patet: tum » quia in eo articulo de hoc agebat: et tum » quia hoc petebat argumentum, cui responde-

(a) Ne quis obtrectandi occasionem capiat ex quaestionibus, quae instituuntur de his, pro quibus offerendum sit Missae sacrificium, satis fuerit pauca verba subjicere deprompta ex morali theologia P. Antoine *De Eucharistia* cap. 3. « Ex communi sententia offerri » potest pro conversione infidelium, et haereticorum, et » excommunicatorum, modo non nominentur in ora- » tionibus ». Qua etiam de re plenior, et ad rem nostram congruentior extat Bellarmini disputatio *de Missa* l. 2. c. 6.

» bat, quod aperte demonstrant ejus verba se» quentia: ait enim s. Th. « *Sed pro his solum,* » *qui erant praedestinati*; deinde subdit, *ut per* » *ipsum vitam consequerentur aeternam*. Conse» cutio autem vitae aeternae effectus est volun» tatis specialis,et efficacis,non generalis ».Revera perspicue hanc mentem suam declarat sanctus doctor hoc ipso quod eo loco ait, neque etiam Christum orasse pro omnibus, qui erant crediturl in eum. Nec enim ille sane dubitabat, quin pro istis orasset, saltem ut fidem consequerentur, qua crediturl erant in ipsum: quae certe fides fructus est orationis, et meriti Christi in omnibus, qui credunt. Ergo cum negat Christum orasse pro omnibus, qui credituri erant, necesse est hoc ipsum non de omni orationis ratione intellexisse, sed de illa speciali oratione,quam pro illis fudit, qui per ipsum non dona tantum gratiae, sed et vitam aeternam reapse consecuturi essent. Nil igitur ex eo loco eruitur adversus generalem illam, et antecedentem voluntatem de salute omnium, quam tot locis, tamque affirmate sanctus doctor asserit: ac praesertim q. 23. de voluntate Dei inter *quaest. disput.* c. 2., ubi voluntatis antecedentis, et consequentis discrimen mira perspicuitate explicat, ac utramque c. 3. seq. ad voluntatem beneplaciti referendam esse docet.

Neque officit, quod sanctus doctor 1. p. q. 19. art. 6. voluntatem illam antecedentem *velleitatis* potius, quam voluntatis nomine appellandam censere videatur. Nam eo loco id velleitatis nomen non omni voluntatis rationi opponit, sed ei tantum, quae absoluta sit, seu efficax. Quippe ait: *Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas*. Ceterum hanc velleitatem, quae plerumque in hominibus imperfecta est, otiosa, et impotentiam arguit; nil tale in Deum inferre, praeclare inter alios ostendit Ludovicus Habert de gr. Christi c. 7. §. 5., ut proinde neque ex allato dicto sancti Thomae quidquam induci valeat, quominus antecedens Dei voluntas verae, sincerae, ac beneplaciti, non nudi tantum signi voluntatis, rationem habere censenda sit. Quod et sorbonicus ille doctor invicto plane argumento conficit his verbis: « In omni sententia antecedens Dei voluntas sal» vandi omnes Angelos, fuit *beneplaciti*. Non fue» runt enim adjuti auxilio *quo*, ut efficaci: sed » auxilio *sine quo* in gratia, in qua conditi sunt, » perseverare non potuisseut; quemadmodum do» cet sanctus Augustinus saepius laudato cap.13. » de correpț. et gr. Atqui antecedens illa voluntas » nihil involvit imperfectionis: ergo nec ante» cedens voluntas salvandi omnes filios Adae». Quod si voluntas salvandi angelos, voluntas fuit antecedens, ergo eos saltem, qui lapsi sunt, et nihilominus voluntas fuit simul beneplaciti; nil igitur obstat, quin ratio beneplaciti cum ratione antecedentis voluntatis aptissime cohaereat.

SCHOL. II. Mirum profecto, Jansenium usque adeo a mente Augustini aberrare potuisse, ut semipelagianum errorem deprehendere sibi visus sit in hoc fidei dogmate: *Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*: quod hanstum ex Apostolo non modo velut fidem Ecclesiae tuetur, ac praedicat Augustinus, sed et vehementer urget adversus pelagianos,quo peccati originalis propagatione demonstret omnes prorsus homines nasci peccati labe inquinatos, ac natura filios irae. Quin hoc etiam pejor est Jansenii error, quam Juliani, quod hic ne nimium videretur a communi Ecclesiae sensu deflectere, fatebatur Christum pro peccatoribus omnibus mortuum esse;ubi Jansenius peccatores, ingenti etiam numero, a mortis Christi beneficio arcere non veretur. Sed minus mirum id illis accidet, qui norunt, quam foede Augustinus hipponensis deformatus extet in Augustino yprensi.

SCHOL. III. Cave, ne putes memoratam Augustini sententiam, qua omnes mortuos esse ex eo maxime convincit, quod Christus pro omnibus mortuus est; quidquam officere probatissimae, atque ad pietatem, ut et ad communem fidelium sensum accommodatissimae sententiae, quae a Virgine Dei Genitrice originalis culpae labem longe removet. Adhuc enim Augustini dicto sua plane constat veritas, hoc ipso quod sanctissima Virgo communis originis vitio, et ipsa per sese obnoxia fuerit, et nonnisi mortis Christi beneficio ab ea mortis lege liberari potuerit.

104. Benefica ista Dei voluntate erga salutem omnium parata omnibus, quantum ex Deo est, auxilia gratiae, constans est catholicorum sententia. Qua de re audiendus in primis s. Th. l. 3. cont. Gent. c. 159. « Ad hujus dubitatio» nis solutionem considerandum est, quod licet » aliquis, per motum liberi arbitrii, divinam » gratiam nec promereri, nec acquirere possit: » potest tamen seipsum impedire, ne eam re» cipiat: dicitur enim de quibusdam Job 21. » Dixerunt Deo: recede a nobis, et scientiam » viarum tuarum nolumus; et Job 24.: ipsi » fuerunt rebelles lumini: et cum hoc sit in po» testate liberi arbitrii, impedire divinae gra» tiae receptionem, vel non impedire; non im» merito in culpam imputatur ei, qui impedi» mentum praestat gratiae receptioni. Deus » enim quantum in se est, paratus est omnibus » gratiam dare: vult enim omnes homines sal» vos fieri, et ad cognitionem veritatis venire, » ut dicitur 1. ad Tim. 2., sed illi soli gratia » privantur, qui in seipsis gratiae impedimen» tum praestant: sicut sole mundum illumi» nante, in culpam imputatur ei,qui oculos clau» dit, si ex hoc aliquod malum sequatur; licet » videre non possit, nisi lumine solis praeve» niatur ». Gratia proinde offertur omnibus, ut verum sit illud Ecclesiastici: *Ne dicas, per Deum abest*.

105. Certe justis omnibus non modo parata esse, sed et continuo adesse gratiae sive habitualis,sive actualis auxilia,quibus possibilia ipsis

fiunt Dei mandata, caput est doctrinae catholicae, quod ex sacrarum litterarum, patrumque auctoritatibus profectum, primae Janseuii propositionis ab Innocentio X. facta proscriptio nova sanctione communivit.

106. De fidelibus generatim insignis augustinianae scholae theologus Jo. Laur. Berti sic statuit (de theolog. discipl. l. 18. c 8.): « Cuilibet fideli, nisi libere ponat obicem, adest » gratia orationis, qua impetrare potest auxi» lium immediate sufficiens ad implenda man» data ». Etenim, inquit, ut scribit Augustinus de gr. et lib. arb. c. 16. « Ipsa est fides, quae » orando impetrat, quod lex imperat. Et epist. » ad Asellicum: *Utilitas legis est, ut homines* » *de sua infirmitate convincat, et gratiae medicinam,* » *quae in Christo est, implorare compellat.* Igi» tur nisi fideiis praesumptionis obicem ponat, » gratiam habet orandi, eaque nisi iu poenam » liberae elationis non caret ».

107. De infidelibus disserens doctissimus Norisius (Vind. August. col. 1009.): « Quamvis, » inquit, careant auxilio proxime sufficienti, » habent tamen auxilia quaedam remota, unde » non patiuntur antecedentem necessitatem pec» candi ». Igitur auctore Norisio, si omni etiam remoto auxilio forent destituti, paterentur antecedentem necessitatem peccandi. Nec adeo sua culpa caderent, quemadmodum ex Augustino nec primus homo culpa sua cecidisset, si auxilium *sine quo dei* defuisset.

SCHOL. Accurate Augustinus (ut supra vidimus) distinguit possibilitatem, quae natura inest, recipiendae gratiae, a potentia quae datur per gratiam: ut proinde qui contendunt, hoc ipso, quod homo pollet libertate, satis id esse, ut possibilis ei dicatur salutaris legis observatio; ii videntur ultro sese conjicere in pelagiana castra, dum praepostero vitandi pelagianismi studio in extremos Jansenii errores procurrunt.

108. « Obdurare Deus dicitur, inquiunt pa» tres africani c. 11., non quia ad iniquitatem » compellit, sed cum ab iniquitate non eripit, » quod quia justus est, juste facit ». De obduratis viget aliqua inter theologos controversia. Sunt paullo severioris ingenii doctores, quibus placet ex illis miseris non deesse, qui saltem pro aliquo tempore careant omni gratia, sive proxima, sive remota. Quae destitutio, cum in poenam justo Dei judicio infligatur, non ideo illos culpa liberat: quod nempe consequens ea quaecumque necessitas, quam propria culpa contrahunt, ad culpam ex voluntaria causa merito eis imputetur. Quo pacto antecedentem peccandi necessitatem satis removeri existimant, ut nil sit, quod eis velut commune cum erroribus Calvini, aut Jansenii affingi queat. Contra alteri sententiae, quae auxilia saltem remota nullo tempore, cum praeceptum instat, obduratis quibusvis, et obcaecatis penitus denegat frequentiores assentiuntur, nec tamen laxioris, aut inferioris notae theologi: qui eam non ut mitiorem tantum, sed ut sacrarum litterarum, patrumve auctoritatibus, siquidem suis momentis rite ponderentur, congruentiorem defendunt, quos inter Ludovicus Habert *de grat. Christi* c. 7. §. 7. et 8., cui sententiae non parum quoque ponderis accedere videtur ex decreto 15. concilii senonensis an. 1528. contra lutheranorum haereses: « Neque tamen, inquiunt patres, » tanta gratiae necessitas libero praejudicat ar» bitrio, cum illa semper sit in promptu, nec mo» mentum quidem praetereat, in quo Deus non » stet ad ostium, et pulset: cui si quis aperue» rit januam, intrabit ad illum, et caenabit » cum illo ». Quod si quis objiciat celebre Augustini dictum, naturam communem omnibus esse, non gratiam; cui et alia similia nonnulla proferuntur: si diligentius attendere is velit, quo illa spectent, non invitus agnoscat, hoc in primis propositum fuisse Augustino, ut errorem convinceret pelagianorum, qui beneficia Dei quoad hominum salutem patere omnibus ex aeque volebant; tamque longe abesse, ut gratiae dono praevenirí hominum voluntates faterentur, quin potius impie contenderent, voluntatis merito fieri, ut alius aliо potioribus gratiae donis cumularetur: contra quos cum docte non minus, quam pie sanctus doctor gratuita Dei beneficia tueretur, quibus alii ab aliis discernuntur; rectissime quoque defendebat, non omnibus dari, nec omnibus esse communia specialis ejus gratiae munera, qua fideles ab infidelibus, justi a peccatoribus, electi a reprobis secernuntur; ut proinde sententiae illae modo ad justificantem gratiam, modo referendae sint ad illa praevenientis gratiae auxilia, quibus aliqui sic vocantur, ut illis persuadeatur; non ad illa, quibus aliis ita suadetur, ut non persuadeatur. Quae proinde sic sunt intelligenda, ut simul et illud consistat, quod sive Prosper, sive Leo iradit l. 2. *de Vocat. Gent.* c. 15. « Adhibita est semper universis » hominibus quaedam supernae mensura doc» trinae, quae etsi parcioris, occultiorisque » gratiae fuit, tamen sufficit, sicut Deus judica» vit, quibusdam ad remedium, omnibus ad » testimonium ». Et l. 1. c. 21. « Credimus nul» lis hominibus opem gratiae in totum fuisse » subtractam ». Sanctus Prosper vero *Respons.* 15. ad object. vincentianas: « Nemini Deus cor» reptionis adimit viam, nec quemquam boni » possibilitate dispoliat ».

SCHOL. I. Qui sententiam illam Augustini: *Communis est omnibus natura, non gratia,* traducunt ad ea praevenientis gratiae auxilia, quibus aut infideles ad fidem, aut peccatores ad poenitentiam vocantur, haud satis accurate locum inspexisse videntur, e quo illa deprompta sententia est. Is est sermo 26. (edit. maur.) De verbis Psalmi: « *Venite adoremus, et prosterna-* » *mur ei; fleamus ante Dominum, qui nos fecit,* » quibus et haec nectuntur: *Nos autem popu-* » *lus ejus, et oves pascuae ejus* ». Ibi expli-

est Augustinus, quemadmodum intelligatur Deus homines fecisse, ut homines sunt, et eosdem facere, ut populus ejus sint: primum illud ostendit ad gratiam creationis pertinere, (quae hoc sensu gratia putatur, quia et ipsa gratis concessa est), istud alterum ad beneficium electionis. Sic etenim n. 4. « Ipse fecit » nos. Nam et pagani nascuntur, et omnes impii, » omnes adversarii Ecclesiae ejus, ut nasce» rentur, ipse fecit eos. Qui de paganis na» scuntur, ab ipso facti sunt, ab ipso creati » sunt, et non sunt populus ejus, nec oves » pascuae ejus. Communis est omnibus na» tura, non gratia ». Docet itaque Augustinus, non conditione naturae, quae omnibus communis est per creationem, id homines habere, ut populus Dei sint, et oves pascuae ejus; sed singulari prorsus, ac plane gratuito beneficio, quo secundum electionis propositum alii ab aliis secernuntur. Quibus verbis non alius inest sensus, quam qui fidelibus communiter ab ipsa infantia insitus est; ut summum plane Dei beneficium in eo agnoscant, quod singulari suae in eos charitatis munere providerit, ut non inter tenebras infidelitatis nascerentur, sed in media luce praedicationis catholicae; ut ab ortu ipso, Ecclesiae sinu excepti, ac renati, populo Dei cooptati, inter oves pascuae ejus, salutaris omnis doctrinae, et institutionis pabulo alerentur. Quod sane perspicuum est sic valere ad commendationem singularis gratiae in renatis; ut minime detorqueri valeat ad excludenda praevenientis gratiae auxilia, quibus infideles quique, aut peccatores ad fidem, aut poenitentiam vocentur.

Nec aliam mentem esse Augustini, liquet etiam ex luculenta disputatione, quam eodem sermone pergit instituere adversus *novellam haeresim*, quae cum ad praecavendam fidelium offensionem, gratiae vocabulum retineret, ejus tamen gratiae vim omnem in liberi arbitrii facultate positam intelligi volebat; adeo ut *iste* (Pelagius) eum diceret, liberum arbitrium sufficere, ut homo justus sit, satis hoc ipso commendari a se gratiam Dei, existimari vellet; propterea quod cum Deus hominem libero arbitrio donaverit, *quidquid*, inquiebat, *potest homo de libero arbitrio, ejus gratiae debetur, qui hominem condidit cum libero arbitrio*. Itaque Pelagius cum ab ipso suae praedicationis initio gratiam a libero arbitrio non secerneret, sic omnibus ex aequo gratiam naturaliter communem faciebat, quemadmodum omnibus ex aequo naturaliter communis est facultas liberi arbitrii. Contra quam haeresim merito confirmabat Augustinus, communem quidem omnibus naturam esse, qua homines cum libero arbitrio creantur; non ex aequo commune omnibus gratiae illius beneficium, quo alii ab aliis secernuntur, ut populus Dei fiant; atque inter oves pascuae ejus cooptati, secundum electionis propositum, fidem, justitiam, vitam aeternam consequantur. Quae, ut rectissime dicta sunt ad gratuitae supernaturalis electionis discretionem asserendam; nil tamen afferunt, quominus existimetur Augustinus voluisse infidelibus quibusque, impiisve hominibus aliqua etiam patere vocationis beneficia; quae nisi sua pravitate respuerent, universalis illius redemptionis aberiorem fructum perciperent, quam ille attulit, quem universe pro omnibus mortuum esse Augustinus ipse fideliter, constanterque praedicavit.

Aliud, nec obscurum ejusdem mentis Augustini argumentum ducitur ex tract. 53. in Joan. n. 5., ubi expendens evangelii verba: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excoecavit oculos eorum etc.*, quae verba (inquit Augustinus) *profundiorem* istam *quaestionem* afferunt, nempe: « Dicitur enim nobis, si non » potuerunt credere, quod peccatum est ho» minis non facientis, quod non potest facere? » Si autem non credendo peccaverunt, potue» runt ergo credere, et non fecerunt. Si ergo » potuerunt, quomodo dicit evangelium, prop» terea non poterant credere, quia iterum di» xit Isaias: *Excoecavit oculos eorum etc.* ut, » quod est gravius, ad Deum referatur causa, » quia non crediderunt? » Mox post nonnulla interjecta, n. 8. monet sanctus doctor, quid ei cavendum sit, qui velit in proposita quaestione versari: « Ne audeat quisquam, inquit, li» berum arbitrium sic defendere ut nobis o» rationem qua dicimus: *Ne nos inferas in* » *tentationem*, conetur auferre: rursus ne quis» quam neget voluntatis arbitrium, et audeat » excusare peccatum. Sed audiamus Dominum » praecipientem, et opitulantem; et jubentem, » quid facere debeamus; et adjuvantem, ut » implere possimus ». Sic Augustinus excusandi peccati locum praecludit, quatenus dum praecipit Dominus, simul adjuvat, ut implere possimus. Nullus proinde excusationi peccati locus relinquitur: siquidem cum peccat homo, ideo peccat, quia implere omittit, quod implere potest: ideo autem implere potest, non quod sola vi liberi arbitrii polleat, sed quod qui praecipit Dominus adest *adjuvans, ut implere possit*. Pergit Augustinus: « Nam et quosdam nimia suae » voluntatis fiducia extulit in superbiam, et » quosdam nimia suae voluntatis diffidentia de» jecit in negligentiam. Illi dicunt: ut quid » rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod » in nostra est potestate? Isti dicunt: ut quid » conamur bene agere, quod in Dei est potestate? » Illorum praefidentem superbiam retundit Augustinus, qui ex viribus liberi arbitrii in sua jaciant esse potestate, ne vincantur tentatione: istorum ignavam rationem coarguit, qui nullo pacto se posse diffidunt, quod sit in Dei potestate, quasi non ex ipsa Dei potestate auxilia suppeterent, quibus id implere valeant, quod per sese implere non possunt. Neque hic sistit Au-

gustinus, verum et rationem subjungit, qua id quod non est in sua potestate, possit sibi homo ex Dei potestate polliceri. « Audiamus Dominum dicentem: Rogavi pro te, Petre, ne » deficiat fides tua; ne sic existimemus fidem » nostram esse in libero arbitrio, ut divino non » egeat adjutorio. Audiamus et evangelistam » dicentem: dedit eis potestatem filios Dei fieri; ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus, verumtamen » in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam » et agendae sunt gratiae, quia data est potestas: » et orandum, ne succumbat infirmitas ». Haec proinde summa doctrinae Augustini, liberum arbitrium per sese non valere, ut possit homo implere, quod Deus praecipit: non ideo tamen culpa vacare, qui non implet, eo quod jubens Dominus, quid facere debeamus, idem adest adjuvans, ut implere possimus: divinum scilicet adjutorium oratione implorandum, qua jubemur Deum orare, ne nos inferat in tentationem: nec propterea suffragari cuiquam infirmitatem liberi arbitrii ad excusationem peccati, quia omnibus orandum, ne succumbat infirmitas. Paratum proinde omnibus orationis praesidium, quo potestas illa detur, qua non pollet liberum arbitrium. Peccat igitur, qui non implet, nempe quod poterat orare, ut posset per divinum adjutorium, quod non poterat per liberum arbitrium. Sed nec orare quisquam potest, nisi praevenientis gratiae beneficio potestas ei detur orandi. Si ergo jubens Dominus quod facere debeamus, idem adjuvat, ut facere possimus, nemini, cum urget praeceptum faciendi, deesse putandum est praeveniens id auxilium, quo cum potestate orandi detur ei potestas non peccandi.

Petitam demum ex verbis evangelii, *non poterant*, difficultatem, sic diluit Augustinus, ut ex his nil plane concludi valeat adversus aut libertatem hominis, aut credendi potestatem, aut gratiam, sine qua nulla est credendi potestas. Ita quippe Augustinus n. 9. Sic autem dictum est, *non poterant*, ubi intelligendum est quod nolebant.... ita, quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanae: quod pergit explicare num. 10. « Ecce dico et ego, » quod qui tam superbe sapiunt, ut suae voluntatis viribus tantum existiment esse tribuen» dum, ut negent sibi esse necessarium divi» num adjutorium ad bene vivendum; non pos» sunt credere in Christum. Non enim prosunt » syllabae nominis Christi, et sacramenta Chri» sti, ubi resistitur fidei Christi . . . . . Quia » ergo ignorans Dei justitiam, qua justificatur » impius, suam vult constituere, qua convin» citur superbus, in hunc non potest credere. » Hinc et illi *non poterant credere:* non quia mu» tari in melius homines non possunt: sed » quamdiu talia sapiunt, non possunt credere ». En dilucide confirmatum quod scholastici more suo exponere solent concisa brevitate per vocabula *sensus compositi, et sensus divisi.* Nam quemadmodum de homine, quamdiu claudit oculos, recte dicitur, non posse illum videre, quia haec duo componi non possunt, ut et oculos clausos habeat, et simul videat; sic de illis recte dictum est in eo sensu composito *non poterant credere:* nimirum quod haec duo componi non possunt, ut quis et contraria sapiat doctrinae Christi, et simul credat. Verum quemadmodum etiam de illo, qui oculos tenet clausos, rectissime dicitur, posse nihilominus illum videre, quatenus in sensu diviso potest id removere, quod moram affert, ne videat; ita quoque quod illi non poterant credere *in sensu composito*, dum nempe contraria saperent doctrinae Christi; nil affert, quominus rectissime dicantur idipsum potuisse in sensu diviso, quatenus deposita sui erroris pravitate, et gratiae assentiendo, quam respuebant, fidem eam concipere, et amplecti potuissent, quae cum voluntaria mentis suae coecitate componi non poterat.

SCHOL. II. Sic itaque sanctissimos Ecclesiae patres videmus in commendatione gratiae versatos esse, hunceque sibi in primis praedicationis fructum proposuisse, ut ex divini hujus, prorsusque gratuiti muneris consideratione discant quidem homines de se diffidere; non ita tamen, ut gratuiti muneris ratio suspensos, ac socordes in ejus expectatione animos teneat, quasi *per Deum abesset*, plumque in cooperando conatum restinguat: verum ut ex justo salutarique timore, quem sua cuique infirmitas afferre debet, ad benignitatis divinae considerationem sese convertentes, cum fiducia thronum gratiae adeant, misericordiam consecuturi tempore opportuno; qua spe freti, ac recreati, ad certam sibi per bona opera vocationem, et electionem faciendam omni studio sese comparent; nilque tam caveant, quam ne gratiae desint aliquando, sibique adeo justam sua culpa damnationem acquirant. Namque, ut apostolica Leonis Magni praedicatione docemur, (serm. 67. edit. Balier.): « Per hanc salutis » nostrae ineffabilem reparationem, nec super» biae nobis, nec desidiae locus relinquitur: » quia et nihil habemus, nisi quod accipi» mus; et jugiter admonemur, ut dona gra» tiae Dei non negligenter habeamus. Juste e» nim nobis instat praecepto, qui praecurrit » auxilio; et benigne incitat ad obedientiam, » qui ducit ad gloriam ». Sic itaque praevenientis gratiae necessitatis instituenda praedicatio, ut cooperandi studium incendat, non ut operandi curam, ac diligentiam minuat.

QUAERITUR

UTRUM OB DIFFICULTATEM ANNONAE FAS SIT EPISCOPIS SUPER DELECTU CIBORUM QUADRAGESIMALI TEMPORE CUM INTEGRA INDISCRIMINATIM COMMUNITATE SEU POPULO, INCONSULTO ROMANO PONTIFICE, DISPENSARE (1)?

Si legum sanctissima auctoritas, si patrum decreta, si doctorum probatissimae sententiae ipsaque rationis documenta plurimum momenti habere debent in omni quaestione dijudicanda; vix in quaesito, quod enucleandum proponitur, difficultatis quidquam remanere poterit. Pendet quippe quaestionis explanatio duobus ex principiis, certis perinde et exploratis. Primum, abstinentiam a carnibus aliisve cibis vetitis quadragesimali tempore, legem esse universalis Ecclesiae, ex apostolica traditione inductam, sacrorum canonum auctoritate ubique praescriptam, perenni totius Ecclesiae observantia consecratam. Alterum, in quo et auctoritas et ratio consentiunt, nullum inferioribus jus esse ad leges, quibus ipsi subjecti sunt, relaxandas, nisi prout vel jure aut consuetudine, vel superiorum venia concessum ipsis fuerit.

Atque ne in primo principio explanando de universali Ecclesiae lege, quod attinet ad quadragesimalis jejunii observantiam, longiores simus, vetat constans et notissima catholicorum omnium sententia; quam inter ceteros venerabilis Bellarminus, et novissime Natalis Alexander adversus haereticorum calumnias egregie vindicarunt: e quibus exempli potius quam documenti gratia duo tantum vel tria testimonia seligemus, unum sancti Ambrosii *serm.* 34: *Quisquis christianus jejunando non impleverit quadragesimam, praevaricationis et contumaciae reus tenebitur.* Alterum sancti Hieronymi *epist.* 54. ad Marcellam adversus errores Montani: *Nos unam quadragesimam secundum traditionem apostolorum, tempore nobis congruo jejunamus. Non quo et per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Tertium sancti Augustini *serm.* 62. *de tempore. Aliis diebus jejunare remedium est, aut praemium: in quadragesima non jejunare peccatum est.*

Quod autem ad hanc universalem quadragesimalis jejunii legem delectus quidam ciborum, potissimum vero a carnibus abstinentia pertineret, patet ex ipsomet Augustino *serm.* 64. *de tempore: Illa est in diebus quadragesimae grandis utilitas, quod dum a licitis etiam abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare: qui enim nos abstinemus a carnibus, quibus uti aliis diebus licet, fugiamus peccata, quae omnino nunquam licent.* Tum ex concilio tolet. VIII. an. 653. can. 9: *Quisquis diebus quadragesimae, sine inevitabili necessitate atque fragilitate, vel etiam impossibilitate aetatis, esum carnium praesumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab ejus diei sancta communione.*

Alterum caput de superioris lege, ab inferiore non relaxanda, certis perinde indubitatisque argumentis nititur. Sed antequam ad ea singillatim depromenda progrediamur, opus fuerit ad omnem removendam ambiguitatem statum ipsum quaestionis, prout a praestantissimis doctoribus proponitur, paullo distinctius explicare. Itaque ex sententia divi Thomae (1. 2. *qu.* 97. *art.* 4.), probatissimi ejusdem interpretes, quos inter Silvius in eum locum, communi consensu statuunt non posse inferiorem in superioris lege dispensare, exceptis tantum casibus quibus per superiorem vel aequalem dispensandi facultas ipsi conceditur: sive haec facultas jure ipso expresse concessa reperiatur, sive legitima consuetudine inductum sit, ut propter materiae levitatem, actuum frequentiam et periculum morae, sine recursu ad pontificem, dispenseiur. Talis est casus, quo episcopis conceditur ut ob infirmitatem urgentemve necessitatem, servatis servandis, cum singularibus suis subditis in jejunii lege dispensent. De hujusmodi casu nulla hoc loco disputatio instituitur. Sed longe alia ratio est, cum agitur de venia integrae indiscriminatim communitati concedenda. Nam indulgentia, quam ob actuum frequentiam et instans morae periculum epicheia ipsa expescit quoad singulos; nulla paritate rationis traduci potest ad integram communitatem seu populum, ubi nec tam frequens occurrit occasio dispensandi, nec inopia aut calamitas, quae dispensandi causam affert, adeo improvisa ingruit, ut non facilis sit recursus ad pontificem: praeterquamquod longe gravioris est momenti dispensatio, quae toti multitudini, quam quae singulis e multitudine indulgetur; quoties enim cum tota multitudine vinculum

(1) Uno degli Opuscoli postumi, pubblicati a Roma nel 1851. D. A. M.

legis relaxatur, vis ipsa et forma legis in ea communitate saltem ad tempus quodammodo evanescit: quod secus accidit ubi cum singulis tantum dispensatur; quo fit ut primo casu longe gravius quam secundo ecclesiasticae disciplinae vulnus infligatur.

Cum praeterea satis constet, quod clarius etiam ex dicendis patebit, nullam ex adductis causis probatam, legitimamque consuetudinem episcopis favere, ut in quadragesimalis jejunii lege, inconsulto romano pontifice, cum tota indiscriminatim multitudine seu populo vel dioecesi dispensent; eo demum quaestio revolvitur utrum hanc jure suo facultatem episcopi sibi vindicare valeant; quod idem est ac quaerere, utrum haec in episcopis agnoscenda sit facultas, ut absque romani pontificis consensu universalis cujuspiam ac pontificiae legis vinculum jure suo relaxare valeant.

Nulla porro ejusmodi facultate singularum ecclesiarum antistites pollere, quadruplici argumentorum genere demonstratur. 1. Praesentis ecclesiasticae disciplinae statu et constitutione. 2. Veteris antiquissimae disciplinae, ab apostolicis usque temporibus deductae, monumentis. 3. Praestantissimorum doctorum sententiis. 4. Communi doctrina, quae de legum natura, vi, et relaxatione apud omnes, qui de legibus generatim scripserunt, ipsa ratione duce, constanter obtinuit.

1. Itaque certum est praesentem Ecclesiae disciplinam e jure canonico potissimum petendam esse: ex illo, inquam, jure, quod Gregorii IX. ac subsequentium pontificum decretalibus continetur; quodque vim universalis legis obtinere catholici ultro consentiunt, nec ipse Zegerus Van-Espen diffitetur. Plura autem ex eo jure capita suppetunt, quibus id quod proponimus, plane conficitur. 1. *Cap. Dilectus de tempor. ordin.* causa agitur episcopi qui uno eodemque die plures sacros ordines contulerat; dixeratque, licet falso, id se de mandato sui archiepiscopi fecisse: declarat porro pontifex Honorius III. etiamsi de archiepiscopi mandato constitisset, non debuisse ipsi episcopum hac in parte obtemperare, *cum illi* (archiepiscopo) *hujusmodi dispensatio a canone minime sit permissa.* Ut ergo archiepiscopus carere illa facultate intelligatur, minime postulandum est, ut hujusmodi dispensatio expresse prohibita aut reservata demon-stretur, sed satis est, ut non expresse concessa reperiatur. 2. *Cap. Dilectus filius. De fil. presby.* ab Honorio III. et cap. sequ. *nimis* a Gregorio IX. irritae declarantur, ut notat Fagnanus, dispensationes factae ab inferiori a papa contra juris dispositionem. 3. *Extrav.* Joan. XXII. *tit.* 7. Sic de nonnullis qui se ad fraticellorum sectam adjunxerant, decernit: *Quidam autem eorum dictum habitum et vivendi ritum a quibusdam episcopis seu eorum superioribus, vel aliis ecclesiarum praelatis habuisse profitentur; quos nec eis concedere licuit contra formam concilii generalis.* Quo textu recte notant interpretes non improbari dispensationem episcoporum ex defectu causae, sed quia dispensatio est contra formam concilii generalis, et sic ex defectu potestatis. 4. Clement. 2. *de Elect. Ne Romani;* pontifex, hoc praemisso velut certo indubitatoque principio, quod *lex superioris per inferiorem tolli non potest*, opinionem reprobat eorum, qui arbitrati fuerant constitutionem Gregorii X. circa electionem romani pontificis editam in concilio lugdunensi, per coetum cardinalium, sede vacante, modificari posse, corrigi vel immutari, aut quicquam ei detrahi, sive addi, vel quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem dispensari. 5. Idem confirmant interpretes ex decreto concilii tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. ubi indulgetur episcopis, ut dispensare possint in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus: ex quo decreto merito colligitur concilium concedendo facultatem dispensandi in casibus occultis, hoc ipso censeri non eam tribuere pro casibus publicis. Quo patet eam mentem fuisse tridentinorum patrum, non alias dispensandi facultates contra juris dispositionem episcopos vindicare sibi potuisse, nisi quae ipsis a superiore concederentur; ut proinde non minus vere quam scite dicere potuerit Emmanuel Gonzalez, in *cap. Dilectus*, post insignem theologum Basilium Pontium: *Dispensationem non esse ex his quae competunt, si non prohibeantur; sed ex his quae non competunt, nisi concedantur.* Ex quibus patet jus canonicum, quo praesens Ecclesiae disciplina continetur, et sancitur, nullam in episcopis facultatem admittere contra canones dispensandi, nisi pront ea facultas jure ipso concessa fuerit: cumque nullibi reperiatur concessa episcopis facultas dispensandi in lege quadragesimalis jejunii quoad integram multitudinem vel populum, immo ei facultati pontifices ipsi velut canonum custodes et vindices restiterint; consequens est, ex praesenti disciplina, in qua vim legis inesse tum ipsa pontificum auctoritas, tum sanctissimorum per totum orbem antistitum obsequium et observantia, totque saeculorum usus, cum universae Ecclesiae approbatione, nemine catholico dissentiente, conjunctus, plane comprobant; hanc de qua nunc agimus dispensandi facultatem episcopis nullo pacto competere.

2. Neque vero existimandum est praesentem disciplinam veteris disciplinae menti quidquam hac in parte detraxisse; quod praedicare non verentur, quorum mos est antiquitatem appellare ut nova moliantur; e quibus nonnulli eo usque progressi sunt, ut insinuarent non magis potestatem jurisdictionis in episcopis truncari posse, quam potestatem ordinis. Quod longe secus est. Jam a primis Ecclesiae saeculis jurisdictionem episcoporum praeterquam romani pontificis, certis et finitis limitibus circumscriptam fuisse probe animadvertit Seve-

rinus Binius in *apostol. can.* 33., qui sic habet ex interpretatione Gentiani Hervetii: *Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, et existimare ut caput: et nihil facere, quod sit arduum aut magni momenti, praeter illius sententiam: illa autem facere unumquemque, quae ad suam parochiam pertinent, et pagos qui ei subsunt .....* Accedit canon. 34. *Episcopus ne audeat extra suos fines ordinationes facere in urbibus et pagis,non ei subjectis. Sin autem hoc fecisse convictus fuerit .... deponatur* etc.

Nemo negaverit illis canonibus vetustissimae disciplinae lineamenta contineri, quam deinceps posteriora concilia sanxerunt: hujus vero disciplinae initia, qua episcoporum jurisdictio certis ac finitis limitibus coercetur, ab ipsis apostolis repetenda esse demonstrat idem Severinus Binius ex epist. ad Tit. c. 1. *ubi Paulus Tito praecepit, ut constituat episcopos per singulas civitates; ut sic singuli episcopi singulas sibi commissas civitates regant et gubernent; ita Chrisost. et Theophyl.* in eum locum. Simul vero Apostolus et Tito ipsi et Timotheo regulas praescribit, quas in regenda Ecclesia episcopi servare omnino deberent. In eo vero quod Titus relictus dicitur fuisse Cretae ab Apostolo non solum ut episcopos per singulas civitates constitueret, sed ea etiam quae deessent, corrigeret; facile est animadvertere Titum Cretae non episcopum tantum fuisse, sed et reliquis episcopis quos per eas civitates constituebat, praepositum; idemque de Timotheo dici posset quoad episcopos Asiae provinciae. Quo intelligitur unde ortum habuerit primus ille in unaquaque gente episcopus in can. apostolico memoratus, quem ceteri ut caput vereri, nec sine illius venia quidquam ardui adgredi deberent. Sic ergo videmus jacta fuisse prima ecclesiasticae disciplinae fundamenta, ut 1. Episcopis cum ordinarentur, sua cuique portio gregis attribueretur, extra quam nihil ipsi liceret. 2. Ut in hac regenda portione certis legibus ac regulis adstringerentur, quas praetergredi nefas omnino esset. 3. Severissimas poenas in eos constitutas, qui sive extra portionem assignatam, sive ultra praescriptas leges quicquam moliri ausi fuissent.

Quo satis patet, quanto in errore versatus sit scriptor ille, qui, ut vidimus, insinuare non est veritus non magis jurisdictionis potestatem in episcopis truncari posse, quam potestatem ordinis. Qui error ex mera quadam aequivocatione prodiisse videtur. Nam cum episcopis dictum sit, eos a Spiritu Sancto positos fuisse ut regerent Ecclesiam Dei; inde concludunt unicuique episcopo vi suae ordinationis omnem illam plenam et absolutam potestatem competere, quam universalis Ecclesiae regimen postulat. Sed facile erat animadvertere eo loco non idem singulis episcopis, quod generatim episcopali ordini tribuitur. Equidem positi sunt episcopi regere Ecclesiam Dei, non ut singuli toti Ecclesiae jus dicerent, omniaque munia quae ad totius Ecclesiae regimen spectant, singuli curarent; quod sine absurdissima perturbatione fieri non posset: sed ut singuli eam portionem regerent, quae sibi obtigisset, in eaque regenda eas leges servarent quas universalis Ecclesia, sive universalis Ecclesiae rector praescriberet; singuli etiam per civitates constituti, ei episcopo subjicerentur, qui primus in unaquaque gente positus esset, omnesque perinde illius sedis dicto essent audientes, quae primatum in tota Ecclesia divino jure obtinet. Aliud sane est quod episcopi dum ordinantur seu instituuntur, capaces fiant cujusvis functionis in Ecclesia obeundae; aliud, quod omnis functionis ubivis, et quomodolibet gerendae facultas ipsis tradatur. Non ex sola ordinatione legitimam suae potestatis exercendae, sive sui caracteris exerendi facultatem nanciscuntur episcopi; sed ex ipsa missione, quam a legitimis pastoribus per continuam ab apostolis successionem accipere debent; qua missione unusquisque peculiari gregi addicitur, cujus curam non utcumque libuerit, sed ex praescriptis Ecclesiae legibus gerere debeat.

Ut autem ex tot Ecclesiis per totum orbem dissitis una coalesceret Ecclesia, (*Hierony l. 1. adv. Vigilantium*) *unum inter duodecim Christus eligere voluit, cui primatum demandaret, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Hunc primatum in romana cathedra constitutum nemo catholicus non agnoscit, in ea, inquam, cathedra, ad quam, ut ait Irenaeus, (*Lib. 3. contr. haeres. c. 3.*) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles.* Praeclarum sacrae hujus hierarchiae ordinem, a Christo institutum, mira perspicuitate declarat sanctus Leo (*epist.*84.): *Inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praemineret; de qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli,quorum inter fratres prima haberetur sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem: per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura confluerет,et nihil usquam a suo capite dissideret.* Hinc etiam patrum agmen claudens, unanimesque sententias veluti colligens divus Bernardus (*lib. 2. de considerat. c. 8.*): *Alii singulas sortiti sunt plebes.... Jacobus una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.... Sunt quidem et alii coeli janitores et gregum pastores..... habent illi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti: uni unus: nec modo ovium, sed et Pastorum omnium tu unus pastor;* etc.

Ex hac constanti Ecclesiae traditione prorsus refellitur minus consideratum Zegeri Van-Espen commentum (*Dissert canon. de dispens. c.*

1. §. 7.), qui nimirum ex eo quod praecipuas in Ecclesiae regimine partes sustineant, singulisque, ex Cypriano, sua portio gregis adscita sit quam regat unusquisque et gubernet; consequens apparere putat, quod seposita omni positiva reservatione, episcopali auctoritati cohaereat plenaria rigorem canonum relaxandi potestas, quoties necessitas aut utilitas gregis sibi crediti relaxationem postulaverit. Sane Zegerus inficias non iverit, quin per canones episcopis eorumque gregibus leges imponi potuerint, et saepius impositae fuerint, quibus et antistites et subditi perinde tenerentur. Statim ergo atque his legibus circumscripta fuit episcoporum auctoritas, planum est episcopos qui eis legibus obstricti essent, non aliter potuisse illas relaxare, nisi superioris ejus auctoritatis concessione, a qua leges illae prodibant. Haec legis natura est, ut vi sua subditos privet omni facultate contra faciendi; ut proinde lex omnis a legitimo superiore profecta, natura sua dispensandi reservationem contineat; quam proinde subditus propria auctoritate sibi vindicare nequit, nec ea pollere nisi expresse a superiore concedatur. Hujus reservationis, quae natura sua superioris legi cohaeret, fidem facit sanctus Leo I. (*ep.* 4.) *Omnia decretalia constituta, tam beatae recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Illi ergo pontifices canonicas sanctiones sic ab episcopis custodiendas esse decernunt, ut nullam in his facultatem agnoscant, qua earum constitutionum vim infringere aut jare suo relaxare valerent. Quod etiam confirmatur praeclara epistola Siricii papae ad diversos episcopos, in qua de multis queritur quae praeter disciplinam fiebant, maxime vero in ordinandis neophytis, aliisve, quorum non satis perspecta erat fides et morum sanctitas: *Perlatum est*, inquit, *ad conscientiam apostolicae sedis, contra ecclesiasticum canonem praesumi.*

Qua in re mirum est Zegerum ad illam suam thesim confirmandam ea exempla seu argumenta ex antiquitate protulisse, quae illam prorsus evertunt. « Quis, inquit, vel parum in » historia actisque patrum versatus ignorat » episcopos in bigamia, defectu natalium, ali- » isque irregularitatibus dispensasse? Quin et » translationes et cessiones episcoporum (quae » omni aetate inter gravissima ecclesiasticae » disciplinae puncta reposita fuerunt) pluri- » mis saeculis *synodali auctoritate* factas, non » tantum exempla sed et canones loquuntur. » Episcopus, ait magna synodus carthaginen- » sis *can.* 37. *caus.* 7. q. 1. de loco ignobili ad » nobilem per ambitionem non transeat .... » Sane si utilitas Ecclesiae poposcerit, decreto » pro eo clericorum et populi episcopis por- » recto, *in praesentia synodi* transferatur ». Mirum est, inquam, Zegerum non advertisse ea quae *synodali auctoritate* fierent, superiori auctoritate fieri, non ea auctoritate quae singulis episcopis competeret.

Haec superior auctoritas semper fuit in romano pontifice, nec in ipsis synodis viguit, nisi cum dependentia et subordinatione ad romanum pontificem; prout permultis ex tota antiquitate depromptis monumentis demonstratur a Natale Alexandro dissert. IV. in histor. ecclesiast. I. saeculi: sic n. 11. « Idem proba- » tur ex eo quod concilia Orientis irrita ha- » berentur, nisi romani episcopi auctoritate » firmarentur: quod concilii antiocheni, ab A- » rianis habiti, occasione Socrates et Sozome- » nus notarunt ». n. 12. « Idem probatur ex » iis quae gessit Julius, romanus pontifex, in » causa sancti Athanasii....Hic tantum adverte- » re sufficiat subjectionem illam orientalium » ecclesiarum romanae, et in judiciis ferendis » dependentiam, sancti Athanasii tempore, longo » jam usu fuisse firmatam, ut colligitur ex » epist. Julii quam refert sancti Athan. Apolog.».

Plenariae porro potestatis, qua pollet romanus pontifex ad canonum rigorem relaxandum et in omnibus Ecclesiae legibus dispensandum, quoties id conducere ad bonum Ecclesiae visum fuerit, luculentissimum testimonium habetur ep. 54. sancti Leonis I. Depositus fuerat in latrocinio ephesino episcopus antiochenus; in ejusque locum alius suffectus seu potius intrusus, quem adversus omnia jura Anatolius episcopus constantinopolitanus ordinaverat. Sed cum Ecclesiae pax postulare videretur, ut suffectus antiochenus, qui rectam fidem professus fuerat, in ea sede remaneret, non aliter id consequi potuit, quam venia et indulgentia romani pontificis. *Nos*, ait sanctus Leo M. (epist. 104), *vestrae fidei et interventionis habentes intuitum, cum secundum suae consecrationis auctores, ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse voluimus: quo perturbationes omnes, quae, operante diabolo fuerant excitatae, adhibitis remediis leniremus.*

Idem patet ex recurso tarraconensium episcoporum ad Hilarum Papam de ordinatione episcopi, facta per Silvanum calaguritanum contra patrum regulas et nicaenos canones, ut videre est apud Labbeum tom. 5. In hoc autem duo memoratu digna contineri probe observat Severinus Binius. « Unum, quod ad ro- » manam tantum sedem pertineat dispensare » in iis, quae contra canones praesumpta sunt; » alterum quod nullius concilii provincialis » tanta est auctoritas, ut inconsulta sede apo- » stolica id praestare potuerit ».

Hinc mirum videri non debet sequentibus saeculis per totam Ecclesiam nullam in episcopis agnitam fuisse facultatem adversus Ecclesiae leges ac pontificum decreta dispensandi. Cujus

universalis constantisque disciplinae, specialim quod attinet ad ciborum delectum in quadragesimali jejunio, luculentum testimonium praebet cap. *consilium* de obsev. jejunii, quo capite respondet Innocentius III. archiepiscopo bracarensi, a quo consultus fuerat de his, qui quadragesimae tempore a carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem et angustiam, ita ut plures fame necarentur. Quod si bracarensis antistes minime sibi licere putavit in lege quadragesimalis abstinentiae cum singulis suis subditis dispensare; multo minus sane censuisset id sibi licere, si cum integra multitudine vel populo dispensandum fuisset. Atque hanc tota retro antiquitate mentem fuisse totius Ecclesiae, constat etiam ex orientalis Ecclesiae disciplina, de qua haec habet Emmanuel Gonzalez *in* 3. *decretal. tit.* 42. *cap.* 3. *in fin. Aegrotis* (in Ecclesia orientali) *non aliter esus carnium concedebatur, nisi licentia synodice petita, ut ex divo Basilio orat. de jejun. et notarunt Balsamon in can.* 69. *apost.* etc. Quod si fas non erat episcopis sine synodalis auctoritatis interventu aegrotis singulis esum carnium concedere; non obscure inde patet, quam alieni essent orientales ab agnoscenda in episcopis facultate licentiae hujusmodi integrae multitudini proprio jure concedendae.

Sive ergo praesentem disciplinam consulamus, jure canonico praescriptam, totque saeculorum usu firmatam, sive pristinae et jam ab apostolicis temporibus ductae disciplinae vestigia repetere juvat: nusquam reperiemus in singularum Ecclesiarum episcopis agnitam facultatem jure suo adversus universales Ecclesiae leges, canonum statuta et pontificum decreta dispensandi; nisi prout jure, vel consuetudine ea ipsis facultas concessa fuerit.

Jam vero quod attinet ad abstinentiam a cibis vetitis quadragesimali tempore, extat lex universalis Ecclesiae; nullum extat jus quo episcopis facultas concedatur in ea lege dispensandi quoad integram multitudinem vel populum: nulla consuetudo hanc ipsis facultatem indulget, imo inveterata plane consuetudine omni ex parte Ecclesiarum antistites sibi religioni duxerunt romanum pontificem adire, ut imminente necessitate, dispensandi facultatem cum suis populis ab eodem impetrarent. Denique cum proxima superiori aetate nonnulli episcopi praeter jus omne, hanc sibi facultatem arrogare inciperent; pontifices maximi gliscenti licentiae obstiterunt, perfeceruntque ut ipsi episcopi factum suum retractarent, debitumque sedi apostolicae morem gererent. Ac ne perturbatrix illa disciplinae veteris consuetudo invalesceret, seu potius nec quocumque ansu incipere posset, sollicite providit immortalis memoriae pontifex Benedictus XIV. constitutione sua *Non ambigimus*, quam ad universos episcopos communionem sedis apostolicae habentes direxit; omnemque dubitationis locum his plano verbis sustulit. « Debitum igitur paternae uniuscujusque vestrum sedulitatis et charitatis officium jure postulat, omnibus notum » faciatis et annuntietis, nemini quidem sine » legitima causa et de utriusque medici consilio; multitudini vero, veluti populo aut civitati aut genti indiscriminatim integre, nonnisi » gravissima et urgente necessitate et in casibus » per sacra canonum statuta praescriptis, eum » debita apostolicae hujus sanctae sedis reverentia, a quadragesimali jejunio dispensationem toties quoties opus fuerit concedendam; nec audacter fidenterque usurpandam, » nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicut » alicubi in more positum esse accepimus, esse » postulandam ».

3. et 4. Pauca nunc libet subjungere de argumentis quae in rem eamdem cum doctorum auctoritas, tum ratio ipsa suppeditat. Quod sanctus Thomas senserit liquet jam ex dictis. Sed illud etiam observandum, quae sanctus doctor hac de re disputat 1. 2. q. 97. art. 4. cum firmioribus juris naturae principiis omnino consentire. Scilicet animadvertit contingere aliquando, ut praeceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non esse conveniens huic personae vel in hoc casu, quia vel aliquid melius impediretur, vel etiam malum aliquod induceretur; periculosum autem fore si hoc cujuslibet judicio committeretur, nisi forte propter evidens et subitum periculum: *Ideo*, inquit, *ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur.* Et ibid. ad 3. *In lege humana publica non potest dispensare, nisi ille a quo lex auctoritatem habet, vel is cui ipse commiserit.* Quibus ex verbis pronum est concludere dispensandi potestatem in universali Ecclesiae lege non alteri competere posse, quam ei *cui Dominica voce totius Ecclesiae cura commissa est*, ut ait sanctus Gregorius *lib.* 4. *ep.*32.; Qui *in speculis est a Deo constitutus, ut quae coercenda sunt resecet, quae observanda sunt, sanciat*, ut ait sanctus Coelestinus I. epist. 4. Nec immerito sanctus doctor periculosum fore dixit, si dispensandi facultas in superiorum lege inferiorum judicio committeretur. Nimia dispensandi facilitate effectum esse notat Benedictus XIV., ut lactis et ovorum usus in nonnullis regionibus quadragesimali tempore communis evaserit. Quod si liceret cuilibet episcopo in cibis vetitis cum integra multitudine ob annonae caritatem vel penuriam dispensare, verendum plane esset, ne frequentius, recurrente necessitatis praetextu, nimia quoque facilitate populi dispensationem extorquerent, quam ab episcopo concedi posse intelligerent; sicque augustissima quadragesimalis jejunii forma Christi exemplo, apostolorum traditione consecrata, tot canonum praescriptionibus confirmata, quamque sanctissimi totius Ecclesiae antistites quavis aetate sancte adeo retinendam praedicarunt, non sine ingenti

catholicae religionis probro ac dedecore paullatim obsolesceret.

Praeter divum Thomam innumeri doctores in eamdem sententiam consentiunt, imo haud scio an in ea velut infinitate scriptorum, quorum extant de legibus volumina, fas sit aliquem reperire, qui non effati et axiomatis loco statuat, nullum jus inferiori esse legis ejus relaxandae, quae a superiore lata sit, nisi prout superior eam facultatem indulserit. Quo ex effato haec duo corollaria passim eruunt, quae doctoris germani Paulli Layman verbis juverit hoc loco in medium proferre; sic autem ille habet *lib. 1. tract. 4. c. 22.* « *Corollarium* » *Primum.*—Papa dispensare potest in omni jure » ecclesiastico tam universali quam particulari; » sicut ex communi Covarruvias etc..... *Corol-* » *larium secundum.*— Episcopus in legibus pon- » tificiis vel conciliorum universalium jure or- » dinario dispensare nequit etc ». Exceptiones vero quas deinceps cum aliis doctoribus profert, nullo pacto suffragantur episcopis quoad facultatem in lege quadragesimalis jejunii cum integra multitudine dispensandi; non expressa aliqua juris concessio, non consuetudo legitimo praescripta, non urgens necessitas quae adeundi pontificis locum non relinquat, non materiae levitas, et actuum frequentia: maximam porro auctoritatem habet unanimis haec doctorum per tot saecula consensio; qua videlicet ecclesiastica traditio per succedentes aetates nulla intermissione propagatur.

Neque vero grave aut iniquum videri potest cuiquam episcopo sanctissimorum, quotquot unquam fuerunt, antistitum exempla imitari, quibus nihil fuit optatius quam in omni administrationis suae ratione regendi normam et legem ex ea sede petere (Cypr. ad Corn. ep. 55); *unde unitas sacerdotalis exorta est :* qua in sede (sanctus Leo serm. 3.), *vivit adhuc Petri potestas et excellit auctoritas;* cui *hoc magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuit divina dignatio,* dum *si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus; nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Hinc patres sardicenses ad Julium rom. pont. (Labb. tom. 2. col. 690.): « Hoc enim optimum et valde congruentissi- » mum esse videbitur, si ad caput, id est ad » Petri apostoli sedem de singulis quibusque » provinciis domini referant sacerdotes ». Hinc sanctus Avitus episc. viennes. (Epist.36.): «Scitis » synodalium legum esse, ut in rebus, quae » ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubita- » tionis fuerit exortum, ad romanae Ecclesiae » maximum sacerdotem, quasi ad caput nostrum » membra sequentia recurramus».Quare sanctus etiam Damasus ad Orientis episcopos (Labb. tom. 2. col. 1015.): « Quod vestra charitas de- » bitam sedi apostolicae reverentiam tribuit, » filii honoratissimi, vobis ipsis quoque maxi- » me sane honori est ».

Nec porro verendum, ne hoc debito erga eum, quem Christus caput Ecclesiae suae esse voluit, obsequio quidquam detrimenti episcopi capiant. Nusquam fortiora sunt membra, quam cum fortius capiti adhaerent; nec nisi per capitis influxum membra inter se colligantur, sibique invicem, omnia singulis, singula omnibus opitulantur, ut corpus compactum, atque omnia munia probe comparatum, expeditumque coalescat. « Omnes episcopi, (ait Christianus Lu- » pus in cap. 5. praescript. Tertull.) per com- » munionem ac debitam primatui obedientiam » sese uniunt romano episcopo, a quo habent » episcopatus originem, et traducem; atque ita » cum illo conficiunt unum episcopatum, unam » cathedram, unam Ecclesiam ».

PROPOSIZIONI

ESTRATTE DALLA LETTERA DI MONSIGNOR N. N. ED ANIMADVERSIONI SULLE MEDESIME

INEDITO (1)

I. Cullo esterno, e disciplina ecclesiastica.

Pag. I. Quo primum tempore a principibus christianis religio adoptata fuit, nemo unus propterea juribus illorum vel tantillum detrahi auspicabatur. Quapropter *cuivis christiano principi jus erat externa religionis, seu disciplinam universali cura complecti*, eamdemque reipublicae bono accommodare. Externa enim religio, cum statu politico arctissime connexa, *jus inspectionis atque dispositionis* circa ipsam, tamquam essentiale principum jus reputandum esse demonstrat.

Leges plurimae pro religionis et Ecclesiae necessitatibus sancitae, munia ecclesiastica ad arbitrium, justi tamen babita ratione, collata; puniti, quia adeo, qui id promeruisse videbantur, depositi clerici; controversiae ecclesiasticae judicio definitae, similesque aliae actiones totidem potestatis principum monumenta sunt.

Pag. 4. Constantini vestigia secuti sunt filii ipsius, ceterique successores; deponebant clericos, dioeceses dividebant, disponebant circa rem monasticam, subditis libertatem conscientiae aut indulgebant, aut restringebant, ferebant leges litibus in episcoporum electione obortis servandas.... Ipsa adeo Roma recentiori etiamnum aetate hanc principum potestatem non diffitebatur.

De essentialibus episcoporum juribus, qualia scilicet a Domino nostro Jesu Christo in ipsos derivata sunt, heic mihi dumtaxat sermo est: minime vero de disciplina ecclesiastica, quae principum potestati subjicitur, cui ipsimet episcopi in rebus huc spectantibus subordinantur.

Animadversioni. Questo testo ridotto a' suoi precisi termini enunzia, che il disporre dell'esterna religione e della disciplina della Chiesa in universale è diritto essenziale del principato.

Questa proposizione in quanto attribuisce al principato civile un diritto, che è proprio dell'autorità del regime, conferita da Cristo alla Chiesa, e che riguardo a varie parti concernenti il culto esterno, e la disciplina stessa fu già sotto pena d'anatema spezialmente vindicato alla Chiesa da' canoni di concilio ecumenico, non solo è falsa, temeraria, scandalosa, erronea, ma sembra inoltre che non possa sfuggire la censura di scismatica ed eretica.

Che l'autorità di ordinare e disporre circa il culto esterno della religione, sia stata conferita da Cristo alla Chiesa, cioè agli apostoli, e loro successori, consta da' regolamenti fatti dagli apostoli, e dalle ordinazioni prescritte da essi circa il culto esterno, e varii oggetti di disciplina, concernenti l'amministrazione e dispensazione de' sacramenti, la vocazione, missione e deputazione dei sacri ministri, le religiose assemblee de' fedeli, l'astinenza da certi cibi, le censure fulminate contro i delinquenti. Consta da tradizione apostolica per li molti canoni di disciplina emanati dai primi secoli per autorità ecclesiastica, e senza intervento di podestà laica. Consta dalle espresse definizioni della Chiesa contro i moltiplici errori dei novatori a tal proposito. In fatti, al culto esterno della religione appartengono i riti prescritti per la retta amministrazione e dispensazione de' sacramenti. Ora che presso la Chiesa stia il diritto e l'autorità di prescrivere siffatti riti, consta dall'aperta dichiarazione del sacro concilio di Trento *sess. XXI. cap. 2.* « Praeterea declarat, hanc potestatem » perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacra» mentorum dispensatione, salva illorum sub» stantia, ea statueret vel mutaret, quae su» scipientium utilitati, seu ipsorum sacramen» torum venerationi, pro rerum, temporum » et locorum varietate magis expedire indica» ret..... Quare agnoscens sancta mater Ecclesia » hanc suam in sacramentorum administra-

(1) Dobbiamo questo scritto, come tutti gli altri inediti, a' PP. Barnabiti di Roma, che posseggono la immensa collezione de' Manuscritti gerdiliani. Una traduzione francese ne fu pubblicata nella *Correspondence de Rome* 4 febbr. 1852; riprodotta dal Bonnetty ne' suoi *Annales de Philos.* giugno 1852. D. A. M.

» tione auctoritatem etc. ». E *sess. VII. can. 13.* « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit ».

Al culto esterno e alla disciplina appartengono i comandamenti, che oltre i divini precetti, santa Chiesa prescrive ai suoi figliuoli. Ora che alla Chiesa competa una tale autorità, è verità di fede definita dal sacro concilio di Trento *sess. VI. can. 20.* « Si quis hominem justificatum et quantum libet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae ....; anathema sit ». E *sess. VII. can. 8.* « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit ». È dunque di fede che alla osservanza dei precetti della Chiesa obbligati sono indistintamente tutti li battezzati, ed in conseguenza gli stessi principi cristiani.

In particolare poi viene espressamente dichiarata la stessa autorità ne' canoni, che prescrivono o definiscono l'obbligo della comunione pasquale, e della confessione annua: il primo *sess. XIII. can.* 9. « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; anathema sit ». Il secondo *sess. XIV. can.* 8. « Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem .... aut ad eam non teneri omnes et singulos sexus Christi fideles, juxta magni concilii lateranensis constitutionem, semel in anno......; anathema sit ».

La riserva de' casi è pure affare di disciplina: ma il diritto di riservare è dogma cattolico definito dal Tridentino, *sess. XIV. cap. 7.* e *can. 11.* E questa podestà, come dichiara il concilio, spetta in primo luogo per tutta l'estensione della Chiesa ai romani pontefici *pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita.*

Lo stesso ha luogo circa la vocazione, missione e deputazione dei sacri ministri, come consta dalla *sess. XXIII. cap. 4.* e *can.* 7. ed 8.

Punto è altresì non solo di dottrina, ma anche di disciplina la comunione sotto l'una e l'altra specie, riguardo a' non consecranti; intorno a che approva il Tridentino la consuetudine da lungo tempo introdotta, e dichiara che aver debba forza di legge, nè sia lecito riprovarla o cangiarla senza l'autorità della Chiesa.

Al culto esterno spetta la determinazione della lingua, in cui abbiano da celebrarsi li divini misteri: e questa il Tridentino, *sess. XXII. c. 8.* sottopone parimente all'ispezione e disposizione della Chiesa, ordinando che frattanto ritengasi da pertutto l'antico rito di ciascheduna Chiesa, approvato dalla santa romana Chiesa, madre e maestra di tutte le Chiese.

All'ordine della disciplina spetta lo stabilimento degl'impedimenti dirimenti del matrimonio, non stabiliti dal jus naturale o divino: che poi una tal podestà competa alla Chiesa, consta dalli canoni 3. e 4. del Tridentino, ove è decretato l'anatema contro chi ardisca negarlo.

Egli è pertanto dogma cattolico, che per autorità conferita da Cristo ha la Chiesa il diritto e la podestà di regolare il culto esterno della religione e di reggere i fedeli con ordinazioni di disciplina, precetti e comandamenti, ai quali tutti indistintamente li cristiani obbligati sono di soggiacere, non meno che alle pene canoniche imposte ai trasgressori. Ora il volere attribuire a diritto essenziale del principato civile l'ispezione e la disposizione dell'esterna religione, e della disciplina, egli è manifestamente lo stesso, che togliere alla Chiesa questo medesimo diritto d'ispezione e disposizione circa il culto esterno, e lo stabilimento della disciplina. E siccome non si può senza nota ereticale togliere alla Chiesa un tal diritto con negarlo semplicemente; così neppure si può senza la stessa nota, toglierle e negarle lo stesso diritto con trasportarlo dalla Chiesa al principato.

Tra gli errori di Giovanni Hus fu condannato nel concilio di Costanza il seguente articolo n. 15. « Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae, praeter expressam auctoritatem Scripturae ». L'ubbidienza ecclesiastica ne' fedeli suppone la corrispondente autorità di regime nella Chiesa; imperocchè non si dà obbligo di ubbidienza, se non verso chi ha l'autorità di comandare. Dunque se si dà ubbidienza ecclesiastica, si dà anche autorità ecclesiastica: autorità che vien tolta da chi sottopone l'esterna religione e l'ordine della disciplina all'autorità civile.

Tra gli errori di Lutero fu da Leone X. condannato l'art. n. 27. « Certum in manu papae et Ecclesiae non esse, statuere articulos fidei; immo nec leges morum, seu bonorum operum ». Così è condannato chi nega alla Chiesa l'autorità non solo di decidere in materia di fede, ma anche di prescrivere leggi intorno al costume, ed il ben operare.

Molto tempo innanzi furono già proscritte siffatte ree dottrine da Giovanni XXII., come attesta Benedetto XIV. nella costituzione *Ad assiduas*, 4. mart. 1755. diretta al primate, arcivescovi e vescovi del regno di Polonia, in cui rinnova la condanna già fatta di un libro in-

titolato: *Principii sopra l'essenza, la distinzione ed i limiti delle due podestà* etc. « Eo enim » tendere, ac collimare vidissetis execrandi foe» tus auctorem, ut collatam a Christo Domino » et Salvatore nostro Ecclesiae suae potestatem, » non solum dirigendi per consilia et suasio» nes, sed etiam jubendi per leges, ac devios » contumacesque, exteriore judicio et salubri» bus poenis coërcendi, atque cogendi, labefa» ciet, convellat, et prorsus eliminet; ecclesia» sticum ministerium ita saeculari dominationi » subjiciens, ut ad hanc spectare pronuntiet de » externa omni ac sensibili gubernatione co» gnoscere ac judicare. Pravum ac perniciosum » systema, jampridem ab apostolica sede, prae» sertim vero a Johanne XXII., praedecessore » nostro, constitutione incipiente: *Licet juxta* » *doctrinam*, reprobatum, ac pro haeretico ex» presse damnatum, fallacibus ratiunculis, fu» catis, atque ad religionem compositis verbis, » contortisque Scripturarum ac patrum testi» moniis impudens scriptor obtrudit, quo sim» plicibus et minus cautis facilius imponat ».

Finalmente non è da ommettersi, che nelle suddette proposizioni del prelato si scuopre una incoerenza tale, che per sè sola fa piena prova della insussistenza e falsità del suo sistema. Pretende egli per una parte che l'inspezione e disposizione della esterna religione, e disciplina ecclesiastica sia un diritto essenziale del principato, per la stretta connessione che ha collo stato politico. Dice per altra parte che questo diritto d'inspezione e disposizione ebbero i principi cristiani dal punto che adottarono la cristiana religione; e soggiunge, pag. 6., che il principe cattolico esercita la podestà sovra l'esterna disciplina in tutte le provincie a lui soggette. Qui risalta manifesta l'incoerenza. Se li principi cominciarono ad avere diritto e podestà sopra l'esterna disciplina, dacchè adottarono la cristiana religione; e se una tale podestà è propria del principe cattolico ne' suoi stati; questa podestà non può dirsi, nè aversi per diritto essenziale del principato; giacchè de' diritti essenziali del principato godono anche i principi infedeli, non ostante la loro infedeltà, nè alcun diritto essenziale di principato acquistano per la conversione loro al cristianesimo. All' incontro se si vuole che la suddetta podestà sia un diritto essenziale del principato, non può dirsi per l'addotta ragione, che sia essa nata nei principi cristiani dacchè adottarono la cristiana religione; posciachè innanzi alla loro conversione dovea onninamente ad essi competere, non meno che ogni altro diritto, proprio ed essenziale del principato.

Ammesso poi questo principio, non possono rifiutarsi le conseguenze che per necessaria e diretta illazione manifestamente ne derivano. Dovremo dunque ammettere 1. che dal punto in cui nacque il cristianesimo, l'inspezione, la cura e disposizione della esterna religione e disciplina fu diritto proprio ed essenziale dei principi infedeli, che allora governavano l'impero: che a questi spettava *far leggi per le necessità della religione e della Chiesa: conferire li ministeri ecclesiastici: punire ed anche deporre li cherici: dividere le diocesi: definire giudizialmente le controversie ecclesiastiche: prescrivere le leggi da osservarsi nella elezione de' vescovi.* Funzioni tutte, che esercitate, come dice il prelato, da Costantino e dai suoi figli e successori, sono, secondo lui, altrettanti monumenti della podestà che egli attribuisce al principato. Sebbene qui non è da dissimularsi l'inganno fatto al prelato da chi stese la sua lettera, mentre consta qualmente Costantino protestò apertamente non competergli alcuna ingerenza nei giudizi ecclesiastici; e allorchè il suo figlio Costanzo pretese arrogarsela, fu questa sua pretensione altamente riprovata, e di comun consenso da que' molti santi ed insigni vescovi e dottori della Chiesa, che componevano il ceto episcopale cattolico di que' tempi.

Dovremmo 2. ammettere che lo stesso diritto di regolare il culto esterno della religione, e la disciplina risiede tutt' ora presso i principi non solo acattolici, ma anche maomettani e gentili, che hanno Chiese cristiane nelle provincie soggette alla loro dominazione: che però ad essi compete *jure proprio* promovere ai gradi ecclesiastici, dividere le diocesi, deporre li cherici, prescrivere leggi da osservarsi nella elezione dei vescovi.

3. Che dal principio della predicazione evangelica gli apostoli, ed i loro successori nelle ordinazioni che fecero concernenti il culto esterno e la disciplina, si arrogarono indebitamente un diritto che essendo proprio ed essenziale del principato, non poteva loro competere: che per tanto dovettero esser nulle, invalide, illecite tutte le loro ordinazioni in tal genere, siccome procedenti da autorità usurpata, con manifesta ingiuria del principato.

4. Che però se non giunge l'impegno del prelato, fino a voler tacciare d' usurpatori gli apostoli ed i loro successori; e se riconosce che giuste e legittime furono le loro prescrizioni in fatto di disciplina, prescrizioni emanate nei primi tempi, ed osservate non solo senza presunto consenso, ma anche contro l'espresso divieto dei regnanti; dee altresì per necessaria e diretta illazione riconoscere, che gli apostoli ne ebbero da Cristo la competente, legittima autorità; e che una podestà conferita da Dio medesimo non può essere tolta, nè ristretta, nè legittimamente combattuta ed impugnata da veruna umana podestà.

II. Primato del romano pontefice.

« Ipse (romanus pontifex) ordine ac dignitate ceteros antecellens episcopos, eo curam impendere debet, ut episcopi simul omnes, sin-

guiique seorsim non impedito jurium a Deo acceptorum exercitio potiantur. Sicut enim naturae repugnat velle membrum unum alterius motum impedire; ita aeque eidem adversatur, etiam partem dumtaxat hujus potestatis eisdem subtrahere...... Nullibi legere est pontifices in primaeva Ecclesia episcoporum jurisdictioni se se immiscere voluisse; quippe quod jus sacri canones eidem negabant.

Pag. 6. Illa igitur primaeva et essentialia primatus jura censenda sunt, sine quibus haec unio in Ecclesia perdurare nequit. Quo autem haec salva consistat, requiritur, ut pontifex supremam inspectionem, curamque in omnes particulares Ecclesias extendat: ipsius est invigilare, ut singuli episcopi muneris sui partes adimpleant, ne in Ecclesiae corpore stabilita a Jesu Christo et apostolis harmonia turbetur.

Universum Ecclesiae regimen sequentibus hisce continetur. Princeps catholicus per omnes sibi subditas provincias in externam disciplinam potestatem exercet; interior disciplina, omne illud scilicet, quod religionis vocabulo continetur, singulis episcopis suis in dioecesibus a Deo commissa est; pontifex superintendens curam gerit, ut ab episcopis essentialia illa, sine quibus religio cessat, custodiantur. Hac ratione pontifex unionis centrum existit, cui obedire episcopi tenentur, utpote a Jesu Christo eidem subordinati. *Quod si hi lubentes injuncta sibi a Deo officia expleant*, pontificis suprema inspectio solo probitatis illorum testimonio absolvitur.

Animadversioni. Facciamo una breve analisi dei passi riferiti. Riconosce il prelato, che il romano pontefice ha una preeminenza di ordine, e di dignità sopra gli altri vescovi. Riconosce che egli è centro dell' unione, cui li vescovi sono tenuti di ubbidire, siccome a lui subordinati da Gesù Cristo. Ma insieme ristringe l' autorità pontificia ad invigilare che li vescovi godano del libero esercizio dei diritti conceduti loro da Dio: e soggiunge esser contro natura, *partem dumtaxat hujus potestatis eisdem subtrahere*. Dippiù, non leggersi in alcun luogo, che nella primitiva Chiesa abbiano voluto i pontefici frammischiarsi nella giurisdizione de' vescovi, sendochè un tal diritto era loro negato dai canoni: che li diritti primitivi ed essenziali del primato quegli sono, senza il quali non può durare l' unione nella Chiesa; cioè una suprema ispezione e cura, che si stenda sopra tutte le Chiese particolari, e il cui uffizio consiste ad invigilare, *ut singuli episcopi muneris sui partes adimpleant:* che ove questi volonterosi adempiscono ai doveri, loro da Dio ingiunti, quella inspezione *sola probitatis illorum testimonio absolvitur*, finisce, termina e si risolve in una mera e semplice testimonianza della loro probità.

Tuttochè dica il prelato, che li vescovi debbano ubbidire al pontefice romano, siccome a lui subordinati da Gesù Cristo; pure il contesto tutto della lettera troppo grave fondamento appresenta di pensare, che egli non riconosca nel romano pontefice se non se un primato d' onore, d' inspezione, di direzione, e non come insegna la dottrina cattolica, un vero primato di autorità, di podestà e di giurisdizione. 1° perchè insinua che nella primitiva Chiesa i pontefici romani non si frammischiarono mai nella giurisdizione de' vescovi, e che ciò era negato loro dai canoni. 2° perchè riduce li diritti primitivi ed essenziali del primato ad una semplice cura ed ispezione, consistente ad invigilare che i vescovi adempiano a' loro doveri, nè siano impediti nell' esercizio de' loro diritti. 3° perchè dice espressamente, che quando i vescovi facciano il loro dovere, una tale inspezione termina nella sola testimonianza della loro probità. 4° perchè appresenta qual assurdo, contrario alla natura, che una qualunque parte di autorità si sottragga ai vescovi. 5° perchè prendendosi a dichiarare al suo popolo i diritti del primato, sopprime e tace il primato di autorità e giurisdizione; la cui menzione dovea onninamente farsi per non indurre il suo popolo in errore circa un articolo appartenente al dogma. Per questi motivi e per altre non meno ree proposizioni, concernenti le dispense e le riserve, delle quali si dirà in appresso, sembra che al prelato corra un preciso e indispensabile dovere di sincerare la sua fede, con espressa dichiarazione: qualmente egli senza tergiversazione riconosce nel romano pontefice il capo visibile della Chiesa ed il Vicario di Cristo; il cui primato non è soltanto d' onore, d' inspezione, e direzione, ma di suprema autorità e podestà nella Chiesa universale, siccome consta dalla Scrittura, dalla tradizione, e dalla condanna degli errori dei novatori in tale proposito. — Errori di Marsilio di Padova, e di Giovanni di Gianduno, condannati come eretici da Giovanni XXII, constit. *Licet juxta doctrinam*. ann. 1327. num. 2. « Item quod beatus Petrus » apostolus non fuit plus caput Ecclesiae, » quam quilibet aliorum apostolorum, nec ha» buit plus auctoritatis, quam habuerunt alii » apostoli, et quod Christus nullum caput di» misit Ecclesiae, nec aliquem fecit Vicarium » suum ». Num. 5. « Ultimo quod papa, vel » tota Ecclesiae simul sumpta, nullum hominem » quantumcumque sceleratum potest punire » punitione coactiva, nisi imperator daret eis » auctoritatem ». È dunque dogma cattolico che al papa ed alla Chiesa compete *jure proprio* l' autorità del regime non solo direttivo, ma coattivo. — Nel concilio di Costanza, an. 1414. furono condannati i seguenti articoli di Vicleffo, e di Giovanni Hus: del primo num. 41. « Non est de necessitate salutis credere » romanam Ecclesiam esse supremam inter a-

» lias Ecclesias ». Di Hus, n. 7. « Petrus non » fuit, nec est caput Ecclesiae sanctae catho» licae ». N. 27. « Non est scintilla apparentiae, » quod oporteat esse unum caput in spirituali» bus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa » militante Ecclesia conversetur, et conservetur». E quindi nella bolla di Martino V. contro gli errori di Vicleffo e di Hus, vien prescritto, che chiunque ne sia sospetto venga interrogato: « U» trum credat, quod papa canonice electus, qui » pro tempore fuerit (ejus nomine proprio ex» presso) sit successor beati Petri, habens supre» mam auctoritatem in Ecclesia Dei ». — Nel concilio di Firenze, an. 1438, fu fatta la seguente definizione: « Definimus, sanctam apo» stolicam sedem et romanum pontificem in » universum orbem tenere primatum, et i» psum romanum pontificem successorem esse » beati Petri principis apostolorum, et verum » Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, » et omnium christianorum patrem et docto» rem existere, et ipsi in beato Petro pascen» di, regendi et gubernandi universalem Ec» clesiam a Domino nostro Jesu Christo ple» nam potestatem traditam esse, quemadmo» dum etiam in gestis oecumenicorum conci» liorum, et in sacris canonibus continetur ». Definizione, che in niun modo può intendersi di un semplice primato di onore, e d'ispezione, ma che stabilisce un vero primato di regime, di autorità, *di piena podestà* in tutta la Chiesa. — Tra gli errori di Lutero fu da Leone X (constit. *Exurge Domine*, an. 1520) condannato l'art. n.25. « Romanus pontifex, Petri » successor, non est Christi Vicarius super » omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo » in beato Petro institutus ». — Innocenzo X. con suo decreto, an. 1645, proscrisse come *eretica* la proposizione, che asseriva l'uguaglianza tra s. Pietro, e s. Paolo: « ita explica» tam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter » sanctum Petrum, et sanctum Paulum sine sub» ordinatione et subjectione sancti Pauli ad san» ctum Petrum in potestate suprema et regimine » universalis Ecclesiae ». — Neppure sono da tralasciarsi le censure, portate contro gli errori dello Spalatense apostata dalla facoltà teologica di Parigi, an. 1617, presso Bail, *Sum. conciliorum* tom. 1. p. 82. « Propositio: « Sicut apostoli si» mul et in solidum aristocratice curam gere» baut Ecclesiae, cum potestate aequali et u» niversali; ita episcopi omnes simul et in so» lidum, eamdem regunt Ecclesiam, singuli » cum plena potestate ». Censura: « Haec pro» positio est haeretica, et schismatica, quoad » ultima verba, *singuli cum plena potestate* ». Propositio: « Episcopi dicuntur apostolorum » successores, qui in eorum officio, quod erat » apostolorum omnium commune, succedunt, » omnes omnibus in solidum ». Censura: « Hae» retica est et schismatica, cum ugat de ju» risdictionis apostolicae potestate ». Propositio: « Erat ergo (Ecclesia romana), et est » Ecclesia praecipua, nobilitate, existimatio» ne, nomine, et dignitatis auctoritate, non » regiminis et jurisdictionis principatu ». Cen» sura: « Haec propositio est haeretica et schi» smatica, quatenus aperte insinuat romanam » Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias » Ecclesias non habere ». Propositio: « Unum» quemque episcopum jure divino esse univer» salem ». Censura: « Haec propositio est hae» retica et schismatica, ac unitatis Ecclesiae » subversiva ». Propositio: « Monarchiam sem» per Christus a sua Ecclesia amovit, et eam » ipsa Ecclesia est abominata ». Censura: « Haec » propositio est haeretica, schismatica, et » ordinis ecclesiastici perturbativa et subver» siva ». Propositio: « Omnes sane episcopi » sunt omnium apostolorum, etiam Petri, in so» lidum successores ..... Non enim Petrus ha» buit quidpiam peculiare, in quo ei dari de» beat magis, quam coeteris omnibus, succes» sio. » Censura: « Prior propositio, qua parte » statuit singulos episcopos esse Petri succes» sores, est captiosa: quia Petrus ultra pote» statem ordinis, in qua ei succedunt episco» pi, aliam habuit jurisdictionis apostolicae, » cui solus romanus pontifex succedit: poste» rior est haeretica, schismatica, et hierar» chici ordinis perturbativa ». Il clero gallicano nell'assemblea del 1681 parla del romano pontefice nei termini seguenti: « Caput » est Ecclesiae, centrum unitatis: obtinet ille » in nos primatum auctoritatis et jurisdictio» nis, sibi a Christo Jesu in persona sancti Petri » collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schi» smaticus, immo et haereticus esset ». (presso il Tournell De Eccl. q. V. art. 2) — Nell'anno 1683 sendo stata la facoltà teologica di Parigi richiesta dal parlamento del suo sentimento dottrinale sopra una proposizione, nella quale si trattava del romano pontefice, spiegossi con dire: « Duxit diserte repetere, quod » olim non semel professa est, romanum epi» scopum esse jure divino summum in Eccle» sia pontificem, cui omnes christiani parere » teneantur; et qui immediate a Christo non » honoris solum, sed potestatis ac jurisdictio» nis primatum habeat in tota Ecclesia ».

In vista pertanto delle sovra riferite condanne, sembra che la proposizione *Quod si* (episcopi) *lubentes injuncta sibi a Deo officia explent, pontificis suprema inspectio solo probitatis illorum testimonio absolvitur;* presa *ut jacet*, ed in quanto esclusiva della suprema, vera podestà di regime, propria *jure divino* del pontefice, qual capo visibile e pastore della Chiesa universale, possa qualificarsi non solo come falsa, ed erronea, ma ancora come scismatica ed eretica.

III. *Delle Dispense.*

Pag. 11. Constat tribus primis saeculis episcopos, propriorum jurium minime ignaros, circa canones ecclesiasticos absque interveniente pontificis auctoritate dispensationes concessisse . . . .

Pag. 12. Vi juris hujus subsequentibus saeculis omnis generis dispensationes, quas quidem necessitas aut Ecclesiae utilitas exigebat, ab episcopis conferebantur.

Pag. 13. Jus dispensandi circa matrimonia ad undecimum usque saeculum ab episcopis exercebatur. Igitur et imposterum jus hoc episcopis proprium permaneat, praesertim cum nec codex canonicus, nec tridentinum concilium id juris papae reservaverit.

